



FRATRIS SALVATORIS MARIÆ

ROSELLI,

S. THEOL. MAG. ORDINIS PRÆDICATOR.

SUMMA PHILOSOPHICA

AD MENTEM ANGELICI DOCTORIS

S. THOMÆ AQUINATIS.

PARS QUARTA.

ETHICAM COMPLECTENS.

Tom. VI.

R 40 230

R 15358



MATRITI.

TYPIS BENEDICTI CANO.

M.DCC.LXXXVIII.



SUMMÆ PHILOSOPHICÆ

AD MENTEM ANGELICI DOCTORIS

S. THOMÆ AQUINATIS

PARS QUARTA ETHICAM COMPLECTENS.

PROLOGUS.

1 TRansimus ad eam Philosophiæ partem, quæ *Ethica*, sive *moralis Philosophia* dicitur (1), in qua, ut Lactantius ajebat (2), *totius Philosophiæ ratio continetur*. In ea siquidem non de rebus tantum extra nos positis, ut earum cognoscamus naturam, & proprietates, sed de nobis ipsis agitur, ut nostros formemus mores, actionesque nostras in finem ordinemus. Ut enim advertit S. Thomas (3), *moralis Philosophiæ proprium est considerare actiones humanas, secundum quod sunt ordinatæ ad invicem, & ad finem.* Quis autem vere Philosophus est, id est, amator sapientiæ, nisi ille, qui scit actiones suas ad morum regulas, & ad finem ordinate componere? Dicere proinde cum Seneca (4) possumus: *Ubi dicta sunt quæ regunt mores, persequi cetera, non in remedium animi, sed exercitationem ingenii inventa.*

2 Itaque, ut ab Ethices definitione odiamur, *facultas* ea *est, quæ versatur circa actiones humanas ordinandas invicem, & ad finem.* »Dico actiones humanas, *inquit S. Thomas* (5), quæ »procedunt à voluntate hominis secundum ordinem rationis. Nam si quæ operationes in homine inveniuntur, quæ »non subjacent voluntati, & rationi, non dicuntur proprie »humanæ, sed naturales, sicut patet de operationibus animæ »vegetativæ.« Nam ut idem S. Doctor animadvertit (6): *actionum quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo est dominus. Est autem homo do-*

(1) Vide S. Thom. 1. 2. q. 58. art. 1. & 2. Ethic. lect. 1. ubi explicat quid sit *mos*, quid *Ethica*, & qua ratione virtutes dicantur *morales*.
(2) L. 3. Inst. c. 7. (3) 1. Ethic. lect. 1.
(4) L. 7. de Benef. c. 1. (5) Loc. cit. (6) 1. 2. q. 1. a. 1.

minus suorum actuum per rationem, & voluntatem . . . Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.

3 Qua ex definitione Ethicæ infertur 1. summa ejus utilitas, ac necessitas; quæ enim major utilitas, & necessitas, quam scire proprias, & aliorum hominum actiones ordinare invicem, & ad finem (1)? Id agnovere sapientes quique; ideoque ab ipso mundi exordio Ethices culta diligenter fuit (2), & non modo apud Judæos (3), sed apud Gentiles quoque Philosophos (4).

---

(1) Confer Arriani Epictetum l. 1. c. 11. ajentem minus obesse, destitui sensibus, quam ignorare, quomodo bona à malis sint discernenda. Vide etiam Theodoretum ser. 4. de cur. Græc. affect. describentem Xenophontis de Socrate narrationem, in qua scientiæ moralis utilitas, & necessitas commendantur.

(2) Ab exordio, inquimus, mundi: nam ad fabulas amandanda sunt, quæ Diodorus l. 1. & Cicero l. 1. de Inven. scribunt de primis hominibus belluarum more viventibus. Vide quæ diximus tom. 1. §. 778. & in notis subjectis.

(3) Moralem disciplinam Hæbreos calluisse longe absolutius Græcis, ostendit Eusebius l. 11. Præp. c. 2. Nam purioris Ethicæ præcepta cum vera Religione apud ipsos manserunt, ut sacræ Scripturæ libri exhibent, præsertim libri Salomonis. Vide S. Isidorum Pelusiotam. l. 4. epist. 40.

(4) De Chaldeis exstant Oracula, quæ describit Stanlejus Hist. Phil. par. xv. ad calcem. Ægyptiorum præcepta moralia collegit Porphyrius 4. de Abstin. Brachmanes, Gymnosophistas, Persas, veteres Hetruscos multa tradidisse præcepta morum, refert Strabo l. 15. seq. Apud Sinenses floruisse Confucium, qui plura de moribus docuit, explorata res est. Leibnitius tom. 5. opp. pag. 48. Confucium appellat *Sinensium Socratem.* Leges, & mores veterum Iberorum, Celtarum, Lucanorum, Samnitum, Phrygum, Æthiopum, Asyriorum, Indorum, Lacedæmoniorum, aliorumque populorum descripsit Nicolaus Damascenus, exque ejus universali Historia excerpsit Stobæus in Collectaneis, quæ Cragius ad calcem Operis de republ. Lacedæmon. refert. Heraclides etiam librum composuit *de Politiis*, quem edidit idem Cragius loc. cit. Apud Græcos studio doctrinæ moralis præcipue incubuit Socrates, quem sequutus Plato fuit, ut ejus Dialogi de Republica ostendunt, exhibetque Alcinous de doct. Plat. c. 27. seqq. Pythagoræ Philosophiam practicam describit Stanlejus Hist. Phil. part. 8. sect. 1. De Pythagora memorabile dictum refert Stobæus ser. 80. *Vana est illius Philosophi oratio, quæ nullam in homine passionem curat.* Stoicos totos fuisse in tractanda doctrina de bono, & malo, deque actionibus, & officiis, discimus ex Laertio l. 7. Locuples testis doctrinæ moralis Stoicorum est Seneca, qui propterea *Moralis* dictus est; itemque Epictetus, &

Quod & multo magis penes Christianos omni tempore obtinuit (1).

4 Infertur 2. moralis Philosophiæ objectum esse actiones humanas ordinatas in finem. *Sicut subjectum naturalis Philosophiæ*, ait S. Thom. (2), *est motus, vel res mobilis; ita subjectum moralis Philosophiæ est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo, prout est voluntarie agens propter finem.*

5 Infertur 3. Philosophiam moralem esse veram scientiam (3): nam licet in moralibus sæpe consectemur verisimilia, nec universim materia morum omnimodam certitudinem, & perspicui-

---

Antoninus Cæsar. Stoicorum moralem Philosophiam collegit Lipsius in Manuduct. ad Stoic. Phil. Videtur autem Aristoteles ceteris præstitisse gentilibus in hoc doctrinæ genere: nam si doctrinarum copiam consideres, universa ferme complexus est, quæ ad singulas Philosophiæ moralis partes pertinent, in libris 10. *Ethic. Nicomacheorum*, in libris 2. *Magnorum moralium*, in libris 7. *Ethicorum ad Eudemum*, in libris 10. *Politicorum*, in libris 2. *Oeconomicorum*. Ipsa quoque doctrina Aristotelis antecellere videtur: nam licet Stagirita ex eo genere Philosophorum fuit, qui, ut S. Augustinus ait Epist. 155. al 52. veram felicitatis viam ignorarunt; minus tamen quam ceteris erravit, præsertim Socrates, & Plato, qui rerum omnium, etiam uxorum communionem induxerunt; & minus quam Stoici, quos frustra purgare tentavit Lipsius, quemadmodum in Platone purgando operam perdidit Franciscus Patricius. Vide Lactantium l. 3. Inst. c. 21. seq. & Chrysostomum Hom. 4. in Acta. Mittimus Cyrenaicos, & Epicureos; hi enim sues potius, quam moralis Philosophiæ cultores dicendi sunt, cum in voluptatibus corporis beatitudinem collocarint. Studium moralis Philosophiæ apud priscos Romanos non fuisse neglectum, ostendunt leges tam regiæ, quam XII. Tabularum, mores, & Canones antiqui juris Romani exhibentes, quibus Commentarios adjecit Antonius Clarus Sylvius Advocatus in suprema Curia Parisiensi, magna eruditione refertos. Libri Ciceronis *de Legibus*, & *de Officiis* idipsum demonstrant.

(1) Celsitudinem Christianæ Philosophiæ moralis supra ceteras, docte ostendit Javellus noster in opere quod hoc eodem titulo inscripsit.

(2) 1. Ethic. lect. 1.

(3) Quærens Heineccius Elem. Phil. mor. c. 1. §. 3. an disciplina moralis certa sit scientia? *Negant*, inquit, *Aristotelici*, & *ipse Grotius de jure belli, & pacis* 2. 23. §. 1. *sed ei jam Conringius, Pufendorfius, Lochius satisfecerunt.* Ego autem puto, Heineccium ita scribentem, ne unum quidem Aristotelicum legisse. Non negabit, S. Thomam fuisse Aristotelicum, cum hoc ei vitio vertat Elem. Hist. Phil. p. 1. c. 4. Legantur autem ea quæ scribit S. Doctor 1. 2. q. 94. a. 4.

tatem patiatur ; plura tamen in moralibus sunt omnino certa, & explorata (1) ; quis enim de veritate harum propositionum dubitare potest, *Deus est colendus, Parentes, supremi Principes, Magistratus sunt honorandi, eisque parendum, si justa præcipiant. Non esse pro beneficio injuriam rependendam : furtum, & rapinam, & perjurium, & mendacium, & adulterium, mala esse?*

6 Infertur 4. moralem Philosophiam esse scientiam omnino practicam, licet enim multæ in moralibus speculationes fiant (2); hæc tamen ordinantur ad praxim, ad mores scilicet componen-

---

Quæ si Heineccius legisset, nonne ipsum puduisset accusare Aristotelicos universos, quasi negarint Philosophiæ morali scientiæ certitudinem. Sed quid nomino Angelicum Doctorem? Quotus quisque Aristotelicus est (Si Eustratium 1. Eth. c. 3. & Zabarellam 1. de meth. c. 7. paucosque alios excipias) qui morali Philosophiæ veræ scientiæ rationem negarit? Legantur Institutiones quæque Aristotelicæ Philosophiæ moralis. Ita accuratus Heineccius fuit.

(1) Philosophia moralis habet, ut ceteræ scientiæ, principia omnino certa, & explorata, quorum veritas statim cognoscitur, perceptis terminis, ut hoc principium, *bonum est faciendum, malum est fugiendum*, quod ita in moralibus se habet, ut principium contradictionis in metaphysicis. Habet quoque conclusiones bene multas immediate connexas cum primis principiis moralibus, uti sunt præcepta decalogi ; atque hæ efficiunt, ut moralis Philosophia sit vera scientia ; sunt enim evidenter certæ. Si autem conclusiones ita sint elongatæ à primis principiis practicis, ut non appareat illarum cum istis connexio ; sequimur quod est verisimilius. Id vero sæpissime accidit in moralibus, quæ sunt circa actiones humanas quarum si una circumstantia mutetur, jam clare non patet connexio cum primis principiis practicis. Quod non evenit in Mathematicis puris, quæ universas propositiones resolvunt in principia per se nota. Et idcirco Aristoteles, & cum eo S. Thomas docent 1. Ethic. in moralibus non esse quærendam eamdem certitudinem quæ habetur in Mathematicis. Heineccius igitur, & Pufendorfius non sunt assequuti mentem Aristotelis, neque Aristotelicorum, cum eos redarguunt de negata Philosophiæ moralis certitudine scientiæ. Vide S. Thomam 1. 2. q. 96. art. 1. ad 3.

(2) Non de iis speculationibus loquimur, quæ fiunt *ad excusandas excusationes in peccatis*, ut dicitur Psal. 140. v. 4. qui enim ita se gerunt, ex eo genere magistrorum sunt, de quibus scribit Apostolus 2. ad Tim. 4. v. 3. seq. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non substinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* De his Seneca ait Epist. 45. *Invenissent*

dos, dirigendasque operationes in finem. Quare Epictetus (1), & Clemens Alex. (2) merito Philosophiam moralem appellant *Medicinam animorum*: nam sicut Medicina in curandis corporum morbis versatur, in idque dirigit commentationes universas, quas instituit; ita idipsum efficit Philosophia moralis, ut animorum morbis medeatur.

7 Non ideo tamen Philosophia moralis confundenda est cum prudentia. Nam licet utraque respiciat actiones humanas; moralis tamen illas respicit universim, prudentia singulatim; ideoque prudentia bonos efficit actus, quibus inest, non item moralis. Ut enim advertit S. Thomas (3), *ad scientiam* (utique moralem) *pertinet universale judicium de agendis, sicut fornicationem esse malum; furtum non esse faciendum; sed ad prudentiam pertinet recte judicare de agibilibus singulis, prout sunt nunc agenda.* Certe nemo prudenter agens, male operatur: nam hoc ipso esset imprudens: potest autem esse, & sæpissime evenit, ut ii qui cognoscunt aliquid esse malum per scientiam, quam habent, in praxi deficiant. Et idcirco S. Thomas (4) ait: *Circa principia quidem universalia agibilium, homo recte se habet per naturalem intellectum principiorum, per quem homo cognoscit, quod nullum malum est agendum, vel etiam per aliquem scientiam practicam; sed hoc non sufficit ad recte ratiocinandum circa particularia. Contingit enim quandoque, quod hujusmodi universale principium cognitum per intellectum, vel scientiam corrumpitur in particulari per aliquam passionem; sicut concupiscenti, quando concupiscentia vincit, videtur hoc esse bonum quod concupiscit, licet sit contra universale judicium rationis.* In iis ergo qui peccant, non remanet prudentia; etsi remaneat sæpe scientia universalis practica inhonestatis actus peccati (5); quæ scientia proinde à prudentia differt.

---

forsitan necessaria, nisi & superflua quæsissent. Multum enim laborandum est, ut ad excusanda peccata frivolæ quædam inanesque rationes quærantur. Qui rectæ rationis principia tenet, minus laborat in inquirenda veritate, nec facile aberrat à norma.

(1) Apud Arian. l. 3. c. 23. (2) Strom. 7.

(3) Q. 4. de virt. a. 6. (4) 1. 2. q. 58. art. 5.

(5) Qui errore speculativo laborant, dicentes *malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*, ut dicitur Isa. 5. v. 20. ii peccant contra universale judicium rationis, & numquam resipiscent, nisi ante abjiciant intellectus errorem. Idcirco loc. cit. v. 21. subditur: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.*

8 Denique ex tradita definitione Philosophiæ moralis infertur ejus divisio in tres partes, *quarum prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quæ vocatur Monastica* (1). *Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticæ, quæ vocatur Oeconomica* (2). *Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quæ vocatur Politica* (3).

9 Ex qua divisione perspicitis, quam late pateant fines moralis Philosophiæ. Nam si de prima tantum parte loquamur, quis paucis complecti poterit quæ de ultimo fine hominis; de actibus hominis sive elicitis, sive imperatis à voluntate; de voluntario, & involuntario, ejusque causa; de illorum actuum bonitate, & malitia, de passionibus, animique affectionibus ceteris; de virtutibus, & vitiis cum generatim, tum speciatim eorumque distinctione, subjecto, causis, circumstantiis, intensione, gravitate; de regulis denique humanorum actuum cum internis, tum externis? Quæ tamen omnia ad primam Ethicæ partem *Monasticam* pertinent, in qua singulorum hominum actiones considerantur ut ordinatæ ad finem, vel ut ab ipso deordinatæ. Quid vero, si addantur universa ad *Oeconomicam*, & *Politicam* spectantia?

10 Nobis igitur in tanta rerum gravissimarum copia constitutum est, ea vel tacita præterire, vel leviter attingere quæ sive in *Theologia Morali*, sive in *Jurisprudentia* fuse tractantur; illa vero diligentius persequi; quæ ad *Jus naturæ*, & *Gentium* pertinent, prout Juris naturæ nomine intelligitur *Lex naturalis*, & nomine Juris Gentium intelligitur Lex quæ apud universas nationes est moribus communi consensione recepta. Potissimum vero agemus *de officiis hominum*, tum *erga Deum*, tum *erga seipsos*, tum *erga alios homines*; quibus quidem officiis universum naturæ, & gentium jus continetur. Ne autem cetera omnino prætermittamus, attingemus primum generalia principia de fine hominis, ejusque felicitate, deque moralitate actuum humanorum; deinde ad *Jus naturale*, & *Jus gentium* progrediemur. Initio autem agendum ducimus de ratione tradendæ, atque perficiendæ doctrinæ morum.

---

(1) Dicitur à μόνος, *unus, solus.* Hæc enim pars dirigit actiones voluntatis ad privatam honestatem, privatumque bonum.

(2) Οἰκομία est *dispensatio domestica*, ab οἶκος, *familias, domus, facultates*, & νόμος, *lex.*

(3) S. Thom. loc. cit. Politica dicitur à πόλις, *civitas*, sive Respublica; unde *Politia* est Reipublicæ regimen.

QUÆSTIO I.

De doctrina morum tradenda, atque perficienda.

11 Hanc quæstionem instituimus Prolusionis loco, propterea quod juniores plerique Philosophi morales, non modo in Scholasticos de re morali tractatores, sed in ipsos sanctissimos Ecclesiæ Patres calamum acuerunt; nonnulli quoque ad moralem Philosophiam perficiendam, humani corporis advocarunt anatomen. Itaque 1. inquiremus in moralem doctrinam Patrum Ecclesiæ. 2. causam agemus pro Scholasticis Doctoribus, qui de re morali pro dignitate scripserunt, comparatione instituta cum doctrina morali recentium Philosophorum, qui gloriantur, haberique volunt uti Ethices restitutores, imo parentes. 3. sententiam expendemus advocantem anatomen humani corporis ad moralem doctrinam perficiendam. 4. de ejus vere perficiendæ ratione dicemus.

ARTICULUS I.

Utrum morali Christiano Philosopho insistendum sit in morali doctrina Patrum Ecclesiæ.

12 Cum recentiores heterodoxi opprimi se senserint nube testium omnium seculorum, confirmantium Catholica dogmata ab ipsis negata, ut hoc firmissimum convellerent argumentum, omnem Patribus Ecclesiæ negandam esse fidem dixerunt, cum in fidei, tum in morum doctrina, propterea quod in eorum operibus doctrina Christi præsertim moralis corrupta reperiatur; videlicet, ut Tertullianus ajebat (1), *liberanda veritas Marcionem*, sive Lutherum, aut Calvinum, similesve humani generis pestes, *expectabat*. Præter Dallæum (2), & Joannem Clericum (3) cæteris impietate, atque impudentia præiverunt Joannes Barbeyracus (4), & Christianus Thomasius (5).

(1) L. de Præscript. c. 28. (2) De usu Patrum.
(3) In Arte Crit. & in Biblioth. univers. Tom. 12.
(4) In Præfat. ad Pufendorfium de Jure nat. & gent. Gallice versum, & *Traité de la Morale des Peres de l'Eglise.*
(5) *Hist. juris nat.* & in opere inscripto, *cautelæ circa prægni-*

13 Videtur autem cum iis dicendum 1. quia ut Barbeyracus advertit (1), Patres Ecclesiæ plus adhæserunt studio dogmatum meræ speculationis (2), rerumque Ecclesiasticæ disciplinæ, quam juris naturæ; ideoque in eorum operibus reperiun-

---

ta Jurisprudentiæ c. 14. §. 24. & seqq. quod opus sentinam putidissimam errorum merito dixeris.

(1) Tract. cit. cap. 1.

(2) Thomasius Hist. jur. nat. c. 3. num. 23. seq. universos Ecclesiæ Patres in duas distribuit classes, alteram, quam vocat *Orthodoxorum*, alteram, quam dicit *Mysticorum*. De prima ait: » Una quæsi» vit viam ad æternam felicitatem perveniendi in vero, & subtili con» ceptu mysterii essentiæ Dei, & supposita doctrina de emendatione » voluntatis sua sponte sequente emendationem intellectus: de cetero » de Christiana, & Deo placente vita parum fuit sollicita... & hoc mo» do inculcatum fuisse auditoribus, Deum esse Patrem indulgentissi» mum, qui non adeo rigorose examinaret actiones liberorum suorum » charissimorum, qui se Christianos dicerent, sed patientissime fer» ret opera carnis." De altera Patrum classe sic statuit: » Ea præce» denti plane opposita, oppositas etiam fovit doctrinas, nempe Chris» tum non sustulisse decem præcepta, sed præceptum charitatis, in » quo tamquam in centro fundatus esset totus Decalogus, discipu» lis suis strenue inculcasse... Christum Dominum in extremo ju» dicio non examinaturum, quid quilibet circa mysterium essentiæ » divinæ crediderit, sed ... de præcepti charitatis officiis in illa » die examen instituturum... ergo non adeo opus esse, ut quis de » emendatione intellectus sit sollicitus." Audistin umquam calumniatorem Thomasio impudentiorem? Quonam ex fonte Historiæ Ecclesiasticæ duplicem illam Patrum classem Thomasius derivavit? Quinam fuerunt Patres, qui *de subtili conceptu mysterii essentiæ Dei* solliciti, *de Christiana & Deo placente vita* non modo minus curarunt, sed auditores docuerunt suos, Deum *patientissime ferre opera carnis, tamquam imbecillitates humanas*; & præcepta Decalogi sustulerunt? Non dico Patrum classem, sed vel unum Christianum Scriptorem, qui hæreticus non fuerit, Thomasius proferat, qui hæc opinionum monstra docuerit. Patres qui mysteria Trinitatis, & Incarnationis ad dogmata theoretica pertinentia, adversus Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Nestorianos, Eutychianos defenderunt, præcipui fuere Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus. Quis autem vel negligentissime legens eorum opera, non videt statim, ubique ea spirare Christianam charitatem, Deoque placentem vitam? Ubinam Patres illi de carnis operibus loquuti sunt tamquam de humanis imbecillitatibus, quas Deus patientissime ferat? Quo in loco operum suorum præcepta Decalogi sustulerunt? Ad alteram quod pertinet classem, nihilo minus impudens

tur sermones vagi magno numero, & si quæ attinguntur quæstiones, inepte resolvuntur, decisiones vero, & documenta moralia in eis exstantia, veris haud nituntur fundamentis, sed levibus, & extraneis rationibus, contortisque allegoriis; explicationes autem sacrarum Scripturarum ineptæ quoque sunt ob ignoratas à Patribus linguas orientales, & ob critices defectum. Nullus denique in iis operibus servatur ordo, ac methodus. Moralis ergo Patrum doctrina talis non est, ut in ea sit insistendum.

14 II. Patres Ecclesiæ in multos prolapsi sunt errores ad morum doctrinam spectantes, uti productis eorum textibus Barbeyracus ostendit (1). Nemo autem insistendum esse dixerit in morali doctrina referta erroribus.

Prop. I. *Morali Christiano Philosopho insistendum omnino est in morum doctrina, quam communiter Ecclesiæ Patres tradiderunt.* II. *Magna autem veneratione excipienda sunt moralia documenta Patrum singulorum, si ii fuere sanctitate præstantes; & reverenter exponenda, si quæ videantur à veritate recedere.*

15 Demonstr. 1. p. In ea morum doctrina Christianus Philosophus moralis insistere debet, quæ ab omni errore, errorisque suspicione abest. Hujusmodi est autem doctrina moralis, quam communiter Patres tradiderunt. Non enim fieri potuit, ut in ea tradenda omnes, vel fere omnes Ecclesiæ Patres errarint. Id quod loculentissime ostendit, tum perspicacitas summa, & sapientia omnibus numeris absoluta, cum admirabili sanctitate conjuncta, tot hominum præstantissimorum, quos omnes, aut ferme omnes cæcutiisse (2) nemo dixerit, nisi

---

Thomasius est; quis enim vel unus Orthodoxus docuit, fidem Mysterii Unitatis Essentiæ Dei, & Trinitatis Personarum, Incarnationis, cæterorumque articulorum symbolo comprehensorum, qui certe *speculativi* sunt, non pertinere ad examen quod Christus in extremo judicio instituturus erit? Quis umquam eorum ne somniavit quidem dicere, emendationem intellectus in iis quæ pertinent ad mysteria fidei non esse admodum sollicite curandam? Perspicitis quot mendacia complexus Thomasius fuerit, historiographum agens juris naturæ. Præclara historia mendaciis undique referta!

(1) Loco citat.

(2) Si Protestantes audimus, ipsi soli vident præsertim in doctrina

utroque caliget oculo. Tum Divina Providentia, quæ non satis providisset Ecclesiæ suæ, si permisisset, omnes, vel fere omnes Patres errasse in doctrina morum, quæ necessaria est ad salutem; ita enim, & ipsa Ecclesia errasset: nam Patres testimonium perhibent doctrinæ quæ in Ecclesia tradebatur eorum ætate; ideoque si omnes, vel fere omnes errassent in doctrina morum, universa Ecclesia per omnia secula in ea doctrina errasset. Morali igitur Philosopho omnino insistendum est in doctrina morum, quam Patres Ecclesiæ communiter tradiderunt (1).

16 Prob. 2. p. Singuli Ecclesiæ Patres ingenio, sapientia, & eruditione plurimum valuere, & si fuerunt sanctitate præstantes, eos speciali lumine Spiritus Sanctus collustravit, ne deciperentur, cum præsertim docebant Fideles doctrinam morum. Venerari ergo oportet eorum singulorum documenta moralia: & si quæ in ipsorum operibus sententiæ obviam fiant, quæ prima fronte minus rectæ videantur, eæ benigne reverenterque explicandæ sunt, atque omnino cavendum, ne in deteriorem detorqueantur sensum. Qua in re Angelicus Præceptor fuit plane incomparabilis (2), ubique operum suorum

---

juris naturæ, & gentium; ceteri vero ab ipsa Apostolorum ætate fuere cæci. Igitur nemo unus ante Puffendorfium, aut Grotium, aut Hobbesium, aut Thomasium, aut Wolfium &c. satis perspexit, sed obtusa nimis omnes fuerunt acie oculorum. Insolentissima sane jactatio; quid enim est tam arrogans, quam de jure ipso naturæ Patrum collegium docere conari? At Protestantes sinamus; cæci enim revera sunt, & duces cæcorum.

(1) Quærens S. Thomas quodlib. 12. a. 19. *utrum una sit Ecclesia, quæ fuit in principio Apostolorum, & quæ modo est*: » Dicendum, *in-*» *quit*, quod eadem est numero, quæ tunc erat, & quæ nunc est, quia » eadem fides, & eadem fidei Sacramenta, eadem auctoritas, & eadem » professio. Unde dicit Apostolus: *Divisus est Christus? Absit.*« Una igitur semper fuit, & perpetuo erit doctrina Ecclesiæ, quia errare non potest in iis quæ ad fidem, & mores pertinent, cum sit columna veritatis. Nec obstant peculiares opiniones; hæ siquidem non spectant ad doctrinam Ecclesiæ.

(2) Benedictus XIV. Const. *Sollicita* Tom. 4. ejus Bull. §. 24. hanc præclaram Angelici Doctoris dotem ita celebravit. » Angelicus Schola-» rum Princeps, Ecclesiæque Doctor S. Thomas Aquinas, dum tot » conscripsit numquam satis laudata volumina, varias necessario of-» fendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate im-» pellente refellere debuit. Cæteras vero tanti Doctoris laudes id mi-

reipsa comprobans quod docuerat (1): *Si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta à modernis servatur, non sunt contemnenda, aut abjicienda, sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter.* Servanda igitur hæc regula est, quæ præscribi videtur Eccl. 8. v. 9. iis verbis: *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium.* Et rursus v. 11. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis.*

17 Ad primum negamus, Ecclesiæ Patres minus coluisse studium juris naturæ; hoc enim jus præceptis Decalogi continetur: quotus autem quisque Patrum est, qui de præceptis Decalogi non tractarit? Negamus quoque, in Patrum operibus reperiri sermones vagos. Vagi enim dicerentur, si nulli essent determinatæ materiei alligati. Quis autem id affirmabit de Homiliis Chrysostomi, Basilii, Nysseni, de Orationibus Nazianzeni, de Sermonibus Augustini, de Catechesibus Cyrilli Hierosolymitani, de Homiliis Gregorii Magni, &c.? In iis enim Fideles erudiuntur in omni doctrina Ecclesiæ, & de omni virtutum genere. Quod additur de quæstionibus inepte resolutis, æque falsum est, nec Barbeyracus ullam earum protulit, quin facile possit falsitatis argui. Falsum est etiam quod ait de moralibus decisionibus Patrum nixis rationibus levibus, & extraneis, contortisque allegoriis. Adeantur eorum opera, & firmissimæ passim reperientur constitutæ regulæ vitæ recte instituendæ. Usum allegoriarum, qui in Patribus reprobat, is facile eum reprobabit etiam in Evangelio, ubi Christus tam multis utitur parabolis. Non est autem, cur Barbeyracus Patribus exprobret ignorationem linguarum orientalium: nam præterquamquod eorum plures in iis linguis fuere versati, ut Justinus, qui ortu Samaritanus erat, ut Origenes, ut Hieronymus; earum linguarum peritia necessaria non est ad Scripturarum interpretationem in iis quæ ad Fidem, & mores pertinent; in

» rabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vel» licare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter » demereri. Nam si quid durius, ambiguum, obscurumque eorum dic» tis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat, atque » explicabat. Si autem Religionis, ac Fidei causa postulabat, ut eorum » sententiam exploderet, ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut » non minorem ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem as» serendo, laudem mereretur."

(1) Opusc. 1. con. errores Græc. in Præf.

his enim standum est judicio Ecclesiæ, cujus auctoritate & ipsas Scripturas sacras credimus tamquam Divinitus inspiratas; ideoque merito S. Augustinus ajebat (1): *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas* (2). Scimus Barbeyracum Lutheranum hominem hæc non admittere. Sed quænam hæc est perversa arguendi ratio; ex præconcepto errore, in Patres insurgere, eosque reprehendere? Nec etiam erat cur Patribus exprobraret critices ignorationem; ostendimus enim (3), Patres Ecclesiæ quolibet seculo egregios fuisse artis criticæ cultores. Addimus vero, criticam artem necessariam non esse ad interpretationem Scripturarum in iis quæ ad Fidem, & mores spectant; in his enim standum est judicio Ecclesiæ ut dictum est. Tandem quod dicitur de ordine, & methodo à Patribus minime servatis, nihil derogat eorum auctoritati. Patres autem, etsi Institutiones morales contexere non sunt arbitrati; neque enim id necessarium iis temporibus existimarunt præclare tamen doctrinam moralem universam explicarunt, imo & populum docuerunt, assiduis ad eum habitis sermonibus; ideoque opera eorum sunt veluti refertissimus & absolutissimus thesaurus moralium resolutionum. Quod & Grotius (4), & Zyglerus (5), & Buddeus (6), & Boeclerus (7), & Foertschius (8) confessi sunt. Extant etiam apud Patres quædam morales Institutiones. Nam & Clemens Alex. *Pædagogi* libros, & S. Cyprianus libros *Testimoniorum*, & S. Basilius *Regulas brevius, ac fusius disputatas*, & S. Augustinus *Speculum* ediderunt; qui quidem libri Institutiones quædam morales sunt ex Scripturis haustæ ad vitam recte, Christianeque agendam. Quare ex Patrum operibus Institutiones morales confici possunt omnibus numeris absolutæ, certissimamque Ecclesiæ doctrinam continentes, uti plures perficere conati sunt, præsertim Natalis Alexander, Merbesius, & Daniel Concina: quod & pridem effecerat S. Thomas summa fide, summoque studio.

18 Ad secundum negamus, Patres Ecclesiæ sanctitate præstantes, in ullos errores lapsos esse in materia morum. Id ve-

(1) L. con. Epist. fundam. c. 5.
(2) Vide quæ diximus in Log. §. 1010. seqq. & in notis subjectis.
(3) Ibid. §. 948. seqq.
(4) In Proleg. de jure belli, & pacis.
(5) Ibid. in not. (6) Hist. jur. nat. §. 9.
(7) In Præfat. ad lib. S. Ambrosii de offic.
(8) In diss. de Phil. mor. & jurisprud. nat. Christ. vet. Eccl. Doct.

ro peculiari dissertatione demonstrabimus adversus Barbeyracum (1). Nunc autem, ut quisque videat, quam sint inanes ejus conatus ad labefactandam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam in materia morum, & pessundandam Traditionem (quo tendunt studia hæreticorum, ac præsertim Barbeyraci) permittimus, sed non concedimus, singulos Patres, quos Barbeyracus citat, errasse in iis quæ ipsis objicit. Quid vero? An si ita esset, propterea nutaret doctrina Ecclesiæ circa mores? Nihilo minus. Doctrina Ecclesiæ non continetur privatis Patrum sententiis, sed communi eorum suffragio, quo & traditio nititur. In iis enim quæ ad Fidem, & mores pertinent, habenda est tamquam Ecclesiæ doctrina, ut Lirinensis monet (2), *quidquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt.* Si qui autem fuissent Patrum errores in doctrina morum, an propterea omnes in uno eodemque errore convenissent, & uno eodemque consensu eumdem errorem aperte, frequenter, perseveranter tenuissent, scripsissent, docuissent? Id Barbeyracus neque ostendit, neque ostendere usquam potuisset. Conatus igitur ejus vanus est, & labor inanis, nihilque concludit; arguit enim *à sensu diviso ad sensum compositum*, sive *à singulis ad totam collectionem*: quod esset contra Dialecticæ regulas, & ipsi tyrones norunt (3).

---

(1) Cœperamus ad singulas Barbeyraci criminationes respondere, Patrumque tueri causam, jamque rem totam fere perfeceramus, cum animadvertentes, articulum protrahi plus justo, deliberavimus, ex jam paratis responsionibus peculiarem edere dissertationem, ut Barbeyracianas calumnias fusius, atque commodius possemus refutare.

(2) In Commonitorio n. 4.

(3) Si qui fuissent Patrum errores in doctrina morum, debuissent silentio præteriri. Sed hæc est vetus hæreticorum consuetudo, quam describit Lirinensis loc. cit. n. 11. ubi loquens de Donatistis munientibus se auctoritate S. Cypriani, aliorumque Episcoporum Africanorum ad rebaptizandum, ait: *Quæ silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant; sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enuntiavit.*

ARTICULUS II.

Utrum recentibus Philosophis jure tribuatur laus restitutæ doctrinæ moralis à Scholasticis ignoratæ.

19 Postquam heterodoxi, præsertim Lutherani, sanctos Ecclesiæ Patres injuriis, contumeliisque lacerarunt, mirum esse non debet, si in cæteros Catholicos Doctores, qui de moralibus scripserunt, nihilo mitius locuti sunt. Vulgatum est apud ipsos, ante Grotii ætatem jus naturæ apud Scholasticos fœdatum jacuisse (1). Itaque si illos audimus, ne unus quidem ante Grotium de jure naturæ pro dignitate disseruit, sed omnia erant miserrime inculta, & perturbata, atque incurabili laborabant morbo, superstitionis regno vigente. Lux tandem optata fulsit, cum Grotius primum, deinde Hobbesius Jurisprudentiam naturalem in *formam artis*; Pufendorfius postea, & Thomasius *in formam systematis æmulam*; Wolfius denique, Heineccius, aliique Lutherani, Calvinianique homines *in perfectius systema* coegerunt.

20 Videtur autem ita dicendum I. quia, ut Puffendorfius ait, scriptoribus Romanæ Communioni (2) addictis *suorum traditorum nullum certum fundamentum, aut hypothesim substernere solemne est: sed præter ea, quæ à Jurisconsultis mutuari solent, frivolas ut plurimum quæstiones paribus ratiunculis confirmare contenti, de cætero integras legiones suæ communionis scriptorum allegasse præclarum habent, quorum unum si noveris, omnes noveris, ita omnes magno conatu magnas nugas agunt: ut tamen vix ulla sit quæstio, in qua isti in partes non discedant. Cujus instituti hæc est arcana* (3) *ratio ut post-*

(1) Convicia in Catholicos scriptores morales summa impudentia congerunt præ cæteris Puffendorfius in Præfat. oper. de jure nat. & gent. prioris edit. Franciscus Buddeus in Hist. jur. nat. §. 11. Christianus Thomasius in Hist. jur. nat. Schierschmidius Præfat. in elem. jur. nat. Fleischerus in Præf. inst. jur. nat. & gent.

(2) In edit. Leipsien. an. 1744. legebatur *sectæ Romanæ*. At in edit. Francofurti, & Lipsiæ an. 1759. qua utimur, legitur *Communioni Romanæ*. Puffendorfius ergo, ut cæteri hæretici, ducebatur odio in Catholicam Ecclesiam, quo impellente Catholicos Scriptores contemnebat, atque insectabatur. Quid veri sperandum ab homine sic affecto? Vide quæ diximus Tom. 1. pag. 449. not. 5.

(3) Mirifica sane solertia, & ipsa arcana penetrare!

quam inter fundamenta sacræ istorum Reipublicæ est, hominum conscientias non ratione, sed auctoritate sacerdotum regi, ubique in promptu sit auctorum nubes, quæ qualemcumque sententiam stabilire idonea sit, prout quemque persuaderi ipsorum interest. Contemnendi igitur sunt scholastici scriptores doctrinæ moralis; & *bono publico pessime meretur, qui in tanta solidarum scientiarum luce ad istas adhuc nugas, regni tenebrarum fœtum* (1) *juxta, ac stabilimentum, juventutem manuducere laborant.*

21 II. Ut Thomasius habet: *Scholastici Pontificii* (2), *qui titulis de justitia, & jure, vel similibus insigniebantur* (3), *talia dogmata insinuabant animis discentium, quæ solum inserviebant incremento Papatus* (4), *& Clericatus, & supprimebant auctoritatem, & potentiam Principum, & Ordinum politicorum, & laicorum. Præterea diversissimas res inter se miscebant, jura naturæ, gentium, Mosaica Judaica, Græca, Romana, Imperialia, Pontificia, colligendo videlicet ex istis quidquid inde poterant ad scopum modo memoratum.* Quis autem, si minimum sapiat, ejusmodi scriptores sequetur duces?

22 III. Ut loquitur Buddeus »Ecquis ignorat fuisse tem»pus, cum fœda, & tristis ignorantia orbi universo incumbe»ret, & superstitionis regnum magnis undique viribus stabi»liretur (5)? ... Philosophiam moralem quoque cum cæteris ar»tibus incultam squalore, & rubigine obsitam jacuisse, ut

(1) *Regni tenebrarum* nomine Puffendorfius intelligit Catholicam Ecclesiam; nimirum antiquo hæreticorum more, *qui*, ut recte S. Augustinus tract. 45. in Joan. *se videntes non solum jactant, sed à Christo illuminatos videri volunt.* Quod rursus confirmat, non veritate illum, sed odio fuisse permotum.

(2) Vide cur scholasticos Thomasius insectetur, quia scilicet *Pontificii*, id est orthodoxi, & catholici sunt.

(3) Quinam sunt hi tituli *de justitia, & jure*? Neminem apud scholasticos hoc insignitum titulo reperimus; neque vero sic insigniri quis, nisi ridicule poterat. Quod si ob tractatus inscriptos *de justitia, & jure*, debuissent illum titulum scholastici sustinere, cur Puffendorfius, Heineccius, Fleischerus, &c. insigniendi non erunt titulo *de jure naturæ, & gentium*, propter opera eo titulo inscripta?

(4) Maledicta Thomasii ex eodem fonte fluxerunt, ex odio nempe in Catholicam Ecclesiam.

(5) Catholica Ecclesia est Buddeo *regnum superstitionis.* Vetus hæc est hæreticorum phrasis. Vide S. Augustinum lib. 2. con. litt. Petiliani c. 96.

»proscriptam veluti, profugamque avolasse, & mortalium de»seruisse sedes censere ejus artis homines potuisse neminem »fugit. Non quidem defuerunt, cum scholasticorum, ut vo»cant, barbaris vocibus litterarum sedes, & sapientiæ sacra»ria personarent, ex ipsis etiam Theologis, qui hanc doc»trinæ partem sub incudem revocarent: ast adeo infeliciter, ut »nullus dubitem, multos in eam ituros sententiam, satius hos»ce homines & sibi, & optimæ arti consulturos fuisse, si hæc »sacra non contrectassent. Qui vero in horum successere lo»cum... subtili, ac spinoso dicendi genere, quæ fere pro»pria illorum hominum laus est, multa juris naturalis excus»serunt capita, sine ordine tamen cuncta tradunt, infirmo, »ac lubrico fundamento, quæ docent, superstruunt, divina, hu»manaque jura miscent, rationum momenta aut plane non, »aut jejuna quandoque, & ridicula afferunt, sæpissime con»tra ad Patrum auctoritatem, & Conciliorum Canones, ad Ro»manorum Præsulum decreta intempestive provocant, &c.

Prop. I. *Prorsus immerito heterodoxis hominibus Grotio, Hobbesio, Puffendorfio, Thomasio, Wolfio, Heineccio, aliisque hæreticis, laus tribuitur restitutæ Jurisprudentiæ naturalis, sive doctrinæ moralis.* II. *In ea autem tradenda scholastici primi subsellii excelluerunt.*

23 Ut ordiamur à Grotio (1), judices damus ipsos heterodoxos. Puffendorfius (2) sic de Grotii opere *de jure belli, & pacis* scribit: *Fatendum est, non pauca ab ipso plane esse præterita, quædam levi dumtaxat brachio tractata, quædam denique admissa, quæ & ipsum hominem fuisse arguerent. Imprimis autem non exiguam nobilissimo operi labem adspergunt, queis passim à receptis orthodoxæ Ecclesiæ* (3) *sententiis diversus abit* ...

(1) Ut neminem sua fraudemus laude, non negamus, opus Grotii *de jure belli, & pacis*, multa erudite complecti, quæ lucem adferre possunt explicationi juris naturæ, & gentium. Sed Grotius ipse in ejusdem op. Prolegom. §. 48. fontes præcipuos indicavit, unde aquarum attigit copiam, doctores nempe scholasticos, quorum fuerat studiosus. Multa tamen eo ipso opere continentur, quæ cum doctrina catholica non cohærent; quare ejus lectio est periculi plena.

(2) In priori Præfat. ad opus de jur. nat. & gent.

(3) Nomine *orthodoxæ Ecclesiæ* Puffendorfius intelligit cœtum Lu-

Conati quidem sunt viri quidam docti e litis ad ipsos libros de jure belli, & pacis *commentariis, his defectibus mederi: quorum unus, & alter operæ pretium fecit non spernendum. Aliis tamen longe utilius judicatum fuit, totam istam materiam denuo incudi subjicere, ac in novam formam refingere.* Salmasius autem (1) de Grotio agens: »In philosophicis, *ait*, si disputandi solertia spectetur, vix mediocribus par est: nec umquam vidi qui minori cum vi ratiocinetur: id quod testantur scripta ejus, quibus Rivetus, & Maresius rescripserunt... »Librum ejus de jure belli, ac pacis refutandum suscepit quidam Professor Almæ Juliæ" (fuit is Seldenus, teste Buddeo) »qui amicis aliquot, quos vidi, affirmavit, se ostensurum esse »nullam paginam vacare insignibus erratis." Accedit Samuel Coccejus (2), qui, *Grotius*, ait, *singulas has species per alias subdivisiones, adhibitis novis terminis, adeo obscuras reddidit, ut totum jus naturæ incertum inde reddatur.* Henricus vero Cocceji Pater Grotium notat (3), *quod mira confusione tam varia Jurium genera fingit, ac cumulat, novisque, atque insolentibus vocabulis involvat; species generi suo opponat, & nova ea genera faciat, nec inter se rite discernat.* Nunc vero quirestitutæ doctrinæ moralis, & naturalis jurisprudentiæ laudem hos mini adscribat, qui *non pauca plane præterivit, quædam levi trac-*

---

theranorum. Vide quam pro sectæ erroribus is fuerit sollicitus. Dogmata Lutheranis adversa continentur opere Grotii; id vero summa erat ratio, ne illud opus manibus tereretur tyronum Lutheranorum; idque Puffendorfium incitavit ad novum opus de jure nat. & gent. cudendum. Hæc cum sint, quanto magis abstinendum Catholicis præsertim tyronibus est à legendis hæreticorum libris agentibus de jure naturæ, & ubique miscentibus hæretica dogmata? Quis autem ferre patienter potest, si audiat eosdem Catholicos in laudes effundi ejusmodi librorum, quasi necessarii sint ad cognoscendas morales naturæ leges, cum tamen vix quidpiam contineant, quod non contineatur accuratiori ordine, & majori perspicuitate, soliditateque doctrinæ in innumeris Catholicorum libris? Deplorari vix satis posset, majori studio Lutheranos pro sectæ erroribus, quam Catholicos pro Fidei puritate incendi. Et nihilominus (proh pudor!) nonnuli Catholicorum, ut eruditionem ostentent, propositiones, quas possent ex Catholicis probare, auctoritate hæreticorum, non ad eos revincendos, sed ad illas demonstrandas, confirmant.

(1) Apud Buddeum in Hist. jur. nat. Tom. 1. Animadvers. Philolog.
(2) In Præfat. ad Grotii edit. an. 1751.
(3) In prodr. jur. gent.

tavit brachio, multa vero erronea complexus fuit; cujus libri tot redundant defectibus, ut *tota materia sit denuo incudi subjicienda, & in novam formam refingenda*, qui *vix mediocribus in disputandi solertia par est*; cujus librorum *nulla pagina insignibus vacat erratis*; qui *totum naturæ jus incertum reddidit, & mira confusione* omnia turbavit, & obscuravit? Atque hæc quidem judicia nostra non sunt, sed Catholicæ Religionis hostium; qui tamen cum de scholasticis Doctoribus, id est, Romanæ, sive Catholicæ Fidei cultoribus agunt, Grotium ipsum extollunt. Judicium nostrum de Grotiano opere jam dedimus (1), addimusque, præter varios, qui in eo continentur, errores, vel ipsum titulum præseferre, vix in eo attingi quæ sunt præcipua juris naturæ; capitibus vero librorum inspectis, statim deprehendi, nullum in iis servari ordinem.

24 Accedimus ad Hobbesium. Eum atheis accenset vel ipse Bælius (2). Lynckerus (3) autem ipsum cum Spinoza comparans, ait: *Uterque in jure naturæ Deum seponit: uterque vires naturales attendit: uterque nullum jus, fasque primævum agnoscit: neuter in ullo statu honestum quid, aut turpe, quod per se tale sit: neuter conscientiam novit.* Dignus plane homo qui hæc docens, doctrinæ moralis, & jurisprudentiæ naturalis restitutor, & non plane eversor habeatur. Qui enim sine Deo, sine animæ spiritualitate, & immortalitate, sine ulla spe retributionis æternæ, sine libertate, sine ulla honestate per se, quæ omnia Hobbesius negabat, ulla potest esse virtus, ullum vitium, ulla moralitas, ullum jus (4)?

---

(1) Not. 2. pag. 17.

(2) In dict. Hist. crit. a. *Hobbes.*

(3) Comment. in Huberum l. 1. cap. 3.

(4) Credi vix posset, quempiam, qui non modo Christianum se, sed Catholicum profiteatur, laudem Hobbesio tribuere potuisse redactæ jurisprudentiæ naturalis *in formam artis.* Nihilominus maxima perculsi admiratione incidimus in propositiones ex Jurisprudentia universa, quas anno 1779. defendendas suscepit Moguntiæ Joannes Richardus Roth, Præside Francisco Antonio Durr. publico juris Professore in Moguntina Universitate, atque hanc numero 8. legimus: *Jurisprudentia naturalis à DD. Protestantibus Grotio primum, tum Hobbesio in formam artis coacta est.* Quænam naturalis jurisprudentia conflari ab atheo poterat, qui omnem libertatem, & intrinsecam actionum quarumcumque honestatem, aut turpitudinem inficiabatur? Eruntne ejusmodi magistri adolescentibus proponendi? Non ita putavit vel ipse Leibnitius

25 In Puffendorfium insurrexerunt Nicolaus Beckmannus (1). Schwartzius, Gesenius, Velthemius, Zentgravius, Scherzerus, Valentinus Alberti, aliique (2), qui Puffendorfium non modo impugnarunt, sed ejus errores plurimos, & quidem gravissimos indicarunt, à quibus omnibus tantum abfuit, ut in Apologia

---

Lutheranus homo: nam in epist. 3. ad Kortholtum tom. 5. opp. pag. 305. loquens de Hobbesio: *is*, ait, *tyronibus noxius.*

(1) Adversus Beckmannum Apologiam sui scripsit Puffendorfius, quam *Eridem*, id est contentationem, *scandicam*, appellavit; est enim contra Beckmannum Academiæ Lundinensis Scandiæ Svecicæ. Omnem superant fidem scommata, & sarchasmata, quibus Puffendorfius in Beckmannum irruit summa illiberalitate. In Præf. quæ Julii Rondini nomine inscribitur, illum vocat *hominem fatuum juxta ac rudem*, *anserem*, *infamem*, *insulsum*, *morionem Ecclesiæ Romanæ*; ut enim refert Bruckerus Hist. phil. tom. 5. c. 4. §. 17. Beckmannus, ejurata hæresi Lutherana, Catholicæ Religioni nomen dedit in Stiria. In ipsa vero Apologia Puffendorfius illum appellat *nebulonem rudem*, *& improbum*, *asinium tenebriorem*, quo passim vocabulo illum indigitat, *nigrum calumniatorem*, *nigræ scholæ primipilum*, *nigri magistri nigrum discipulum*, *nigræ scholæ tyronem nigrum*, *calumniatorum omnium antesignanum*, *vel potius orci aut inferni monstrum*, *monstrorum omnium teterrimum*, *impurissimum nebulonem*, *nequissimum sycophantam*, *infame caput*, *stolidum furciferum*, *animal insociabile.* Plurimisque aliis cum ibi, tum in Appendice, & in epist. ad amicos additis contumeliis, denique in eadem Apol. §. 37. concludit: *Perge igitur invidia æstuare*, *furcifer*, *angere noctes diesque*, *excoque infidum istud pectus*, *pallesce*, *exaresce*, *à laqueo demum vesaniæ tuæ remedium pete*, *ut ista impura anima per dignam se portam triumphalem exitum inveniat.* Quis hominem impolitiorem, inhumaniorem, agrestiorem, furiisque vehementioribus agitatum, umquam vidit? Fuerit Beckmannus rusticus, agrestisque ingenii ac moris, an propterea, non dicam Christiani, & quidem severioris Moralis, qualem se Puffendorfius jactabat, sed liberalis, & honesti hominis erat tot conviciis illum onerare, ac pene obruere? Hi sunt præclari morum magistri? hi moralis doctrinæ restitutores? hi inquam, qui & ipsis hæreticis minus inurbanis stomachum movent? Vide Leibnitium Epist. 33. Tom. 6 Hos Sanctissimis Ecclesiæ Patribus audet Barbeyracus præferre? Hos Catholici etiam nonnulli ut oracula consulunt? O tempora, ò mores? Nunc credat qui vult Puffendorfio in præfat. ajenti paratum se *& refellere fine pertinacia*, *& refelli sine iracundia.* Nam ipse factis ostendit, neminem se fuisse in tuendo pertinaciorem, atque iracundiorem in refellendo.

(2) Ita refert Gottefridus Mascovius in epist. ad Lectorem præmissa operi Puffendorfii de jure nat. & gent.

ille se purgarit, quin eorum præcipuos magis ac magis confirmare fuerit conatus. Quapropter & Leibnitius (1) in illum insurrexit, & Academiæ Jenensis, & Lundinensis, jus naturæ Puffendorfii *monstrosum* dixere; ipsum vero damnarunt *uti Novatorem, & Academicæ juventutis corruptorem* (2). Et merito quidem, nam, ut cætera prætermittamus, quorum nonnulla tangemus infra, Puffendorfius in ipsa operis priori Præfatione: *Religio*, inquit, *quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet, intra sphæram hujus vitæ terminatur.* Et infra (3): *in disciplina juris naturalis, hoc modo adornata immortalitas animæ non negatur, sed dumtaxat ab eadem abstrahitur.* Et paulo ante: *nondum liquido est probatum, quodlibet recte factum necessario aliquo præmio velut extrinseco esse mactandum.* Quò tendant hæ propositiones, & quo ex fonte prodierint ostendit Mascovius (4). Æque absurda sunt quæ docet, cum ait (5): *finis disciplinæ juris naturalis tantum ambitu hujus vitæ includitur; adeoque ea hominem format, prout hanc vitam cum aliis sociabilem exigere debeat.* Et insuper (6): *quia forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupatur: ad ea autem quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum, aut signum foras producunt, non penetret, adeoque nec circa eadem sit sollicitum; jus naturale magnam partem circa formandas hominis exteriores actiones versatur.* Addit vero moderationem actuum internorum pertinere ad Theologiam moralem, quæ revelatione nititur; quasi is, qui nihil audivit de Fide, moderari actus interiores minime teneatur, nec ei peccata cordis imputentur

(1) In epist. ad Molanum, quam Boehmerus Programmati cuidam suo inseruit; & habetur etiam in calce operis Puffendorfii de officio hominis, & civis, cum examine Barbeyraci.

(2) Julius Rondinus in Præfat. ad Eridem scandicam Puffendorfii.

(3) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 3. §. 19.

(4) Loc. cit. » Depravatum, inquit, & hic judicium Auctoris lec-» tione Hobbesii videtur... Nam si vel possibilis tantum esset animæ » immortalitas, rationem ejus haberi in jure naturæ nostra intererat, » quia per eam adstringitur obligatio interna, qua Dei reverentia in » officio continentur homines: tantum abest, ut in tanta gravissimo-» rum argumentorum copia, omissis palmariis, elevatis cæteris, ani-» mæ immortalitatem tamquam sententiam minus necessariam semo-» vere deberet.“ Mirum non erit, si quis tales frequentans libros, talibus delectetur sententiis.

(5) In Præfat. operis de offic. hom. & civ. §. 6.

(6) Ibid. §. 7.

ad culpam. Sic autem docere Puffendorfius debebat, postquam fundamentum primum juris naturalis in *socialitate* constituerat, atque proinde à jure naturali ablegarat officia hominis erga Deum, & erga seipsum. Hæc nunc attigisse sufficiat, de quibus diligentius infra. Amabo vos: hisce principiis nixum Puffendorfii opus, dicine potest exquisitum, egregium, perfectum, & plane singulare, uti nonnuli ajunt; & non potius exitiosum, pestiferum, venenatum, ac plane impium?

26 Puffendorfii errores suis cumulavit Thomasius (1). Horret animus percensere propositiones, quas Thomasius publice disputandas proposuit anno 1694. excerptas ex suis Institutionibus, propositasque instar professionis fidei. Præcipuæ sunt: *Credo quod disputationes de justitia commutativa, & distributiva, universali, & particulari, sunt grilli* (2) *inutiles.* = *Credo, quod ex ratione demonstrari non possit, Deum externo cultu esse prosequendum* (3). = *Credo quod falsiloquio uti aliquando liceat, immo præceptum sit.* = *Credo quod meris rationibus naturalibus non possit demonstrari, omnem concubitum libidinosum, etiam ad bestialitatem qui pertinet* (4), *aut concubinatum, aut lenocinium esse prohibitum* (5). = *Credo, quod*

(1) De Christiano Thomasio scribens Bruckerus Hist. Phil. tom. 5. c. 9. §. 19. „Reprehendunt, inquit, ingenium ad satyram quasi natum, & mordaci dicacitate in quoscumque non sine amaro risu insurgens, qui paradoxis, & novis adsertis subscribere noluerunt... Addunt, valde favere scepticis... favere autem naturalismo, quem vocant, & Religioni revelatæ interdum officere; scatere libros ejus excerptis Atheorum, Scepticorum, Naturalistarum, Socinianorum... plura diruere eum, quam ædificare, & omnem Religionis Christianæ vim ad ratiocinia quædam moralia, gratiam ad naturam revocare." Hæc Bruckerus & ipse Lutheranus homo.

(2) Equidem egregie. Atque hi homines barbariem scholasticis exprobrant; cum nemo tamen plusquam ipsi inculte, & horride scripserit. Quo in genere Thomasius cæteris antecellit.

(3) Puffendorfius, ut dictum est §. 25. docuerat, ad jus naturæ interiores actus non pertinere. Thomasius nunc addit, neque externum Dei cultum ex ratione, sive naturali jure demonstrari. Præclari juris naturæ magistri, qui non deismum, & naturalismum tantum, sed & atheismum fovent.

(4) Vere plusquam *bestialis* homo: nam & bestiæ cum aliis bestiis diversæ speciei vix congrediuntur.

(5) De concubinatu agens Thomasius l. 3. Fund. jur. nat. & gent. c. 11. n. 27. *Quod vero*, inquit, *ad species scortationis fuerit relatus,*

polygamia etiam virilis (*hoc est, unius fœminæ cum pluribus viris*) *mero jure naturæ non sit interdicta* (1). = *Credo quod nullus incestus juri naturæ repugnet* (2). Videte, qualibus fidei actibus is homo non tam catholicam fidem, quam se ipsum deridendum proposuit, erexitque non juris naturalis, sed impudentiæ, libidinis, & scortationum cathedram (3). Quid autem sperandum ab eo, qui Epicuri systema restituere totis conatus fuit viribus (4), quique nullam agnovit intrinsecam hominis libertatem (5)? Hac autem negata, corruat necesse est quæcumque moralitas: nam quomodo is erit laude, aut vituperatione dignus, qui cæca ducitur necessitate (6)? Thomasius ergo in duplici opere suo de jure naturæ, & gentium (7), non modo

---

terum debetur Clero Pontificio, qui, ut diximus, omnia dicebat scortationem, cui non accesserat benedictio sacerdotalis. Itane vero? Itaque concubinatus est species scortationis, quia sic visum est *Clero Pontificio.* Lutherani autem, cæterique heterodoxi ad Clerum Pontificium non pertinent. Apud ipsos ergo concubinatus non est species scortationis. Licebit igitur extra Romanam Ecclesiam concubinas habere. Ubinam vero Catholici docuerunt, *omnia esse scortationem, cui* (non videmus *τὸ cui* quo referatur. Sed hæ sunt elegantiæ Thomasianæ) *non accesserit benedictio sacerdotalis*; cum etiam post Concilium Tridentinum, matrimonia clandestina in iis locis in quibus ejus decretum quo declarantur irrita, non fuit promulgatum, sint vera matrimonia, etsi nulla accedat benedictio sacerdotalis.

(1) Idem Thomasius in Program. an. 1691. memorata hac sua sententia, & turbis excitatis adversus Puffendorfium ob ea quæ de polygamia muliebri in utramque partem disseruerat: *Hujus*, inquit, *temporis felicitas eam mihi* (propugnanti polygamiam etiam virilem) *quietem præstitit, ut hac de causa publico scripto impeterer à nemine.* Deploranda felicitas, & omni lethargo pejor, indicans magnos apud Protestantes factos brevi tempore in licentia, atque impudentia progressus, ad quos ne ipsi quidem ethnici pervenerunt.

(2) Ne quidem excipit incestum patris cum filia, & matris cum filio, quem natura ipsa abhorret & barbaræ nationes exhorrescunt.

(3) Hæc cum sint, nihilosecius D. Dur. in cit. prop. Moguntinis Thomasio laudem adscribit coactæ jurisprudentiæ naturalis in formam systematis æmulam.

(4) Vide Finetum de Princ. jur. nat. & gen. l. 1. c. 9.

(5) Ita aperte docet Fund. jur. nat. c. 1. §. 66. seqq. *Voluntas*, inquit, *intrinsece nullam libertatem, id est, nullam electionem liberam, & indifferentem habet.*

(6) Vide quæ diximus Tom. 5. §. 1083.

(7) Alterum inscribitur: *Institutionum jurisprudentiæ Divinæ li-*

jus naturale vastavit, sed omnino delere studuit, ut loco ejus omne libidinum genus surrogaret (1).

27 Ad Wolfium devenientes, qui quidem videtur esse cæteris moderatior, is, si Langium audimus (2), moralem doctrinam à fundamentis evertit, cum ipsam super struxerit *atheismo* (3),

---

bri tres, in quibus fundamenta juris naturalis secundum hypotheses illustris Puffendorfii perspicue demonstrantur. Alterum: *Fundamenta juris naturæ, & gentium ex sensu communi deducta, in quibus ubique secernuntur principia honesti, justi, & decori.* An talia sint quæ ex ipso descripsimus, vel cæci vident.

(1) Dogmata Lutheranorum sunt, Christum Dominum non esse datum hominibus ut Legislatorem; nec quidquam præter fidem in Evangelio esse præceptum, aut prohibitum. Quapropter Tridentina Synodus sess. 6. can. 19. definivit: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut præter Decalogi præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.* Et can. 21. *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.* Lutheranorum errores refricans Thomasius cautel. tom. 2. c. 8. §. 16. de Christo docet: *nec legislatorem umquam egit, sed Doctorem veritatis maxime salutaris.* Et §. 19. statuit, nec Apostolos umquam legislatores egisse; neque proinde ullam esse in Ecclesia potestatem legislativam. Videte nunc nequissimi hominis artem. Statuit ipse, rationibus naturalibus non posse demonstrari, falsiloquium, libidinosum concubitum, etiam ad bestialitatem, concubinatum, lenocinium, polygamiam etiam virilem, incestum, esse jure naturæ prohibita. Aliunde lege Evangelica prohibita esse non possunt ex ejus, cæterorumque Lutheranorum principio, quia Christus, & Apostoli numquam legislatores egerunt. Igitur ex Thomasio, neque falsiloquium, neque libidinosus concubitus etiam ad bestialitatem, neque concubinatus, neque lenocinium, neque polygamia etiam virilis, neque incestus, sunt ulla lege interdicta. Quod autem nulla lege interdictum est, licite fieri potest. Ea igitur flagitia omnibus licita erunt. Hac fortasse de causa Lutherus polygamiam indulsit Langravio Hassiæ. Vide Bossuetum *Defen. de la hist. de les variat.* §. 56. Si hæc expendisset Basnagius, abstinuisset utique à defensione Lutheri, quod fuerit ad eam dispensationem vi inductus. Nam Lutheranismi principia ex Thomasii observationibus polygamiam licitam faciunt.

(2) In caus. Dei adserta adv. Atheos & Pseudophil. sect. 2. memb. 6.

(3) Langio non assentimur, cum Wolfii demonstrationem existentiæ Dei impetit. Fuerit hæc minus efficax, non propterea Wolfius ad atheos declinavit. Haud tamen probare in Wolfio possumus tum ni-

naturalismo (1), *& fato fatuo* (2). Ejus methodum in tradenda morali scientia absonam esse, & omnino improbandam, pluribus, & ad oculum ostendit Daniel Concina (3), & ex ipso Desingus (4), Schmausius (5), & Finetus (6). Sed quod caput est, ipsemet Wolfius systema amplectitur, quod purum putumque redolere Epicureismum videtur. Nam agens de principio regulante actiones liberas, quod fœcundissimum appellat in Philosophia practica, illud reponit in usu sensuum corporis, & facultatum animæ; ita ut *qui actiones suas liberas determinat per easdem rationes finales, per quas naturales determinantur, legem naturæ servet; qui vero eas determinat per rationes di-*

---

mium studium infirmandi aliorum argumenta ad Dei existentiam demonstrandam; tum ejus adsertio, qua statuit apud eumdem Langium loc. cit. sect. 1. memb. 2. *atheismum esse per se bonis moribus, & Reipublicæ innoxium; & solum abusum atheismi ad pravam vivendi rationem ducere posse; nullo autem modo illum per se.* Quæ certe atheis favent, & atheismum ut *bonum* efferunt: nam quis *abuti* nisi *bono* potest? non enim abutimur malis, quæ ipsa sunt *abusus.* Illud etiam ferri in Wolfio nullo modo potest, quod apud eumdem Langium confert abusum atheismi cum abusu Christianæ Religionis, inquiens: *quemadmodum novimus, Christianæ Religionis veritates ab iis, qui in ignorantia, & errore circa bonum, & malum versantur, ad fovenda delicta trahi.* Qua comparatione nihil esse potest indignius. Sed hac de re infra.

(1) Non de alia felicitate Wolfius, cæterique Germani Protestantes, qui de jure naturæ scripserunt, ubique loquuntur, quam de hujus vitæ felicitate.

(2) Systema totum Wolfianum nixum harmonia præstabilita, ad fatalismum tendit. Vide quæ diximus Tom. 5. §. 1001. seq. Nec satis est quod ait Thummigius in Præfat. Inst. Phil. pract. Wolfianæ in ea sumi animam, & corpus, ac si in se mutuo influerent; hæc est enim suppositio, quam tamen falsam esse Wolfius docet. Quare vel Philosophia practica Wolfii falsa nititur suppositione; vel harmonia præstabilita, falsa est.

(3) Theol. Christ. Tom. 6. diss. Proleg. c. 6. ubi multis demonstrat exemplis petitis ex Wolfii libris moralibus, methodum Wolfianam non modo non esse scientificam, sed esse plane nugacem.

(4) In diatrib. circa meth. Wolfian. in Philos. pract. univers.

(5) Hist. jur. nat. §. 39.

(6) De princ. jur. nat. & gen. l. 1. cap. 10 ubi Formey primam describit regulam ad fructum colligendum ex Wolfii operibus: *Cum quis*, inquit Formeyus, *lectionem operum hujus Philosophi aggreditur, oportet, ut abs se removeat omnia quæ ad illud usque tempus*

versas ab iis, per quas determinantur naturales; legem naturæ transgrediatur (1). Quæ sane Epicureismum sapiunt, ut infra ostendemus; idque deducitur ex ipsis Wolfii propositionibus, quas inde infert, nimirum (2): *operam dare tenemur, ut omnem molestiam quantumlibet exiguam evitemus.* Et insuper (3): *Homo obligatur ad vitam jucunde transigendam.* Et præterea (4). *Homo obligatur ad pulchritudinem naturalem conservandam. Imo ad pulchritudinem artificialem non negligendam, & ad ea, quæ ad pulchritudinem artificialem faciunt* (5).

28 De Heineccio dicimus primum, Elementa juris nat. & gen. ab ipso edita, si attente legantur, animo à præjudiciis

---

legit, didicit, ac meditatus est; adeoque ad hanc Philosophiam adferat spiritum, ut ita dicam, omnino novum, liberumque ab omni alia idea. Iniqua sane conditio, qua etiam servata, quid capies emolumenti ex operibus hujusce Philosophi qui communes ideas est dedignatus?

(1) Phil. pract. §. 155. Cum finis per quem determinatur naturalis actio generativa, sit propagatio speciei, & prolis generatio; si valeret Wolfianum principium, quicumque actionem liberam determinaret per hanc rationem finalem, sive esset per legitimum matrimonium, sive per fornicationem, incestum, aut concubinatum, legem naturæ servaret, & ille tantum transgrederetur naturæ legem, qui frustraneam redderet generationem. Præterea cum organa à natura parata ad generandum, sint naturaliter ad eumdem finem determinata, qui per actionem liberam eligeret servare castitatem, transgrederetur legem naturæ, quia determinaret actionem illam liberam per rationem diversam ab ea, per quam determinatur actio naturalis. Hæ consequutiones sua sponte fluunt ex Wolfiano principio.

(2) Loc. cit. §. 451. (3) Ibid. §. 471. (4) Ibid.

(5) Hæc quam sint perniciosa, vel me tacente, quisque videt. Peccaret enim contra naturæ legem quisquis non caveret omnem molestiam, quamlibet exiguam; quisquis vitam minus jucunde transigeret; quisquis naturalem, & artificialem pulchritudinem non curaret. Essent igitur rei violatæ legis naturalis Christiani omnes, qui jejuniis carnem macerant; qui flagris se cædunt; qui naturalem venustatem nihili faciunt; qui à conquirenda ficta venustate abhorrent. An ergo Christus nos docuit transgredi naturæ legem, cum ait Matt. 5. v. 5. *Beati qui lugent.* Et Luc. 6. v. 25. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis?* An Apostolus eamdem legis transgressionem docuit scribens ad Gal. 5. v. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis?* Ad quænam reservati sumus tempora, ut ii qui Epicureismum docent, aperteque impugnant doctrinam Christi, habeantur ab ipsis christianis tamquam egregii doctrinæ moralis magistri!

libero, nihil ferme continere, quod non reperiatur in quovis morali libro, etiam in ipsis casuistis. Deinde si vel ipsa Præfatio operis legatur, invenietur, Heineccium negasse omnem intrinsecam justitiam, & injustitiam sive honestatem, & turpitudinem actionum humanarum; ita ut nulla actio justa, aut injusta dici possit, nisi quia Deus voluit, illam esse justam, aut injustam (1). Quod principium quam sit pestiferum, infra demonstrabimus.

29 Ex hisce autem paucis quæ animadvertimus, aliisque multis quæ data occasione dicemus, evidentissime constat, præcipuos juniores Philosophos morales è Protestantium grege, qui veluti oracula in hoc scientiæ genere proponuntur, pessime de morali doctrina esse meritos, tantum abest, ut ejus fuerint restitutores. De ipsis, ac cæteris usque ad annum 1757. quo signata est Præfatio Heineccii ad Elementa de jur. nat. & gen. sic idem Heineccius ibid. scribit: *Quicumque adhuc* (neminem omnino excipit) *in pulcherrima illa disciplina versati sunt, illi doctrinas suas vel nulli certo, & indubio principio superstruxerunt, veritates varias, easque utilissimas veluti uno fas-*

(1) Sic scribit in Præfat. Elem. jur. nat. & gen. » Nullum, *inquit*, » reperiri principium (*juris naturæ*) evidentius existimo, quam . . . vo» luntatem Dei. Quamvis enim plerique hodie veterem illam scho» lasticorum doctrinam de naturali actionum bonitate, & justitia . . . » in lucem revocare malint: ego tamen perspexisse mihi videor, es» se quidem actiones in se, & sua natura bonas: at justas illas dici » non posse sine jure, nec jus intelligi sine lege (*ignorabat is legem* » *Dei æternam, vel potius putabat esse scholasticorum commentum*), » nec legem sine legislatoris voluntate concipi posse; adeoque boni» tatem actionum naturalem posse illam quidem hominem, qui rectæ » rationi, quam cupiditatibus suis obtemperare malit, obligatione qua» dam interna, ad bene agendum impellere, verum non tamquam » legem, sed tamquam consilium aliquod, quod qui non sequitur, » imprudenter quidem, at non injuste egisse videri potest.“ Si quis ergo fidem conjugi servet, ab homicidio, à furtis, à perjuriis &c. se contineat, ob naturalem bonitatem ejusmodi continentiæ, & ob naturalem malitiam oppositarum actionum, malitque potius rectæ rationi, quam cupiditatibus suis obtemperare, consilium quidem bonum exequetur, prudenterque aget, sed non juste; & imprudens quidem erit, minime vero injustus, qui non sequens rectam rationem, & malens suis cupiditatibus obtemperare, adulteriis, homicidiis, furtis, perjuriis se polluit. Peregrina dogmata, & Heineccii eruditione digna.

ce, collegisse contenti, vel principia parum idonea admiserunt, vel ea denique tam longe ex subtilissimis, quas Metaphisica suppeditat, notionibus petierunt, ut data veluti opera tenebris omnia involvere voluisse videantur. Huc tandem recidunt Grotiana, Puffendorfiana, Thomasiana, Wolfiana, aliorumque recentiorum conamina ad Heineccii ætatem, ut omnia sint uno fasce collecta, nulli certo principio super structa, mixtaque principiis parum idoneis, & data opera tenebris obvoluta. Magnus sane progressus!

30 Sed Heineccius fortasse palmam tulit? Nihilo minus. In ipsum insurrexit Kemmerichius (1). Schmausius vero (2) recentissimus scriptor contendit, universos qui ante ipsum de jure naturæ tractarunt, scopum non attigisse. Imo Samuel Coccejus, qui anno 1751. scribebat (3); *Disciplinam*, inquiebat, *juris naturalis, etsi simplicissimis, nobisque innatis constat principiis, adeo intricatam reddidere illi, qui de jure dicto scripserunt, ut ipsa existentia ejusmodi Juris pluribus suspecta visa fuerit.* En quò devenerunt conatus recentium Juristarum, quos memoravimus, quique celebrantur veluti naturalis jurisprudentiæ restitutores, ut incertam redderent ipsam existentiam juris naturalis, & in naturalem jurisprudentiam scepticismum inducerent (4).

31 Nunc autem scholasticorum agenda est causa, paucis tamen. Ac ne judicis partes in causa propria sustinere videamur, judices de controversia sumimus ipsos Philosophos recentiores, præsertim heterodoxos. Grotius (5): *Scholastici*, inquit, *quantum ingenio valeant, sæpe ostendunt: sed in infelicia, & artium bonarum ignara secula inciderunt* (6), *quo minus mirum, si inter multa laudanda, aliqua & condonanda sint. Tamen*

(1) Elem. jur. nat. & gen. p. 1. l. 2. c. 10. §. 3.

(2) In syst. jur. nat.

(3) In diss. proem. ad Grotium XII. l. 1. c. 3. §. 32.

(4) Bonnetus recentissimus scriptor conqueritur *Palingénésie Philosophique Tom. 2. par.* 13. in omni quidem artium, & scientiarum genere egregios prodiisse Tractatus, nullum vero extare hactenus *systema morale*, quod satis probari possit.

(5) Proleg. de jur. belli, & pac. §. 52.

(6) Id plane negamus. Vide quæ diximus tom. 1. pag. 78. in not. & pag. 492. seq. in not. Grotius ipse quod habet boni, accepit à Scholasticis, nimirum à S. Thoma, Cajetano, Victoria, Covarruvias, aliisque. Morhofius Tom. 2. Polyhistoris l. 1. c. 14. §. 41. agens de nostro

ubi in re morum consentiunt, vix est, ut errent (1): *quippe qui perspicaces admodum ad ea videnda... quæ in aliorum dictis reprehendi possunt: in quo ipso tamen diversa tuendi studio laudabile præbent modestiæ exemplum, rationibus inter se certantes, non, qui mos nuper adeo litteras inquinare cœpit, convitiis, turpi fœtu impotentis animi* (2). Leibnitius autem (3): „Scholastici, *ait*, curarunt, pro Christiana Religione utiliter „impendere quod in Ethnica Philosophia alicujus poterat esse „usus. Sæpe dixi, *aurum latere in stercore illo scholastico „barbariei*; & cuperem reperiri hominem posse versatum in hac „Hiberna, & Hispana Philosophia; propensum, atque aptum „ad eruendum ex ea quod habet boni. Sum enim certus, „laborem ejus compensatum iri detectione plurium veritatum „pulcherrimarum, magnique momenti.“ De Wolfio affirmat Formeyus (4), ex Scholasticis multa accepisse tamquam ex *primariis fontibus*. Quod idem de cæteris post Grotium dicendum est, qui omne quod boni habent acceperunt à Grotio, Grotius vero à scholasticis. Ipsemet Buddeus, qui scholasticos despiciebat, rei veritate coactus: *Qui vero*, inquit (5), *in ho-*

Francisco à Victoria: *Sunt*, inquit, *qui eo usum fuisse Grotium in multis autumant, quamquam raro ille allegetur.* Idem possemus ostendere de operibus nostri Chrysostomi Javelli de Ethica Platonis, & Aristotelis, & de Civili Christiana Philosophia. Hic est frequens hæreticorum mos, uti sæpissime laboribus Catholicorum, sibique illos adscribere, ne citatis quidem eorum nominibus, imo collatis in eos maledictis, à quibus tamen Grotius abstinuit.

(1) Numquam errarunt scholastici in iis, in quibus consensere; imo magnæ temeritatis est, ea velle in dubium revocare. Vide Canum de loc. Theol. l. 8. c. 5.

(2) Is ferme omnium heterodoxorum mos est, qui cum ratione pugnare adversus Catholicos non possint, se armant conviciis.

(3) Tom. 5. epist. 3. *Les Scholastiques ont tâché d' employer utilement pour le Christianisme, ce qu'il y avoit de passable dans la Philosophie des Payens. J'ai dit souvent*, aurum latere in stercore illo scholastico barbariei (putares Leibnitium in scribendo fuisse imitatum Ciceronem, Cæsarem, Livium, cum tamen & ipse barbarus sit); *& je souhaiterois qu'on pût trouver quelque habile homme versé dans cette Philosophie Hibernoise & Espagnole, qui eût de l'inclination & de la capacité pour en tirer le bon. Je suis sûr qu'il trouveroit sa peine payée par plusieurs belles & importantes verités.*

(4) In ejus vita præfixa Compendio Wolfiano *juris naturalis* Gallice edito. (5) Loc. cit.

rum (antiquiorum scholasticorum) *successerunt locum, ejusdem disciplinæ alumni aliquanto recentiores industriam profecto, & ingenium ad hanc scientiam excolendam, quod non diffiteor, attulerunt... multa juris naturalis excusserunt capita.* Si multa excusserunt capita, & ingenio, ac industria valebant: quæ causa erat, cur omnino despicerentur, veluti ignorantium hominum turba? Accedit Valthemius Professor Jenensis in orat. Jenæ habita *de laudibus scholasticorum*, in qua adversus Puffendorfium scholasticos de nugis accusantem: *Vos*, inquit, *venerandi mei Præceptores Theologi, vos, inquam, rogo vos, obtestor, eloquamini, per Deum eloquamini, an Moralistarum Princeps Thomas... Metaphysicorum Papa Suarez... nugas dumtaxat venditaverint.* Quibus nihil nisi verba, habuit Puffendorfius quod responderet (1).

32 Inter Scholasticos autem veluti sol effulsit S. Thomas, cujus profunditatem ingenii cum Demosthenis profunditate comparat vel ipse Morhofius (2). Quam excelluerit Aquinas in doctrina morum, atque in ipsa Jurisprudentia, testes sunt ejus opera, quæ tamen erudituli plerique omnes vel numquam legerunt, imo fortasse ne viderunt quidem, vel si legerunt, minime intellexerunt. Franciscus Vargas Hispanorum longe clarissimus, de Thoma loquens: *Is*, inquit (3), *ut in omnibus aliis, quæ ad Moralis Philosophiæ cognitionem pertinent, adeo semper fuit diligens explorator veritatis, ut nihil abditum, nihil remotum, nihil obscurum esse permiserit; sed omnia exposita, prompta, ipsa denique luce clariora fecerit. Huic uni in sapientiæ studiis plus debeo, quam infinitis Jurisperitorum verbosis commentariis: nude, breviterque veritatem exponit; & omissa inani auctorum, opinionumque citatione, solida via incedit, rationibusque invictis per omnes adversitates viam sibi, aliisque sternens... Nolui D. Thomæ nomen... subticere.... tum ut mea augusto ejus nomine magis probentur; tum ut omnes adhorter ad Virum illum cognoscendum, qui non Physicis magis & Theologis, quam Jurisperitis est necessarius: qui si eum le-*

(1) De novitat. Phil. c. 2.

(2) Polyst. tom. 1. l. 2. c. 1. §. 45. *Ex hoc genere*, ait, *inter antiquos Demosthenes, Virgilius, Thomas Aquinas fuere: atque is posterior eam ob causam Bovis nomine appellatus fuit. Solent illi profunda disciplinarum omnium penetrare, in civilibus solida instructi esse prudentia.*

(3) De Episcop. jurisdict. & Pontif. Max. auctor. confir. 2.

gissent, intellexissentque, Deus bone, quantum ignorantiæ, quantumque turpis erroris è libris suis, atque animis eximere potuissent! sed longius me avexit studium, quo in D. Thomam non affectus modo sum, verum totus etiam ardeo flagroque. Ita magnus hic vir, jurisque peritissimus, qui ad Tridentinam Synodum, & ad Pium IV. R. P. Orator missus, incredibilem sibi laudem eruditionis peperit.

33 Ne vero quis Virum hunc in Scholasticorum referat censum, adeatur & ipse Grotius, qui Benjamino Maurerio roganti ab ipso rationem studii utiliter impendendi in Morali doctrina ita rescripsit (1): *Neque pœnitebit, ex scholasticis Thomam Aquinatem, si non perlegere, saltem inspicere secunda parte secundæ partis libri, quem Summam Theologiæ inscripsit, præsertim ubi de justitia agit, ac de legibus.* Quæ sane commendatio maxima est in ore ejus qui tamquam restitutor naturalis jurisprudentiæ ab ipsis Recentioribus celebratur. Non dissentit Georgius Paschius (2) qui post vocatas lectiones Ethicas S. Thomæ, *opus doctum, & utile*: „Præstabit, *inquit*, non „contemnendum usum ejusdem Thomæ Summa Theologiæ, & „in primis secunda secundæ, ut vocatur, qua de rebus practicis tam ampla doctrina continetur, ut viri ingenium, & „judicium mirari satis non possimus“, Gabriel autem Naudæus (3) S. Thomam ait esse in Ethicis *omni laude, & commendatione majorem, & nihil non docte, ac sapienter protulisse* (4).

34 Hoc autem etsi immortalis sit laudationis genus, nullo modo conferendum est cum laudibus, quibus Angelici Præceptoris doctrinam Ecclesia Catholica, summique Pontifices exornarunt; atque novissime SS. D. N. Pius VI. in ea allocutione, quam habuit anno 1777. in Comitiis Generalibus Ordinis Prædicatorum. Sic enim paucis complexus est Pontifex doctissimus universas Thomæ laudes: *Thomas Aquinas sol doctrinæ, & Theologorum Antesignanus jure fuit appellatus, cum nihil nisi è sacrarum Litterarum, Patrumque consensu asserat: ac quidquid scripsit meruerit (ut pie fertur) divina voce confirmari: proindeque Prædecessores nostri eximiis præconiis commendarunt tamquam Christianæ Religionis Clypeum, firmumque Ecclesiæ Præ-*

(1) Epist. 54.
(2) Introduct. in rem litterar. moralem veterum sapientiæ Antistitum c. 2. §. 12. (3) Bibliographiæ Politicæ pag. 20. & 36.
(4) Vide nostrum Touron. Vide S. Thom. l. 5. c. 13.

sidium. Blaterent heterodoxi; in Pio loquente Catholici universi Petrum, Christumque ipsum loquentem venerantur.

35 Ad primum respondemus, Puffendorfium vel nullum legisse scholasticum scriptorem doctrinæ moralis, vel si legit, impudenter fuisse mentitum. Qua enim fronte adserere potuit, eorum neminem in tam multis quæ docent de moralitate actuum humanorum, de virtutibus, & peccatis, deque eorum distinctione, malitia, gravitate, de animi passionibus, de legibus, de conscientia, deque aliis innumeris ad hominum officia pertinentibus, nullo certo niti fundamento, aut hypoteses habere substractas? Hæcne à Jurisconsultis illi sunt mutuati; an vero contra Jurisconsulti ab illis accepere? Quæ ad leges civiles pertinent, utique ex jure civili, exque iis qui civile jus explicarunt, sumpserunt; sed quonam alio ex fonte accipere debebant? an fingere novas debebant leges Reipublicæ Platonis, aut civitatis folis Campanellæ?

36 Tantum autem ingenii non habuit Puffendorfius, aut potius noluit habere, ut distingueret quæstiones de regulis doctrinisque moralibus universalibus à *casibus*, quos vocant, *particularibus*. Quod nonnulli *casus* à *Casuistis* quibusdam *laxioribus* resolvantur frivolis ratiunculis, ultro concedimus; nec fieri aliter poterat: nam laxæ opiniones validis rationibus destituuntur, alioqui laxæ non essent. Sed quo duro ore, scholastic universi ad *Casuistarum laxiorum* ordinem rediguntur? Nonne apud *Casuistas saniores* & ipsi *casus* optimis rationibus resolvuntur? De allegatis, quod ait, similium scriptorum legionibus, *Casuistis* præsertim *laxioribus* convenit, qui cum validis rationibus suadere non possint, auctoritate aliorum *Casuistarum* æque laxorum pondus addere opinionibus putant suis. Cæterum quis hunc scriptores catervatim allegandi morem vidit umquam in operibus S. Thomæ, S. Bonaventuræ, B. Alberti M. S. Raymundi, Alensis, Scoti, Paludani, S. Antonini, Banesii, utriusque Soti, Natalis Alexandri, aliorumque *Moralistarum* primi subselli? Puffendorfius ergo, ut invidiam scholasticis creet, defectus quorumdam *Casuistarum* omnibus scholasticis attribuit (1).

(1) Hoc est in heterodoxorum more positum, totam proscindere Catholicam Ecclesiam ob defectus quorumdam Catholicorum, quos eadem Catholica Ecclesia damnat. Sed quid in Catholicis reprobat Puffendorfius Auctorum citationes, cum hæretici, præsertim Lutherani, toti sint in congerendis eorum Sectæ scriptoribus? Quo in genere cæteros præeunt Thomasius, & Buddeus, qui magnam in iis citationibus eruditionis suæ partem collocant.

37 Quod autem vix ulla sit quæstio, in qua scholastici in partes non abeant, falsissimum est, si de capitalibus quæstionibus sit sermo: in iis enim mirifice conveniunt (1). Si autem sermo sit de quæstionibus quæ *casus* peculiares respiciunt, mirum esse non debet. 1. quidem quia cum *Casuistæ* alii sint *laxiores*, alii *saniores*, oportet, ut opiniones eorum diversæ sint. 2. quia cum in moralibus sequamur verisimilia in *casibus particularibus*, quod uni verisimile videtur, non videtur alteri, indeque oritur opinionum diversitas. Quanta diversitas est inter sententias Grotii, Puffendorfii, Thomasii, Heineccii, aliorumque Recentiorum? Et hi ergo exibilandi sunt, si valet Puffendorfii ratio.

38 Mentitur autem is, cum ait, Catholicorum Doctorum arcanam rationem esse, moderari conscientias hominum sola auctoritate Sacerdotum. Hi enim auctoritate quidem conscientias regunt in iis quæ ad fidem spectant, sed auctoritate Scripturarum, Traditionum Ecclesiæ Catholicæ, Romanorum Pontificum, quibus in Petro data fuit potestas pascendi oves. In iis vero quæ naturali ratione probari possunt, ratione conscientias regunt, sed ratione tamen, quæ revelatione juvatur; imo nec quavis ratione: nam *probabilioristæ* docent, ut lipp's, & tonsoribus notum est, non licere sententiam sequi, quæ probabili ratione fulciatur, si opposita sententia nitatur ratione probabiliori. Nihil ergo aliud impia verbositate sua Puffendorfius confecit, quam odium ostendere, quo catholicos scriptores, Catholicamque Ecclesiam prosequebatur.

39 Ad secundum respondemus, Thomasium insignem esse calumniatorem. Proferat dogmata à scholasticis catholicis invecta *ad incrementum Papatus, & Clericatus, ut supprimerent auctoritatem Principum, & Ordinum Politicorum.* Catholici Principes, Catholicique Magistratus nihil tale in illorum operibus reperere. Experti autem sunt turbationes rebellium heterodoxorum. Quid ille provocat ad libros Catholicorum, cum hæreticorum facta prædicent, nihil esse iisdem hæreticis familiarius, quam insurgere in legitimas Potestates? Catholici à Christo edocti, sciunt, ac docent fideles, reddere *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Thomasius autem (2) quamquam in ditione Monarchica degeret: *Clericus*, ait, *observavit hodier-*

(1) Quamlibet laxi sint *Casuistæ* quidam, ne unus tamen Puffendorfii adoptavit monstra errorum.

(2) In Cautelis de Hist. & Phil. in gen. §. 79.

nos scriptores nimis commendare absolutam Principum potestatem, tamquam in qua summa felicitas rerumpublicarum consistat, cum tamen rationibus elegantibus contrarium demonstret. An causam egerit Monarchæ sui, cujus stipendiis alebatur, non est cur dicamus. De mixtis autem juribus falso accusat scholasticos; non enim jura miscentur cum unum ex altero vim accipit majorem.

4o Ad tertium respondemus, mirari nos vehementer, Buddeum, qui peritiam historiæ ubique jactat, ignorasse, aut dissimulasse, decimo ipso Ecclesiæ sæculo, in quo summa regnasse ignorantia dicitur, innumeros Christo, & Ecclesiæ filios fuisse genitos. Siquidem constat, ex ipso sæculo, Northmanos, Danos, Polonos, Hungaros, aliosque populos Ecclesiæ Christi nomen dedisse (1). Diceretne Buddeus, apud earum Regionum vastissimarum populos regnum superstitionis tunc fuisse stabilitum? Ita sane affirmaret: nam Catholica Religio, ipso auctore, superstitio est. Nobis autem, qui Lutheri sectam, synagogam Satanæ merito dicimus, certissimum est, tot populorum ad Christi fidem conversionem non potuisse contingere sine singulari Dei providentia, quæ in eum finem homines sanctissimos, atque doctissimos selegit. Nam quomodo sine iis eruditi ad salutem tot hominum myriades potuissent? quomodo Ecclesiastica institui Hierarchia? quomodo sacramenta ministrari? quomodo tot fuissent sanctissimi Imperatores, ac Reges, Henricus, Stephanus, Eduardus, Canutus, &c. si tam fœda, & tristis viguisset ignorantia doctrinæ moralis? Mirum! sæculum illud tam multis filiis Ecclesiæ Dei aggregatis, ac in sanctorum etiam album relatis illustre, nec ulla hæresis contagione fœdatum, omnium erit infelicissimum; sæcula vero novissima felicissima erunt, quamquam innumera edant impiorum hominum monstra! Tenemus quænam fuerit fœda illa, ac tristis ignorantia tantopere à Buddeo deplorata: Catholica fides fuit, quam ille superstitionem appellat. Nos autem deplorare satis non possumus non modo ignorantiam, sed cæcitatem etiam atque stupiditatem ejus, suorumque gregalium, qui in tanta Catholicæ Ecclesiæ luce in tenebris habitant, & illuminatos se putant. Si autem à Lutheranis Catholicæ Fidei professio ignorantia dicitur, scholastici Doctores hanc ignorantiam cuicumque illorum scientiæ præ-

(1) Vide Baronium ad annum Christi 905. n. 8. & ad an. 930. n. 1. & ad an. 949. n. 2. & ad an. 965. num. 6. & ad an. 989. num. 5. seqq.

ferunt ; gaudentque appellari se stultos propter Christum, apud quem sapientia hujus mundi stultitia est.

41 Reliqua quæ addit Buddeus, mendacia sunt : nam scholastici primi ordinis etsi voces nonnullas adhibuerint minus latinas (1), doctrinam tamen moralem sanam quovis tempore impense coluerunt, ei optime consuluere, ac tam miro ordine tradiderunt, ut satis sit quodlibet eorum opus in medium adferre, ut impudentis mendacii Buddeus arguatur. Quod autem in eis reprehenditur de advocatis in subsidium juribus divinis, & humanis, Patrum auctoritate, ac Canonum, & Romanorum Pontificum Decretis, tantum abest, ut quidpiam eis detrahat laudis, quin fuissent reprehensione digni, si aliter se gessissent.

ARTICULUS III.

Utrum ad moralem scientiam perficiendam advocanda sit humani corporis anatome.

42 De morali Philosophia ad fastigium à se evecta gloriabantur Puffendorfius, Thomasius, Heineccius, aliique ; cum nuperi quidam Philosophi (2) illam adhuc in tenebris versari dixerunt, neque sperandum esse de ea perficienda, nisi in sub-

(1) Si qui minus juste accusare de scribendi barbarie Scholasticos possunt, ii certe sunt Lutherani, qui à magistro suo barbariem, ac furorem edocti, eum plenissime imitantur, ne Buddeo quidem excepto, qui cæteris politior videtur. Barbarismorum, qui in illis occurrunt, longum texere possemus catalogum. Pauca describimus ex Thomasii opere *de cautelis circa præcognita Jurisprudentiæ*. Quis latine dixerit *cautelam*, & pag. 48. *palpabiliter*, & pag. 49. *disciplinari*, & pag. 52. *dabilia*, & pag. 100. *pedanticam*, & pag. 107. *novioribus*, & pag. 117. *complimentosos* ? Et quid cætera persequamur, quæ innumera pene sunt ? De stylo cultiori curamus parum, dummodo res sint bonæ. Hi autem qui cum innumeris barbarismis innumeros conjungunt errores, nihilominus scholasticis barbariem exprobrant.

(2) Bonnet *Paling. Phil. tom.* 2. *par.* 13. Auctor lib. *Système social, ou Principes naturels de la Morale tom.* 1. *cap.* 4. Auctor lib. *Code de la nature, ou le véritable esprit de ses loix de tout tems négligé, ou méconnu* pag. 11. Auctor *Traité des droits du Genie c.* 3. Auctor *Lettres Philos. sur la Physionomie, lett.* 29. Roussel. *Syst. phys. & mor.* aliique adversus quos opusculum edidit an. 1778. noster Ansaldi, inscriptum, *Riflessioni sopra i mezzi di perfezionare la Philosophia morale.*

sidium advocetur medicina, & anatome (1).

43 Videtur autem ita dicendum I. quia scientia moralis est de actibus humanis. Hi autem procedunt ab humana natura; hæc vero componitur ex anima & corpore. Nisi ergo perfecta instituatur analysis non modo actionum intellectus & voluntatis quæ sunt facultates animæ, sed etiam organorum corporis, quæ ministrant animæ intelligenti, ac volenti, frustra quæretur moralis scientiæ perfectio.

44 II. Ethica est scientia practica, ideoque pendens à physicis experimentis, & observationibus. Quousque igitur notionibus utemur abstractis virtutum idealium, nullus ejus erit progressus.

45 III. Elementa, & respectus humanæ naturæ, actionumque humanarum non satis innotescunt: nam *pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud?* ut dicitur Jerem. 17. v. 9. Oportet ergo, ut attente, profundeque scrutemur hominum actiones, ac sæpe comparemus moralia phænomena cum physica illorum constitutione, ut novos detegamus respectus, aut nitidius deprehendamus eos, quos vix animadvertimus: quod absque diligenti analysi constitutionis hominis non solum metaphysicæ, sed etiam physicæ, obtineri nequit.

46 IV. Sæpe anima sensationes experitur, quas nollet: sæpe etiam passionibus agitatur. Sensationes autem, & passiones non sunt sine corpore, cum non sint sine motu locali, qui est proprius corporis. In scientia igitur morali, quæ motus in anima insurgentes, & passiones hominum investigare diligenter debet, ratio præcipua habenda est organizationis, ac temperamenti corporis humani: quod absque analysi per anatomen instituta, fieri non potest.

47 V. Ostensum est supra (2), animam in corpus, & corpus in animam mutuo influere. Nisi ergo modi hujusce influxus attente perpendatur, interclusum erit iter ad moralis scientiæ arcana secretiora. Qui autem fieri poterit, ut ii modi detegantur, absque diligenti analysi animæ, & corporis?

---

(1) In hanc controversiam est accurate inquirendum; quandoquidem, ea abutuntur increduli homines ad destruendam animæ nostræ spiritualitatem, atque ad affirmandum, posse, etiam negata Dei existentia, subsistere virtutes morales, quod hæ consistant in corporis mechanismo, sintque ejusdem mechanismi effectus, & phænomena. Auctor *syst. nat.* 1. p. c. 8. seq. hanc impietatem, quam alii subdole, aperte docuit.

(2) Tom. 5. §. 1012. seqq.

Prop. I. *Si attendatur quod est proprium & principale objectum scientiæ moralis, sive, ut ajunt, objectum* formale, *inutilis est, & frustranea humani corporis analysis per anatomen instituta.* II. *Si vero consideretur id quod est veluti* materia *sive objectum* materiale *actionum moralium, & accidentalis dispositio ad ipsas; pertinet ad scientiam moralem minus principaliter, considerare diversam humanorum corporum dispositionem.* III. *Non tamen propterea necessaria est perfecta analysis corporum humanorum, ut scientia moralis perficiatur.*

48 Prob. 1. p. Ex dictis (1) cum S. Thom. proprium & principale objectum scientiæ moralis sunt actiones humanæ, quatenus humanæ sunt, seu quatenus ex voluntate deliberata procedunt, & homo est earum dominus; ita enim sunt *morales*, ideoque scientiæ moralis objectum *formale*: nam ii actus quorum homo dominus non est, proprie *morales* dici nequeunt; cum enim non sint in libera hominis potestate, ei non possunt laudi, aut vitio adscribi. Atqui actiones procedentes ex voluntate deliberata, non à corporis humani constitutione, sed à libera hominis voluntate pendent, quæ quavis existente constitutione corporis, potest eas elicere, vel non elicere. Fac enim, hominem ex temperamento inclinatum esse ad iram, an propterea non erit in ejus potestate, iracundiæ consentire, aut eam insurgentem coercere, & extinguere? Quæcumque sit inclinatio prava, nisi accedat voluntatis consensus, actio neque bona, neque mala est (2). Inspecto igitur objecto *formali* scientiæ mo-

(1) §. 2.

(2) Universi homines per peccatum Adæ vulnerati sunt non solum in intellectu per ignorantiam, & in voluntate per malitiam, sed etiam in appetitu sensitivo per concupiscentiam, & irascibilem. Nihilominus absit, ut quis dicat, concupiscentiam, aut irascibilem in seipsis malas esse, & non potius relictas in nobis, etiam post baptismum, ut nobis fiant virtutum materia. Tridentina Synodus sess. 5. cap. 5. » Manere, inquit, in baptizatis concupiscentiam, vel fomi» tem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem » relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu » gratiam repugnantibus non valet; quinimo, *qui legitime certaverit,* » *coronabitur.* Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus pec» catum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam » numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in

ralis, inutilis, & frustranea est humani corporis analysis per anatomen instituta. Et sane quæcumque fiat analysis, id ad summum poterit deprehendi, hunc nempe hominem præ alio esse ad iram, ad concupiscentiam, ad mansuetudinem, ad castitatem &c. ex physica constitutione magis inclinatum. Hæc autem ad lineam moralem non pertinent, nisi accedente deliberatione voluntatis consentientis, aut dissentientis. Tempus ergo teritur inutiliter, si constitutio humani corporis summa etiam diligentia per analysim investigetur, ad decernendam *moralitatem* actuum humanorum, qua ratione *morales*, sive deliberati sunt; id enim pendet à voluntate, qua ratione libera est (1).

49. Alteram partem tradit S. Thomas; docet enim (2), *quod diversitas, & distinctio gradus in animabus causetur ex diversitate corporis, ut quanto corpus melius complexionatum fuerit, nobiliorem animam sortiatur* (3). Docet præterea (4), voluntatem *ex parte objecti* moveri ab appetitu sensitivo. „Manifestum est, *inquit*, quod secundum passionem appetitus sensitivi immutatur homo ad aliquam dispositionem; unde secundum quod homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti; sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto; & per hunc modum ex parte objecti, appetitus sensitivus movet voluntatem.“ Insuper docet (5), *quod magnitudo passionis non solum dependet ex virtute agentis, sed etiam ex passibili-*

---

renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.“ Quod si concupiscentia, quæ ex peccato est, dici non potest peccatum, neque proinde ad lineam moralem pertinet, nisi tantum *dispositive*, qua scilicet ratione ad peccatum inclinat; multo minus physica humani corporis constitutio.

(1) S. Augustinus Epist. 155. al 52. n. 13. *Non faciunt*, ait, *bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores.* In his autem libera est voluntas, quæcumque sit corporis constitutio.

(2) In 2. dist. 32. a. 3.

(3) Auctor Epist. Philos. *de Physionomia*, & Auctor Op. *Medicine de l'esprit*, non recte ex unitate specifica animarum nostrarum inferunt, humanas affectiones & actiones morales absolute dependere ab organo corporeo: nam ut ad rem S. Thomas 1. 2. q. 63. a. 1. agere per voluntatem, est homini naturale secundum speciem, & non ex natura individui; est enim proprium hominis, qua homo est: homo autem per animam intellectivam constituitur in specie: nam forma est, quæ dat speciem.

(4) 1. 2. q. 9. a. 2. (5) Ibid. q. 22. a. 3. ad 2.

tate patientis, quia quæ sunt bene passibilia, multum patiuntur, etiam à parvis activis. Loquens vero de habitibus: »Ex »parte corporis *inquit* (1), secundum naturam individui sunt »aliqui habitus appetitivi secundum inchoationes naturales; »sunt enim quidam dispositi ex propria corporis complexione »ad castitatem, vel mansuetudinem, vel ad aliquid hujusmodi.« Addit quoque (2): *Secundum naturam individui* (sive *secundum determinatam corporis complexionem*, ex qua dicitur homini aliquid naturale secundum naturam individui, cum ex corpore accipiatur animæ individuatio, ut supra (3) dictum est) esse in homine quasdam virtutum inchoationes, *in quantum ex corporis dispositione, aliqui sunt dispositi vel melius, vel pejus ad quasdam virtutes, prout scilicet vires quædam sensitivæ actus sunt quarundam partium corporis, ex quarum dispositione adjuvantur, vel impediuntur hujusmodi vires in suis actibus, & per consequens vires rationales, quibus hujusmodi sensitivæ vires deserviunt: & secundum hoc unus homo habet naturalem aptitudinem ad scientiam, alius ad fortitudinem, alius ad temperantiam.* Quorum omnium ratio est, quia voluntas ductum sequitur intellectus; intellectus vero in hoc statu conjunctionis cum corpore, non intelligit nisi per species acceptas à sensibus: sensus autem pendent ab organis corporalibus.

50 Nunc sic: ad moralem scientiam pertinet non modo consideratio actionum humanarum, qua ratione humanæ, sive morales sunt, sed etiam earum materiæ, sive objecti *materialis*, & variarum dispositionum accidentalium, quibus eædem actiones, & voluntas hominis diversimode afficiuntur; etenim ad eamdem scientiam, ad quam principaliter pertinet ratio *formalis* objecti, pertinet etiam omne id quod reducitur ad eam rationem. Atqui varia corporis dispositio, ac temperamentum diversimode disponunt ad actiones morales; idemque præstant variæ hominum passiones, quæ sine corporis transmutatione non sunt; ipse quoque appetitus sensitivus, qui similiter pendet à corpore, movet voluntatem ex parte objecti, ut dictum est (4). Itaque ad moralem scientiam pertinet minus principaliter consideratio dispositionis & temperamenti corporum humanorum (5).

---

(1) Ibid. q. 51. a. 1. (2) Ibid q. 63. a. 1. (3) Tom. 5. §. 601. (4) §. præced.

(5) Conscientiarum Moderatores ad hanc rem debent diligenter animadvertere, ut rectum ferre judicium possint de peccatis ex passione patratis. Nam passio *antecedens* minuit peccati gravitatem, eo-

51 Tertiam partem probamus ex ipsismet Adversariorum principiis. Tantum abest, ut perfecta anatome humani corporis necessaria sit ad scientiam moralem perficiendam, quin illa diligentiam etiam Physicorum effugiat. Ut perfecta fieret anatome, oporteret, non vulgares tantum partes humani corporis investigare, sed ad ipsa prima sensationum nostrarum, organorumque elementa pervenire. Quotus autem quisque Adversariorum est, qui hæc prima elementa detexerit? Fatentur & ipsi Recentiores, non modo (1) ignota hæc esse, nec umquam in hac vita sperandum, ut nota fiant, sed etiam minutas partes organicas ex primis, & secundis, imo tertiis elementis compositas, aciem sensuum, ac mentis effugere (2). Provocant igitur ad rem, quæ obtineri nullo modo potest.

52 Præterea, ut perfecta institueretur analysis, oporteret

---

que magis, quo fuerit vehementior; passio vero *consequens*, peccatum auget, seu potius est signum magnitudinis ejus, ut ostendit S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 6. Potest etiam passio tanta esse, ut usum rationis omnino tollat; tunc vero ob defectum libertatis nullum est peccatum, ut ibid. S. Doctor demonstrat a. 7. Animadvertant quoque, in sola sensualitate peccatum mortale esse non posse, quia, ut probat S. Thomas quæst. 25. de ver. a. 5. » peccatum mortale est actus defi» ciens moralis: est autem aliquis actus moralis per hoc quod aliquo » modo est in nobis; sic enim ei debetur laus, vel vituperium; ideo» que actus ille, qui est perfecte in nostra potestate, est perfecte mora» lis, & in eo potest esse ratio peccati mortalis, sicut sunt actus, » quos voluntas elicit, vel imperat. Actus autem sensualitatis non est » perfecte in potestate nostra, eo quod prævenit judicium rationis: est ta» men aliqualiter in potestate nostra, in quantum sensualitas rationi subji» citur; & ideo actus ejus attingit ad genus moralium actuum, sed imper» fecte: unde non potest in sensualitate esse peccatum mortale, quod » est peccatum perfectum, sed solum veniale, in quo imperfecta pec» cati mortalis ratio invenitur." Peccatum autem veniale, quod esse potest in sola sensualitate, non est absque omni deliberatione voluntatis; licet enim deliberatio non sit perfecta, & sufficiens ad peccatum mortale est; tamen imperfecta, sufficiens ad peccatum veniale. Si vero omnis omnino deliberatio absit, ut in motibus sensualitatis, qui dicuntur *primo primi*, nullum est peccatum, cum motus illi nullo modo sint voluntarii.

(1) *De la Phil. de la nat.* tom. 4. a. 4. Et Camus *Médecine de l'esprit, Introd.* Et Marat *de l' homme tom. 1. disc. prélimin.*

(2) Ut cætera taceamus, quis umquam explicabit phænomena imaginationis, & memoriæ per leges mechanicas, & observationes anatomicas? Quis modum generationis humanæ, *& qua ratione compingan-*

singulorum hominum, temperamenta cognoscere, ideoque non tantum instituere anatomen omnium partium solidarum uniuscujusque corporis humani, quæ etiam variæ sunt pro diversa singulorum structura; sed fluidas quoque, & earum quantitatem, qualitatem, cæterasque affectiones habere perspectas: nam temperamenta hominum diversa sunt, ac vix, aut ne vix quidem duo homines reperiuntur temperamenti omnino similis. Quis autem hæc non dicam perficere, sed neque aggredi tentabit, nisi forte sit plane insanus (1)?

53 Ad hæc, quotus est Medicorum, qui nedum solidas partes, sed & fluidas singulorum humanorum corporum in numeratis ac mensuratis habeat? qui sciat omnes earum combinationes, omnesque defectus (2)? Anatome institui non potest in corporibus viventibus: nam hoc ipso perturbarentur partes fluidæ. Instituitur autem in cadaveribus, in quibus condensata

---

tur ossa in ventre prægnantis? ut dicitur Eccles. 11. v. 5. Id tentavit laudatus Auctor *Phil. de la nat.* sed frustra: nam ignorantiam denique suam confessus est.

(1) Bonnetus *Palingénésie Phil. tom. 2. par.* 13. » Pour avoir, *ait*, un » système un peu complet de Morale, il faudroit, en quelque sorte, » avoir la Morale de chaque individu; comparer entr' elles toutes ces » morales particulieres, & en deduire des resultats plus ou moins gé- » néraux, qui seroient comme les premiers élémens du sistême. » *Ut Morale systema aliqua ratione completum habeatur, necesse aliquo modo est moralem scire cujusque individui, invicem vero comparare has omnes morales peculiares, atque ex eis deducere conclusiones magis vel minus generales, quæ eyunt veluti prima elementa systematis.* Videlicet is homo, qui tantis effertur laudibus, exulare ab hoc mundo quodlibet systema morale præcipiebat: nam quis non dicam omnium populorum totius orbis, qui tantopere moribus discrepant, sed ne hominum unius quidem civitatis, aut oppidi, morales vivendi rationes discere umquam poterit, & invicem comparare, præsertim cum mira sit hominum in agendo inconstantia, & tam sæpe ut luna mutentur? Hæc est sapientia similium Philosophorum, qui nati videntur ad hominum perniciem, res eo deducere, ut omni spe animus despondeatur; indeque colligat, inutiles fuisse conatus universorum hominum revera sapientum, & in scepticismum universalem ruat etiam in rebus moralibus. Idcirco tam multis prædicant, oportere adhuc analysim instituere perfectiorem corporum humanorum, & mores investigare, atque conferre singulorum hominum, ut rem præcipientes, quæ fieri non potest, quisque colligat, neque sperari posse morale systema aliqua ratione completum.

(2) Vide le Cat. *Oeuvres Philos. tom.* 1. *pag.* 179.

sunt fluida, & plurimæ etiam partes solidæ tenuiores sunt corruptæ. Chimærica est igitur perfecta illa analysis, quam spondent hi Philosophi juniores. Quod si ne in Medicis quidem requiri ea potest, quænam dementia est ipsam exigere in Moralibus tractatoribus? Sicut ergo Medicis curantibus corpora satis est analysis accurata humanorum corporum generatim, cujus postea notitia illi utantur in singularibus infirmis, inspecta per signa, & observationes cujusque infirmi conditione, ac statu; ita Medicis animarum sat abunde est notitia generalis variarum humanarum passionum, earumque diversitatis ex diversis hominum temperamentis (1), ut possint judicium ferre de statu singulorum, & de remediis præscribendis, consideratis, in specialibus circumstantiis, passionum qualitate, atque intensione, aliisque appendicibus appetitus sensitivi.

54 Ad primum respondemus cum S. Thoma (2), actiones humanas utique procedere ab humana natura, quæ componitur ex anima, & corpore; sed quod sint humanæ, habere à voluntate, à qua est omnis deliberatio. A voluntate igitur, & non à corporis dispositione habent, ut sint morales.

55 Ad secundum concedimus, Ethicam esse scientiam practicam; negamus vero, ipsam pendere à physicis experimentis, & observationibus. Loquens S. Thomas (3) de scientiarum principiis: *Quædam*, inquit, *considerantur inductione, quæ est ex particularibus imaginariis, ut puta, quod omnis numerus est par, aut impar. Quædam vero accipiuntur sensu, sicut in naturalibus, puta, quod omne quod vivit, indiget nutrimento. Quædam vero consuetudine, sicut in moralibus, ut puta, quod concupiscentiæ diminuuntur, si eis non obediamus.* Qui ergo à physicis experimentis principia moralia derivant, moralem scientiam cum scientia naturali confundunt, vel advocant principia morali scientiæ extrinseca: quod vitiosum esse, idem S. Doctor animadvertit (4). Itaque in scientia morali non utimur principaliter neque physicis experimentis, quæ ad moralem ordinem minime pertinent; neque tantum ideis abstractis virtutum idea-

(1) Vide quæ diximus tom. 4. §. 32. not. *Hinc subc.*

(2) 1. 2. q. 63. a. 1. (3) 1. Ethic. lect. 11.

(4) Ibid. *Est*, inquit, *in unaquaque scientia vitiosum, ut homo moretur in his, quæ sunt extra scientiam.* Hoc vitium inducere in scientiam moralem ii conantur, qui ad physica experimenta eam mittunt. Ii proinde non perficiendæ, sed imperficiendæ moralis scientiæ studio laborant.

lium; sed conferentes actus humanos cum regulis morum sive cum conscientia, & recta ratione, quæ sunt regulæ intrinsecæ, & cum legibus, quæ sunt regulæ extrinsecæ; attendentes quoque ideas, quæ á Religione manant; cognoscimus quosdam actus esse virtuosos, quosdam vitiosos, propterea quod rectæ rationi, ac legibus conformes sunt, aut difformes. Sic autem ad eorum actuum objecta cognoscenda progredimur, & habitus à quibus manant, dignoscimus, & consuetudines tenemus, quæ eosdem habitus generant. Ex quibus systema morale conficimus virtutum, ac vitiorum. En vera systematis moralis idea, à quo immensum distant ii, qui ad corporis humani analysim provocant.

56 Ad tertium respondemus, argumentum, si quid valeret, probaturum, nullam superesse spem moralis scientiæ perficiendæ; quis enim scrutari potest id quod est inscrutabile? Irritus foret quicumque conatus: nam quovis detecto respectu humanarum actionum, quis certus posset esse, an alii superessent respectus? quovis autem variato respectu, moralitas variaretur. Insuper probandum foret, moralitatem in actibus humanis diversam esse ex varia constitutione sive corporis, sive animi: quod est apprime falsum, ut demostratum est (1). Itaque argumentum nimis probat, & falso nititur supposito. Quod autem in Scriptura dicatur: *cor omnium inscrutabile*, significat, *quod nullus cogitationum secreta cognoscat, nisi solus Deus*, ut S. Hieronymus interpretatur (2). Indicat quoque, debere unumquemque cogitationes suas diligenter expendere, ne forte putentur legi Dei consonæ, cum reipsa sint dissonæ, ut idem Hieronymus advertit (3). Sed hæc ad systema scientiæ moralis non pertinent; hæc enim non de singulis agit hominum cogitationibus, quæ infinitæ possunt esse, sed ipsas generatim attingit.

57 Ad quartum, & quintum responsio patet ex dictis (4). Quod enim homo sensationes experiatur, quas non vult; quod passionibus jactetur; quod corpus influat in animam; hæc tantum ostendunt, veram esse secundam propositionis partem.

(1) §. 48. (2) Super cap. 17. Jerem. (3) Ibid.
(4) §. 49. seq.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis inveniatur modus scientiæ moralis perficiendæ.

58 Quamlibet scientiam perfici posse, nemo negabit: nam scientiæ nobiscum sunt valde imperfectæ, ut supra demonstravimus (1). Si autem perfectio curanda est omnium scientiarum, multo est magis conandum ad perficiendam scientiam moralem, quæ postremis hisce temporibus fœdata est laxarum, falsarumque opinionum colluvie, ipsa enim maxime interest, cum æternam hominum salutem, aut exitium spectet, itemque privatam, publicamque eorumdem hominum felicitatem.

59 Explosa eorum sententia, qui eò advocabant analysim, & anatomen, cum iis est congrediendum, qui in juris naturalis explicatione nullam auctoritatis etiam sacrarum Scripturarum habendam esse rationem statuunt. Qua in re præcipui sunt Cumberlandus (2), Puffendorfius (3), Buddeus (4), Barbeyracus (5), Heineccius (6), omnium vero impudentissime Christianus Thomasius (7),

---

(1) Tom. 1. §. 6.
(2) Serm. prælim. §. 27. (3) In Præfat. Erid. Scandicæ.
(4) Hist. jur. nat. §. 36.
(5) In Præfat. ad opus Puffend. de jur. nat. & gent. §. 32.
(6) In Præf. ad elem. jur. nat. & gent.
(7) Fund. jur. nat. & gent. §. 17. & 19. Statuerat idem Thomasius cap. 14. caut. circa studium Ethicum §. 37. » Studiosum juris meditari debere naturam hominis secundum lumen rationis, & claram doctrinam Scripturæ"; attamen §. 17. cit. » Debuissent, inquit, Scriptores juris naturalis, utpote quod cordibus omnium hominum inscriptum est, abstrahere à revelatione, & Scriptura sacra." Quæ sane invicem pugnant: nam quænam pugna evidentior, quam meditandam suadere studioso juris *doctrinam Scripturæ*, & præcipere, ut *abstrahat à revelatione, & Scriptura Sacra*? Ne miremini. Thomasius contradictionis suæ causam explicavit §. 19. cit. » Cum, ait, expertus fuerim provocatione ad sacram Scripturam magis irritari crabrones, quam si ea abstineatur . . . ratio juris naturæ modo dicta suadet, ut à sacris litteris abstraham." Petimus quosnam denotet per illos *crabrones*? Si Scripturæ sacræ studiosos denotat; igitur eorum timebat aculeos, nec tanti erat, ut posset ab ipsis evadere. Itaque à sacris Litteris abstrahendum duxit, quia vidit eas aperte sibi contradicere. Si autem per *crabrones* intellexit conscientiæ suæ stimulos, qui per sacras Litteras

Schmausius (1), & Auctor speciminis historiæ juris naturalis (2).

60 Videtur autem ita dicendum I. quia lumen naturale distinguitur à lumine Divinæ revelationis. Jus autem naturale innititur lumine naturali, non revelato; est enim de rebus, quæ lumine naturali innotescunt, quacumque præcisa revelatione. Cum ergo agitur de jure naturali, necesse non est rationem habere divinarum Scripturarum, in quibus revelatio continetur.

61 II. Jus naturæ præcedit divinam revelationem; Apostolus enim Rom. 1. & 2. arguit gentes, quod legem naturæ cordibus eorum inscriptam ignorarent, & multis contra eam se inquinarent flagitiis. Ut igitur naturalia jura sciamus, non oportet divinæ revelationis rationem habere.

62 III. Jus naturale, & gentium commune est omnibus populis, quamlibet inter se religione dissitis. Niti ergo debet non auctoritate sacrarum Scripturarum, quas Ethnici non recipiunt, sed recta tantum ratione, cui nullus homo potest obsistere.

---

irritabantur, næ præclarus juris naturæ præceptor est, qui ideo à Scripturis abstrahit, ne à lethargo ignorantiæ, & pertinaciæ excitetur!

(1) Nov. syst. jur. nat. c. 1. §. 7. ubi inter cætera scribit: *jus naturale juxta principia Christianæ Religionis valde absurdum commentum est.* Ne Etnici quidem modestiores tam impudenter loquuti sunt.

(2) *Essai sur l' hist. du droit nat. par.* 2. §. 2. ubi uno fasce sacrilege confundens sacra, & profana: »Opiniones, ait, & verba »SS. Augustini, Hilarii, Moysis, Ciceronis, Plutarchi, & S. Pauli »valde adiaphora debent esse ei, qui inquirere debet de jure hu»mani generis"; quasi non pro humani generis jure scripserint Moyses, & Paulus. Addit: »Jurisconsultus naturalis esse non debet nec Ro»manus, nec Judæus, nec Paganus, nec Muhamedanus, nec Chris»tianus, nec subditus, nec Princeps; nullius ille Religionis revelatæ, »nulliusque civilis potestatis rationem habere debet, nisi ut sit homo »quispiam." Ut quis ergo sit naturalis Jurisconsultus, omnem exuere Religionem revelatam debet! O egregii juris naturalis restauratores!

Prop. I. *Integra doctrina morum, qua ratione jus naturale, & gentium, & omnia hominis, & civis officia naturalia complectitur, à doctrina revelata non adjuta, imperfecta est, multisque erroribus obnoxia.* II. *Nec perfici potest, nisi revelationis præsidio.*

63 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Lumen naturale, quo ratio humana perfusa est, etsi deletum non sit per peccatum originale, adeo tamen est tenebris circumfusum, ut mens facillime in turpissimos labatur errores etiam in ipsis veritatibus, quæ naturaliter innotescunt; multoque magis, si tenebris ignorantiæ, quæ est peccati originalis pœna, superaddantur tenebræ ex peccatis actualibus, quibus ratio magis hebetatur (2). Testes sunt universi gentiles Philosophi, qui licet ingenio ac studio plurimum valerent, in crassissimos tamen circa res morales lapsi sunt errores (3), propterea quod lumine divinæ revelationis destituti erant (4). Quid vero si tenebris intellectus addantur appetitiones deordinatæ, & motus sensitivæ partis, quos tam sæpe justi etiam homines experiuntur rationi rebelles, & coguntur dicere cum Apostolo Rom. 7. v. 23 seq. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis*

(1) 2. 2. q. 2. a. 4. & 1. p. q. 1. a. 1. & 4. contr. Gent. c. 52.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3.

(3) Non est hic locus colligendi gentilium Philosophorum errores in re morali. Quid docuerint Cyrenaici, & Epicurei constituentes summum bonum in voluptate; quid Stoici de suo sapiente nullis perturbationibus obnoxio; quid Cynici, & Pyrrhonici, qui nullam aliam moralitatem agnoscebant, quam constitutam à civilibus legibus; quid Carneades, qui jus ipsum naturale negabat; quid Plato, qui uxorum communitatem admisit, compertum est. Ipse Aristoteles, ut observat S. Thomas 1. Ethic. lect. 9. de sola hujus vitæ felicitate loquutus fuit. Videri potest S. Justinus M. in Cohort. ad Græcos, Clemens Alex. in Protreptico, S. Cyrillus Alex. in lib. cont. Julianum, Lactanctius de falsa sapientia, & Picus l. 1. exam. vanit. doct. gent. c. 17. seqq.

(4) Recenset & ipse Thomasius gentilium Philosophorum errores in Moralibus, tom. 1. caut. c. 14. §. 11. seqq. Nihilominus perstat in sententia tradendi jus naturale, abstrahendo à divina revelatione. Præsumebatne homo iste, qui omnia perturbabat, indigesteque colligebat, nullo facto discrimine, universis Philosophis Græcis acumine in-

meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis .. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Inter hasce tenebras, inter ejusmodi pugnas, quæ reliquum lumen rationis plerumque obtundunt, adeo perspicaces Philosophi nostri erunt, ut sola ratione tam infirma, & imbecilli omnes detegant veritates morales naturales, omnia hominis, & civis officia, quin ullo implicentur errore? infirmus viribus corporis alio indiget, à quo sustentetur: infirmus mente valebit omnia præstare nullo suffultus revelationis subsidio? Si non hoc est paradoxum, vix ullum erit.

64 Præterea, ut S. Thomas animadvertit (1), jus naturale, licet quoad prima principia practica sit omnibus notum; conclusiones tamen multas complectitur, quarum quædam sunt cum iisdem principiis immediate conjunctæ; quædam verò ab eis ita elongatæ, ut non appareat ipsarum cum illis connexio. Ipsæ etiam conclusiones cum primis principiis immediate connexæ, ita quandoque ob rationem depravatam ex passione, aut perversa consuetudine, obscurantur, ut homines reperiantur, de quibus Isaiæ 5. v. 20. dicitur; *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras* (2). Quis autem hasce dispellere tenebras poterit, nisi solus Deus per lumen revelationis? Itaque illis, qui à doctrina morali naturali omnino ablegant doctrinam revelatam, aptari merito possunt, quæ loc. cit. v. 21. Isaias ait: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.*

65 Altera prop. pars sequitur ex prima: nam perfici doctrina morum non potest, nisi ab ea omnes excludantur errores, veritatesque morales in bono lumine collocentur. Hæc autem præstare nemo umquam poterit, qui in tenebris ignoran-

---

genii præstare? Quod si hi in tam multis errarunt turpiter, solis naturalibus rationibus relicti, quid erit sperandum de cæteris, qui non ita ingenio valent? Thomasius ipse nefandissimis erroribus suis, quos recensuimus §. 26. plurimisque aliis, quibus est refertissimus, ostendit, quid possit intellectus humanus viribus propriis, nisi lumine fidei collustretur.

(1) 1. 2. q. 95. a. 4.

(2) Si cætera deficerent exempla populorum, qui humanis vescebantur carnibus, qui promiscuo utebantur concubitu, qui furtum putabant licitum, qui fornicationem non habebant ut interdictam &c. abunde exempla suppeditarent Philosophi ipsi, cum quibus agimus. Nam quis negabit, usuram esse prohibitam jure naturæ? & tamen ipsi usuram moderatam admittunt. Quis nisi summe improbus dixe-

iæ versetur, nisi lumen supernæ revelationis tenebras arceat. Atque hæc, Angelico observante, causa fuit, cur præcepta moralia, quæ ad legem naturæ pertinent, contenta in veteri lege fuerint, ne scilicet homines oberrarent à veritate (1). Salomon ipse, cum quo nemo certe Philosophorum nostrorum potest comparari, ut sciret Hebræorum moderari rempublicam, sapientiam à Deo postulavit, qua nosceret *discernere inter bonum, & malum*, eique datum à Deo fuit *cor sapiens, & intelligens*, ut dicitur 3. Reg. 3. Res plane incredibilis! Salomon hominum sapientissimus non se parem regendo populo Judaico putabat solo lumine naturali, ideoque *cor sapiens, & intelligens* à Deo postulabat: Puffendorfius autem, Buddeus, Barbeyracus, Thomasius, &c. homines obscurissimi, integrum moralis doctrinæ corpus se posse perficere gloriantur, solo naturæ lumine, nullo adjumento ex revelatione accepto, imo ne quæsito quidem! sed hi nugas vendere imperitis possunt: nam si quid in rebus difficilioribus habent boni, à sacro revelationis fonte acceperunt, erroribus tantum proprio marte procusis.

66 Ut igitur Moralis doctrinæ à laxis opinionibus expurgandæ, perficiendæque tradamus regulam, dicimus, consulendas imprimis esse sacras Litteras, Traditiones, Ecclesiæ Canones, Romanorum Pontificum Decreta, Sanctorum Patrum sententias, & in iis, quæ ad civile jus pertinent, jus commune, peculiaresque Regnorum Constitutiones, adhibito etiam rectæ rationis usu in iis, quæ rationem minime excedunt. Ne quis autem in tanta rerum copia animo concidat, monitum subnectimus, quod ex mandato Alexandri VII. Rom. Pont. in Comitiis generalibus

---

rit, falsiloquium, concubinatum, lenocinium, incestum, polygamiam virilem, bestialitatem non esse contra legem naturæ? & nihilominus ita asseruit Thomasius, nec asseruit tantum, sed tamquam fidei professionem proposuit. En consequutiones ex neglecto contemptoque divinæ revelationis ductu in rebus moralibus. Cæteros ejusmodi Philosophorum errores data occasione pandemus.

(1) 1. 2. q. 99. a. 2. ad 2. » Legi divinæ, *inquit*, conveniens erat, » ut non solum provideret homini in his, ad quæ ratio non potest, » sed etiam in his, circa quæ contingit rationem hominis impediri. » Ratio autem hominis circa præcepta moralia, quantum ad ipsa com» munissima præcepta legis naturæ, non poterat errare in universali; » sed tamen propter consuetudinem peccandi obscurabatur in particula» ribus agendis. Circa alia vero præcepta moralia, quæ sunt quasi con» clusiones deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum » ratio oberrabat, ita ut quædam, quæ sunt secundum se mala, ratio

Ord. Præd. anno 1656. Admon. 14. denunciatum fuit, optare scilicet summum illum Ecclesiæ Præsulem, ut ex Sanctissimi Doctoris Thomæ Aquinatis doctrina Opus Morale conficeretur, quo morum, & opinionum cohiberetur licentia (1). Cum enim Thomas *nihil nisi è sacrarum Litterarum, Patrumque consensu asserat*, ut SS. PONT. PIUS. VI. testatus est (2), quisquis doctrinæ Morali S. Thomæ studet, studet quoque doctrinæ sacrarum Litterarum, & concordibus Patrum sententiis, ideoque Traditioni Ecclesiæ, quæ communi Patrum consensione nititur. Studet quoque Ecclesiæ Canonibus, summorum Pontificum Decretis, & Juribus communibus, quæ Thomæ ætatem præcesserunt, in quibus colligendis diligentissimus Thomas fuit. Si quæ vero sunt posteriora Decreta, & Jura, aut leges peculiares, ea colligere non erit valde operosum. Hanc expurgandæ doctrinæ morum, ejusque perficiendæ regulam non tam nos tradimus, quam traditam accipimus à Cathedra veritatis, id est, à Cathedra Petri. Mussitent heterodoxi, conviciisque nos onerent; non curabimus, parati turpissimos eorum demonstrare, atque refellere errores.

67 Ad primum concedimus, lumen naturale distingui à lumine revelationis; sed tamen dicimus, illud ab isto juvari, ut

---

» tio multorum licita judicaret. Unde oportuit contra utrumque defec-
» tum subveniri per auctoritatem legis divinæ. Sicut etiam inter creden-
» da nobis proponuntur non solum ea, ad quæ ratio attingere non po-
» test, ut Deum esse trinum, sed etiam ea ad quæ ratio recta per-
» tingere potest, ut Deum esse unum, ad excludendum rationis hu-
» manæ errorem, qui accidebat in multis."

(1) Ita in præfatis Comitiis cautum universis Fratribus nostris fuit: » Satagant, non tantum fidelissime in omnibus adhærescere sanæ doc-
» trinæ Angelici nostri Præceptoris (quam ille ex limpidis, ac incor-
» ruptis SS. Patrum fontibus integerrime in alveos suorum operum cor-
» rivavit), verum etiam adsuescere propriæ ipsius phrasi, & modo lo-
» quendi . . . ut sic evitentur securius profanæ vocum novitates, nimis-
» que animosa extrinsecarum probabilitatum suffragia . . . Quod ut ala-
» crius ab omnibus præstetur, notificamus universis, HOC SUMME CON-
» SONARE EXPRESSÆ VOLUNTATI SS. D. N. ALEXANDRI DIV. PROV.
» PAPÆ VII. QUI ISTUD UNIVERSO ORDINI ITA PRÆSCRIBI, AC SIG-
» NIFICARI CLEMENTISSIME IMPERAVIT." Vide etiam Fagnanum in cap. *Ne innitaris*, de Constitutionibus, num. 334. & Epist. Vincentii Baronii initio oper. Mercori edit. an. 1658. Id jam præstare curarunt multi, præsertim noster Natalis Alexander in sua Theologia Dogmatica, & Morali, cujus epitomen edidimus.

(2) Vide §. 34.

quod se solo illud non potest ob tenebras irruentes, possit adjutum isto tenebras dispellente.

68 Ad secundum concedimus, legem naturæ præcedere divinam revelationem: dicimus autem, divinam revelationem aliquid addere juri naturæ, nimirum adjumentum ad ea cognoscenda, ad quæ ratio tenebris obsita prohibetur pervenire (1). Non negamus quidem, posse homines cognoscere quædam communissima præcepta juris naturæ, cujusmodi sunt illa, de quorum transgressione Apostolus gentes arguebat; sed quod omnia possint non adjuti lumine revelationis, id plane negamus. Ridicula sane arguendi ratio: infirmus potest movere manus; ergo omnia potest, quæ potest sanus. Talis omnino est Philosophorum nostrorum illatio: homines possunt solo lumine rationis cognoscere quædam præcepta juris naturæ; ergo possunt omnia cognoscere, nullo suffulti auxilio. Peccat illatio contra Dialecticæ regulas; est enim à particulari ad universale.

69 Ad tertium, quod est præcipuum adversariorum fundamentum, respondemus, æquivocationem in eo esse, quod illi putent, à nobis doceri, jus naturale & gentium non ratione, sed auctoritate tantum niti sacrarum Scripturarum, quas Ethnici non recipiunt. Falluntur autem: nam sicut gratia non destruit, sed perficit naturam; ita divina revelatio non destruit rationes naturales probantes ea, quæ rationibus naturalibus probari possunt, sed removet impedimenta ex debilitate humani intellectus, eumque certiorem reddit, & ab erroribus liberat. Aurea est S. Thomæ doctrina (2), quæ rem luculentissime conficit totam: »Investigationi, *inquit*, rationis humanæ plerumque »falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in ju»dicando, & phantasmatum permistionem. Et ideo apud mul»tos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissime etiam »demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & præcipue »cum videant, à diversis qui sapientes dicuntur, diversa do»ceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur »aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua »probabili, vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum de»monstratio reputatur... Salubriter ergo divina providit cle»mentia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide te»nenda præciperet, ut sic omnes de facili possent divinæ cog»nitionis participes esse, & absque dubitatione, & errore.

(1) Adeatur S. Thomas. 1. 2. q. 99. a. 2. ad 1.
(2) Lib. 1. cont. Gent. c. 4.

„Hinc est, quod Eph. 4. dicitur: *Jam non ambuletis, sicut* „*& gentes ambulant, tenebris obscuratum habentes intellec-* „*tum.*“ Cum igitur divina revelatio in iis, quæ pertinent ad jus naturæ, & gentium, atque ad hominum officia naturalis ordinis, non excludat naturales rationes, sed illas confirmet; quemadmodum fides, cum docet Dei unitatem, spiritualitatem, immensitatem, providentiam, libertatem, &c. non excludit, sed confirmat rationes naturales ea attributa demonstrantes; proinde non oportet, ut cum gentibus à Christiana veritate alienis agentes de pertinentibus ad jus naturæ, & gentium, auctoritate sacrarum Litterarum utamur (1), sed uti rationibus possumus, quæ & ab Ethnicis ratione utentibus admitti debent (2).

---

(1) Heineccius de jur. nat. & gent. in Præfat. non probans quod Grotius ait, multa quæ hac in re magnam adferunt utilitatem, reperiri in S. Scriptura, in Jure Canonico, in Pontificum Decretalibus, & in Scholasticis Doctoribus: » At, *inquit*, si dicendum quod res est, » boni illi viri vix secum expendisse videntur, quam parum ponderis » apud gentes juris Romani ignaras, & à Christiana pietate alienas, ha- » bitura sint argumenta ex jure Justinianeo, sacris Pandectis, jure Pon- » tificio, Thomæ, Alberti M. S. Bonaventuræ, & aliorum operibus » deprompta.“ Plautinis deinde quibusdam adductis versibus. » Idem, » *ait*, vereor, ne postulent ii, qui se jura belli, pacis, fœderum, om- » nesque, quæ inter gentes intercedere possunt, controversias, vel ex » legibus Romanis, vel ex jure Pontificio, vel ex sacris veteris novi- » que fœderis libris, vel denique ex vastis Philosophorum Scholastico- » rum commentariis, se definire velle pollicentur.“ Videte ingenium viri. Ubinam umquam sive Grotius, sive alius quispiam dixit, agendum ex sola nostrorum auctoritate cum gentibus à Christiana veritate alienis? Heineccius hostem fingit. S. Thomas Quodl. 4. a. 18. de ipsis etiam fidei articulis, si cum gentibus disputetur, ait: *Si nullam auctoritatem recipiunt, oportet, ad eos convincendos, ad naturales rationes confugere*, scilicet probabiles, & congruentes. Et S. Augustinus lib. 19. de Civ. c. 1. ad docendum, quantum differant vanæ gentilium sententiæ de vera beatitudine, dicit, se non tam adhibiturum divinam auctoritatem, quam humanam rationem. Deinde nonne in jure Pontificio, & Justinianeo, atque in operibus SS. Thomæ, Bonaventuræ, Alberti M. aliorumque, imo in ipsis sacris Litteris multæ sunt rationes, quibus jura belli, pacis, fœderum, aliæque cum gentibus controversiæ dirimi possunt? S. Thomas præsertim ubique optimis rationibus abundat. Quid igitur Heineccius concludit?

(2) Quæri à junioribus hisce Philosophis potest, an libros suos scripserint pro Turcis, Sinensibus, Japoniis, aliisque Ethnicis populis? Hi ne idioma quidem illorum librorum norunt. Quod si pro Christianis

QUÆSTIO II.

De hominis felicitate.

70 Doctrinam Moralem à felicitate ordimur, de qua Plato (1): *Felicitatem*, inquit, *omnes etiam imperitissimi homines summum bonum vocant*, id est, ultimum hominis finem; unusquisque enim universa quæ agit, ad felicitatem refert, ut supra dictum est (2); & idcirco S. Augustinus ajebat (3): *constat, omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem.* Et rursus de summo bono loquens (4) inquit, esse illud, *quo referentes omnia quæ agimus, & quod non propter aliud, sed propter seipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil quo beati simus, ulterius requiramus. Ideo quippe & finis est dictus, quia propter hunc cætera volumus: ipsum autem non nisi propter ipsum.* Merito proinde de ultimo fine, seu summo bono, scribebat Cicero (5): »Hoc constituto in Philosophia, constituta sunt »omnia. Nam cæteris in rebus, sive prætermissum, sive igno»ratum est quidpiam, non plus incommodi est, quam quanti »quæque earum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum »autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari neces»se est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in por»tum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum »finibus, cum intelligitur quid sit, & bonorum extremum, & »malorum, inventa via est, conformatioque omnium officiorum.« Præclara sane doctrina, qua demonstratur, quantum aberrarint Puffendorfius, aliique, qui de jure naturæ, & gentium, quo universa hominis, & civis officia continentur, agere instituerunt, nulla aut levi tantum facta mentione de ultimo fine, sive summo bono, veraque hominis felicitate; quam vero apte Scholastici Moralium tractationem ab ultimo fine fuerint auspi-

potissimum scripserunt, qui sacras Litteras venerantur, cur eos ad unam tantum rationem tam imbecillem, totque obnoxiam erroribus mittunt? Olim Protestantes unam Scripturam agnoscebant ut Christianorum regulam: nunc ne Scripturam quidem recipiunt, agentes de jure naturæ, quasi non idem sit Deus Scripturæ, & naturæ auctor. Hæc est falsitatis indoles, perpetua contradictio.

(1) In Euthydemo. (2) Tom. 5. §. 1085.
(3) In Præfat l. 5. de Civit. (4) Lib. 8. de Civ. cap. 8.
(5) Lib. 5. de finibus.

cati. De felicitate igitur initio agentes, quæremus 1. in quonam vera felicitas consistat? 2. an obtineri in hac mortali vita possit? 3. quanam ratione sit æstimanda?

ARTICULUS I.

Utrum vera hominis felicitas in re quapiam creata consistat.

71 In felicitate, sive beatitudine duo sunt, res scilicet, ex cujus possessione felices, beatique sumus; & adeptio, seu possessio ipsius. Prima dicitur beatitudo *objectiva*, altera *formalis*.

72 Dici vix potest, quam multæ de felicitatis objecto fuerint veterum Philosophorum sententiæ (1). Varro, ut refert S. Augustinus (2), ex tripartita divisione finium bonorum, & malorum, quos alii in animo, alii in corpore, alii in utroque posuerunt, *tam multam dogmatum varietatem diligenter, & subtiliter scrutatus advertit, ut ad* CCLXXXVIII. *sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent... facillime perveniret.* Ut præcipuas complectamur, Democritus, teste Tullio (3), nihil aliud felicitatem esse existimavit, quam *animi tranquillitatem*, quam εὐθυμίαν vocabat, & finem, vel bonum ultimum. Sed cum ipsa animi tranquillitas sit propter aliquid, sequitur non posse esse ultimum finem. *Ista animi tranquillitas*, inquit Cicero (4), *ea est beata vita: quærimus autem, non quæ sit, sed unde sit.* Sceptici, cum negarent posse nos adsequi notionem boni (5), nec quidpiam esse natura bonum (6), omnem finem ultimum, & felicitatis objectum sustulerunt (7). Stoici dicebant, *bonum esse utilitatem, aut non aliud ab utilitate; bo-*

(1) Ethnici, quia fide erant destituti, veram hominis felicitatem ignorarunt. Seneca l. de vita beata c. 1. *Cum*, inquit, *vivere omnes beate velint, ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Hinc patet necessitas summa revelationis in doctrina morum. Nam si finis ultimus est basis, & fundamentum totius moralitatis; cum is innotescere aliter non possit, quam per revelationem, sine hac oportet in absurdas opiniones incidere: nam ignorato fine ultimo, ignoretur necesse est, quò actiones sint dirigendæ.

(2) Lib. 19. de Civ. cap. 1. (3) Lib. 5. de fin. (4) Ibid.

(5) Vide Sextum Empir. Pyrrh. hypot. lib. 3. cap. 21.

(6) Ibid. cap. 25.

(7) Idem Empiricus ib. lib. 1. cap. 4. Pyrrhonis ἀταραξίαν interpre-

num quidem appellantes virtutem, & bonam sive probam actionem: non aliud autem ab utilitate, virum probum (1). Autumarunt proinde, solam virtutem satis esse ad beatam vitam (2). Porro Cyrenaici, cum Aristippo ejus sectæ auctore, voluptatem corporis ultimum hominis finem statuerunt (3). Epicurus etiam felicitatem universim in voluptate constituit (4). Minus autem cæteris errarunt Pythagoras, qui ad felicitatem exegit scientiam perfectionis virtutum (5), sive, ut Theodoretus scribit (6), *ultimum hominis bonum in exactissima numerandi scientia opinatus est esse*; Antisthenes, qui in modestia, & humilitate (7);

---

tatur *vacuitatem à perturbatione*; videturque proinde Pyrrhoniorum secta Democritum sequuta. Sed cum Sceptici æque ac Democritus omnem negarent veritatis certam cognitionem, de ipso quoque summo bono felicitatis objecto dubitabant.

(1) Empiricus l. 3. Pyrrh. hypot. cap. 20.

(2) Vide Laertium lib. 8. & S. Augustinum serm. 150. olim. tract. de Stoicis, & Epicureis, c. 4.

(3) Panætius l. de Sectis, & Athenæus l. 12. Confer Stanlejum Hist. Phil. par. 3. c. 4. & Gassend. de mor. Phil. Epic. p. 1678.

(4) Epicurum tamquam reponentem felicitatem in corporea voluptate accusant communiter Patres, S. Ambrosius lib. 1. de Abrah. c. 1. & epist. 63. 1. clas. n. 17. al. epist. 82. S. Isidorus Pelusiota l. 2. epist. 230. S. August. serm. cit. Clemens Alex. Strom. 2. Theodoretus serm. 11. de cur. Græc. affect. aliique, quibus adhæret S. Thomas l. 3. cont. Gent. c. 27. & 1. Ethic. lect. 5. Excusant vero Epicurum Laertius l. 10. Seneca l. de vita beata c. 12. & Gassendus de mor. Phil. Epic. pag. 1420. seqq. Ajunt enim Epicurum non de sola corporis, sed etiam de animi voluptate fuisse loquutum, virtutesque commendasse, præcepisseque continendum esse à corporeis voluptatibus. At jampridem S. Thom. hoc effugium præoccupavit lect. 5. cit. » Epicurei, inquit, qui » voluptatem summum bonum æstimabant, diligenter colebant virtu» tes, sed tamen propter voluptatem, ne scilicet per contraria vitia » eorum voluptas impediretur. Gula enim per immoderantiam cibi do» lores corporis generat. Propter furtum aliquis carceri mancipatur. Et » ita diversa vitia diversimode voluptatem impediunt.“ Omnia igitur » Epicurei ad voluptatem corporis referebant. Atque ita Epicurus ipse apertis se explicat verbis in epist. ad Menicœum, quam describit Laertius l. 10. Et sane cum nullam agnosceret substantiam incorpoream, animumque ipsum ex atomis componeret, quam aliam præter corpoream admittere voluptatem poterat?

(5) Vide Clementem Alex. Strom. 2.

(6) Serm. 11. de cur. Græc. affect.

(7) Ibid.

Plato, qui in sapientia (1), sive, ut, *quantum in nobis est, Deo persimiles evadamus* (2); Socrates, qui *justitia exornatum virum solitus est felicem appellare* (3); Aristoteles, qui felicitatem in contemplatione veritatis reposuit (4).

73 Cyrenaicos, & Epicureos sequuti sunt Cerinthiani (5), Thalmudistæ (6), & Mahometi sectatores (7). Epicureos quoque sectantur Athei (8), imprimisque Auctor syst. nat. (9). Quibus accessit Voltairius (10) impie statuens more suo, *summum bonum, & summum malum chimæras esse.*

74 Videtur autem hominis felicitas in rebus creatis esse reposita, I. quia felicitas est modus quidam essendi, cujus durationem concupiscimus, seu in quo volumus perseverare. Hic autem modus est continuata quædam voluptas, quæ quidem aliquid creatum est. Felicitas igitur nostra in re aliqua creata consistit (11).

75 II. Nullum datur summum bonum, neque summum malum, sed maximum bonum est, quod nos tanta vi delectat, ut omnino nequeamus aliud quidpiam delectabilius sentire; sicut maximum malum est, quod nos omni privat sensu. Hi sunt extremi fines humanæ naturæ, & uterque brevi durat temporis intervallo; neque enim ullæ extremæ deliciæ sunt, ulla extrema tormenta, quæ durare possint diu. Frustra ergo felicitas extra bona creata quæritur (12).

---

(1) Vide Alcinoum de doctr. Plat. c. 27.
(2) Theodoretus ser. cit. (3) Ibidem ibid.
(4) L. 10. Ethic. c. 6. seq.
(5) Vide Eusebium Hist. lib. 7. c. 25. & S. Thom. l. 3. con. Gen. c. 27.
(6) S. Thom. ibid.
(7) Idem ibid. Noster Ricoldus, sive Richardus de Montecrucis Florentinus egregiam edidit *Confutationem Alcorani*, quam Græce reddidit Demetrius Cydonius. Vide Echardum de Script. Ord. Prædicat. Tom. 1. pag. 505. seq. Ex illa multa mutuatus est Grotius *de verit. Christ. Relig.* agens contra Mahometum.
(8) Cum hi Deum negent, nec aliud quam corpora agnoscant, non possunt alibi quam in corporeis voluptatibus felicitatem reponere.
(9) Par. 1. cap. 9. & 15. (10) In Dict. art. *Bien, Souverain bien.*
(11) Ita Auctor. syst. nat. loc. cit.
(12) Voltairius ita objicit. loc. cit. plane ad Materialistarum, & Atheorum mentem, qui Deum negantes, summum etiam negant bonum. Extrema tormenta quæ durare æternum debent, & peccatoribus parata sunt, Voltairius oderat, utque è mente deleret, conabatur.

76 III. In cæteris rerum generibus non datur aliquid summum. Ergo nec etiam in genere bonorum. Unusquisque bonum constituit suum in eo quod sibi placet; quod quidem bonum, est creatum. Felicitas ergo in bonis creatis est reposita (1).

77 IV. Si felicitas extra creatas res reperiri non posset, cur homines tam ardenti conatu ferrentur in res creatas? cur præsertim inhiarent divitiis, honoribus, gloriæ, potestati, voluptatibus? Is conatus certe à natura est, quæ perperam non agit; nec in aliud tendit quam in adipiscendam homini felicitatem. Hæc igitur in rebus creatis potest inveniri (2).

Prop. I. *Vera & perfecta hominis felicitas* objectiva *in nullo creato bono consistere potest.* II. *Sed est solus Deus.* III. *Felicitas autem* formalis *est ipsius Dei contemplatio.*

78 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (3). Humanæ felicitatis objectum aliud esse non potest quam bonum perfectum, & summum, in quo appetitus perfecte quiescat; alioqui nec comprehenderet in se omnem boni rationem, neque expleret appetitum voluntatis, cujus objectum est omne bonum; neque proinde esset finis absolute ultimus, ad quem cætera referri debent, ne non omnino sit ultimus. Nulla autem res creata continere potest in se omnem rationem boni, hoc ipso enim quod creata est, habet limitatam bonitatem. Vera igitur, & perfecta hominis felicitas objectiva in nullo creato bono potest consistere (4).

79 Idipsum S. Thomas ostendit (5) percurrendo per singula genera bonorum creatorum. Hæc enim vel sunt extrinseca homini, vel intrinseca; extrinseca quidem, ut divitiæ, honores, gloria, potentia; intrinseca vero vel ad corpus pertinent, ut sanitas, pulchritudo, robur, corporis voluptates; vel ad animam, ut scientiæ, & virtutes. Vera autem, & perfecta felicitas

(1) Idem ibidem.

(2) Maluimus sophismata referre incredulorum: nam cætera legi possunt apud S. Thomam 1. 2. q. 2. seq.

(3) 1. 2. q. 2. a. 8. & 1. p. q. 12.

(4) Videri potest Chrysostomus Hom. 12. in 1. ad Timoth. & S. Augustinus Conc. 2. in Psal. 32. & Boetius l. 2. de Consolat. prosa 4. & l. 3. pros. 9.

(5) Lib. 3. cont. Gent. cap. 27. seqq.

consistere non potest in bonis creatis homini extrinsecis. Non quidem in divitiis; non enim divitiæ appetuntur nisi propter aliud, nimirum vel ad corporis sustentationem, vel ad splendorem: quod verum est cum de divitiis naturalibus, ut prædia, fundi, domus, &c. tum multo magis de divitiis artificialibus, scilicet pecuniis; hæ siquidem ad naturales divitias ordinantur. Alterutræ autem sunt ad usum hominis ordinatæ, quare esse nequeunt summum hominis bonum; hoc enim oportet esse homine melius(1).

80 Nec in honoribus consistere vera felicitas potest, tum quia nemo recte honoratur nisi propter aliquod bonum in eo existens; ideoque honor, qui refertur ad tale bonum, esse non potest ultimus finis. Tum quia felicitas est bonum, ad quod homo sua voluntate pervenit; honores autem non sunt in potestate hominis. Tum quia honorari possunt etiam mali; melius est igitur fieri honore dignum, quam honorari; nec proinde honor est summum hominis bonum (2).

81 Similiter dicendum de gloria humana, primum quidem quia nihil est instabilius ipsa: summum autem hominis bonum debet esse maxime stabile. Deinde gloria est propter honorem; est enim ex Tullio frequens de aliquo fama cum laude, sive ex Ambrosio clara cum laude notitia. Si ergo honor non est summum bonum, multo minus gloria, quæ est propter honorem (3).

82 Potentiam mundanam non esse summum hominis bonum, ostendit Angelicus (4) 1. quia & ipsa instabilis est. 2. quia ordinatur ad alterum: summum autem bonum ad nullum aliud ordinatur. 3. quia ipsa potest quis bene, vel male uti: summo autem bono nemo potest uti male. 4. quia potest esse bonis, & malis communis.

---

(1) Alias rationes vide apud S. Thomam ibid. c. 30. Easdem reperies apud Clementem Alex. l. 3. Pædag. c. 6. Lactantium lib. 7. Inst. cap. 1. Chrysostomum Hom. cit. Theodoretum serm. 6. de provid. Basilium Hom. in divites avaros, Senecam Epist. 87. & 92. Dionem orat. 79. aliosque apud Raynaudum de Morali discipl. dist. 1. q. 3. a. 5.

(2) S. Thomas loc. cit. c. 28. Adeatur Chrysostomus Hom. 7. in Epist. ad Coloss. & Hom. 12. in Epist. ad Eph. Item Seneca Epist. 76. & Boetius lib. 2. de Cons. pros. 6.

(3) S. Thomas loc. cit. c. 29. Confer S. Gregorium M. l. 6. Mor. c. 3. & Dionem orat. 66.

(4) Loc. cit. cap. 31. Lege Arriani Epictetum l. 3. c. 26.

83 Ad bona corporis quod pertinet, iis meliora sunt bona animæ. Ea insuper sunt communia bonis, & malis hominibus, imo hominibus, & brutis animantibus, quæ etiam in pluribus corporis bonis hominibus præstant. Fieri ergo non potest, ut summum bonum, & vera felicitas hominis in bonis corporis consistat (1).

84 Præsertim vero consistere nequit in corporeis voluptatibus: nam præter ea quæ dicta sunt (2), non potest summa hominis perfectio, sicuti est vera felicitas, esse reposita in rebus homine inferioribus; unusquisque enim perficitur, cum conjungitur rei altiori. Homo autem per corporeas voluptates conjungitur sensibilibus, quæ sunt inferiores se. Non igitur in ejusmodi voluptatibus vera felicitas est reponenda. Præterea quod est bonum quia moderatum est, non est per se bonum, sed bonitatem accipit à moderante. Usus autem ejusmodi voluptatum non est bonus nisi quia moderatus; alioquin delectationes se invicem impedirent. Non sunt igitur hæ delectationes per se bonum hominis, adeoque nec summum ejus bonum (3).

85 Denique nec ultima hominis felicitas potest consistere in aliquo bono animæ. Non in anima ipsa quidem; hæc enim ordinatur ad felicitatem tamquam ad finem ultimum, ideoque non est ultimus finis. Nec in aliquo eorum, quæ sunt in anima; quidquid enim animæ inhæret, est bonum limitatum, cum & ipsa anima limitata sit; ideoque est ordinabile ad ulteriorem finem, nec proinde potest esse finis ultimus, in quo felicitas perfecta consistit (4). Ex quibus patet, quam sint cæci mortales, qui in hisce creatis rebus felicitatem quærunt.

86 Prob. modo 2. prop. pars. Vera, & perfecta hominis felicitas non nisi in summo bono potest consistere, ut dictum est (5). Solus autem Deus est summe bonus. Felicitas ergo vera, & perfecta non nisi in Deo potest consistere (6).

87 Tertiam prop. partem ostendimus cum S. Thoma (7). In

---

(1) S. Thomas loc. cit. c. 32. Vide S. August. l. 8. de Civ. c. 15.

(2) §. præced.

(3) Seneca Epist. 39. addit, voluptates immoderatas animum tyrannice vexare; idemque ostendit l. de vit. beat. c. 14. Vide etiam Maximum Tyrium diss. 34.

(4) Vide S. Thom. 1. 2. q. 2. a. 7. (5) §. 78.

(6) Adeatur S. Augustinus præsertim de mor. Eccl. cap. 3. seqq. & Epist. 118. al. 56. quibus in locis de tota hac re præclare disserit.

(7) 1. 2. q. 3. a. 4.

eo enim consistere debet felicitas *formalis*, quo homo consequitur Deum summum bonum, ipsumque possidet, ut dictum est (1). Non autem nisi contemplatione adsequi, & possidere Deum possumus; Deus enim, cum sit purissimus spiritus, nulla potest attingi actione corporea. Exclusis autem actionibus corporalibus, non aliæ remanent præter actiones intellectus, & voluntatis. Jam contemplatio est intellectus, voluntatis vero desiderium, amor, & delectatio. Desiderium autem est rei nondum possessæ; amor vero, & delectatio sunt rei jam præsentis, & possessæ. Igitur actio, qua Deum possidemus, alia esse non potest quam contemplatio. In hac igitur *formalis* felicitas consistit (2).

88 Non sufficit autem quæcumque Dei contemplatio per creaturas, aut per fidem, ut perfecta sit felicitas nostra (3), sed requiritur contemplatio, seu clara Dei visio prout est in seipso, nedum auctor naturalis, sed etiam auctor supernaturalis. Nisi enim Deus videatur prout est in seipso, satiatus non erit

---

(1) §. 71.

(2) Hæc aliqualiter attigerunt Pythagoras, Plato, & Aristoteles. Nam Pythagoras, ut ex Stobæo serm. 11. interrogatus: *Quid facerent homines, ut Deo similes evaderent*? respondit: *si veritati studerent.* Plato autem in l. 6. de Repub. & in Phædone affirmat, cognitionem veritatis esse hominis bonum. Et idcirco Card. Bessarion. l. 1. cont. calumniat. Plat. c. 7. conatur ostendere, Platonem præ cæteris Philosophis recte tractasse moralem Philosophiam. Vide S. August. l. 8. de Civ. c. 8. & Epist. 118. al 56. n. 17. In eamdem Platonis sententiam ivit Aristoteles l. 10. Ethic. & Cicero l. 5. de fin. Maximus Tyrius Diss. 1. explicat ænigma Platonis de ascensu animæ ad contemplationem pulchri in seipso.

(3) Quare si homo fuisset à Deo creatus in statu naturæ puræ, non potuisset consequi perfectam beatitudinem; cognovisset enim Deum ut auctorem naturalem per creaturas, non vero ut auctorem supernaturalem in seipso. Idem dicendum de pueris decedentibus sine baptismo ante usum rationis; hi enim etsi elevati sint ad ordinem supernaturalem cum cæteris hominibus; quia tamen destituti fide, Deum neque cognoscere potuerunt, neque umquam cognoscent, ut auctorem supernaturalem, numquam perfecta beatitudine fruentur; imo ob peccatum originale privati vera beatitudine perpetuo erunt; quamquam de tali privatione nullam patiantur afflictionem interioris doloris, quia non cognoscunt, se illa privari, cum beatitudo supernaturalis sit supra cognitionem naturalem; ut advertit S. Thomas q. 5. de malo a. 3.

appetitus noster (1); ideoque Psal. 16. v. 15. dicitur: *satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Perfecta igitur beatitudo nostra in clara visione divinæ essentiæ posita est (2); tunc enim *similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est*, ut dicitur 1. Joan. 3. v. 2. (3).

89 Ad primum respondemus cum S. Thoma (4), felicitatem quidem *formalem* esse aliquid creatum, cum sit ipsamet actio, qua beati Deum assequuntur, & possident; sed felicitas *objectiva* non potest esse aliquid creatum, ut demonstratum est (5). Modus autem ille essendi, excludens quamcumque miseriam, & tristitiam, est ipsa *formalis* beatitudo (6). Nulla enim miseria, & tristitia attingere eos potest, quos Deus potat torrente voluptatis suæ.

---

(1) S. Augustinus l. 1. Confess. c. 1. ajebat: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

(2) Vide S. Thomam 1. 2. q. 3. a. 8.

(3) Ibidem a. 4. (4) §. 78. seqq.

(5) Quia Dei visio prout est in seipso, excedit vires naturæ creatæ, nec cognosci potest lumine naturali intellectus; sequitur necessitas revelationis, qua cum Ethnici destituti fuerint, mirum non est, quod circa summum bonum, ejusque adsequutionem cæcutierint.

(6) Impius Auctor syst. nat. tom. 1. c. 15. postquam statuit: L'on » appelle intérêt l'objet auquel chaque homme d'après son tempéra- » ment & les idées qui lui sont propres, attache son bien-être." *Interesse cujusque dicitur illud, cui quisque homo, sui habita ratione temperamenti, idearumque quas habet proprias, affingit suum bene esse*; subdit: » l'intérêt est l'unique mobile des actions humaines. . . . » Ces principes, dûment développés, sont la vraie base de la mora- » le." *Quod cujusque interest, est unicum mobile actionum humanarum. . . Hæc principia, si satis expendantur, sunt vera basis scientiæ moralis.* Non de eo quod homines plerumque faciunt non ex conditione, sed ex corruptione naturæ; neque de eo quod vere interest, loquebatur is homo impius, qui Deum negabat, sed de ipso humanarum actionum unico fine, deque rebus corporalibus, quas unice agnoscebat, ut verus Epicuri sectator. Casus ergo fiat, qui certe metaphysicus non est, ut quis sua interesse putet, aliena rapere, quin pœnæ temporalis incurrendæ periculum subeat, atque ita putet ex temperamenti constitutione, exque ideis quas habeat proprias, tamquam conducens ad suum bene esse; is certe minime abstinebit à rapiendis alienis. Sit alter, qui ex temperamento, exque propriis ideis inducatur ad occidendum eum qui impedit, ne ipse bene sit homicidium certe sequetur ex ficti Mirabaudi principio, præsertim si spes sit evadendi pœnam. Cogitet alius quispiam, adulterium, concubina-

90 Ad secundum respondemus, haud nos mirari, quod impius Voltairius nullum invenire summum bonum, & sum-

---

tum, incestum, scortationem posse conferre, ut bene ipse sit; quis eum continebit, si valeat impii illius principium? Quid si aliquis putaret, supremum Principem, ejusque Ministros sua non interesse, ut bene, id est, ut ad desideria sua vivat? Hujus intererit, si vires adsint, Principem ipsum è medio tollere, ut Pseudo-Mirabaudo morem gerat. Vide quamnam moralis doctrinæ basim is impius posuerit. Si hæc vigeret, nonne universa delicta, quamlibet atrocia ac nefanda, licita forent, modo homines ea commodorum suorum interesse crederent? Nam quod ille ait, interesse cujusque debere publicam felicitatem, ut ipse bene sit, ostendit, ejus sententia, elasterium felicitatis esse bonum privatum uniuscujusque, ideoque cætera debere postponi, si bonum privatum periclitetur. Ex hoc fonte manarunt, quæ ille scribit ibid. » La plûpart des sociétés gouvernées trop » souvent par des hommes que l'ignorance, la flatterie, le préjugé, » l'abus du pouvoir, & l'impunité concourent à rendre ennemis de » la vertu, ne prodiguent communément leur estime & leurs bien- » faits qu'à des sujets indignes." *Societates ferme omnes, sæpissime moderatæ ab hominibus, quos ignorantia, adulatio, præjudicium, potentiæ abusus, & impunitas conjunctim reddunt virtutis inimicos, non aliis communiter æstimationem profundunt, & beneficia sua, quam personis indignis.* Inde manarunt etiam, quæ subdit c. 16. » Les » nations ne connurent point les vrais fondemens de l'autorité; elles » n'oserent exiger le bonheur de ces Rois, chargés de leur procurer; » elles crurent que les souverains, travestis en Dieux, recevoient en » naissant le droit de commander aux restes des mortels... Par » une suite nécessaire de ces opinions la politique dégénera dans l'art » fatal de sacrifier la felicité de tous au caprice d'un seul, ou de » quelques méchans privilégiés... sous de tels chefs leur bonheur phy- » sique & moral fut également négligé, ou même anéanti." *Nationes minime cognoverunt vera fundamenta auctoritatis; ausæ non sunt felicitatem exigere ab hisce Regibus, quibus ejus cura commissa est; crediderunt imo, supremos Principes, in Deitates transformatos, ab ortu potestatem accipere imperandi reliquis mortalibus... Quibus ex opinionibus necessario sequitur, politicam degenerare in fatalem artem sacrificandi omnium felicitatem arbitrio unius, aut paucorum malorum hominum privilegiis exemptorum... sub hisce capitibus felicitas physica, & moralis æque fuit neglecta, imo in nihilum redacta.* Ita impius iste scribebat de summis Potestatibus, neque scribere aliter poterat, postquam omnem exuerat religionem, quæ populos in obedientia continet; nec aliam agnoverat Moralis basim, quam quod uniuscujusque interest. Similiter loquuti fuerant, & loqui pergunt reliqui increduli, quos *spiritus fortes* vocant. Utinam aliquando tales in-

mum malum potuerit ; erat enim ex eo genere hominum, de quibus dicitur Psal. 16. v. 11. *oculos suos statuerunt declinare in terram.* In terrenis autem voluptatibus, & doloribus, cum pendeant à corpore, quod capax non est summæ alterationis, qua major esse nequeat ; corrumpitur enim, uti jampridem observavit S. Thomas (1) ; summum bonum, & summum malum reperiri nequeunt. At vero in spiritualibus operationibus animæ dari potest summa delectatio in assequutione Dei summi boni, & in ejus amissione summa tristitia, summumque malum. Cumque anima sit immortalis, perpetua erit ejus summa felicitas, si Deum in seipso sit adsequuta ; & perpetua erit summa ejus miseria, si à cœlesti beatitudine infelix exciderit.

91 Ad tertium negamus, in quolibet rerum genere non dari aliquid summum in eodem genere (2). Quis enim negabit, in genere calidorum ignem esse summe calidum ? Bonum autem est omne ens, ut supra dictum est (3) : quidquid autem est, debet esse ens ; alioqui non esset. Oportet ergo, ut supra omne rerum genus sit aliquod summum bonum, quod in se comprehendat omnem bonitatis, & essendi plenitudinem, à quo cætera sicut esse, ita bonitatem participent, habeantque acceptam. Idem est igitur negare summum bonum in genere bonorum, ut Voltairius facit, ac negare Deum, à quo omnis est bonitas (4).

---

testini reipublicæ hostes, summarumque Potestatum per summam injustitiam, & injuriam contemptores, debitis afficiantur pœnis, ne virus serpat ! Nam quid injustius, quam Regiam invadere potestatem, qua per Deum Reges regnant ? Quid injuriosius, quam Reges universos habere tamquam humanæ felicitatis hostes ? Infelicia regna, si ad ea (quod impii unice intendunt) ejusmodi arreperent monstra !

(1) 1. 2. q. 34. a. 3. & q. 26. de ver. a. 10.

(2) Quam insulsus homo Voltairius fuerit, perspicito ex hisce quæ scribit in Dict. loc. cit. » L'Antiquité a beaucoup disputé sur le sou» verain bien ; autant aurait il valu demander ce que c'est le souverain » bleu, ou le souverain ragaût, le souverain marcher, le souverain li» re &c.“ *Antiqui multum disputarunt de summo bono. Quærere autem vellem, quid sit summum cæruleum, quid summus sapor, quid summum ambulare, quid summum legere.* Ineptissime. Si inter colores cæruleos dari non posset summus, quomodo discerneremus inter magis, & minus cæruleum ? nam magis, & minus dicuntur in ordine ad maximum. Quomodo posset dari major, vel minor sapor, nisi dari posset summum ? Poteratne Voltairius currere ut lepus ? aut legere per hebdomadam nulla facta interruptione per dies, noctesque ? Pudet talium ineptiarum. (3) Tom. 5. §. 584.

(4) Si cætera deessent, hoc solum sufficeret ad reponendum Vol-

Quod vero ille addit, unumquemque constituere suum bonum in eo quod sibi placet, verum est de bonis intermediis, quæ quisque libere eligit, non autem de ultimo fine: nam licet quis rationem ultimi finis possit libere constituere in bonis creatis, quæ sunt bona intermedia; ipsam tamen rationem ultimi finis, quam in eis ponit, non amat libere, sed necessario; hæc enim ratio alia non est quam beatitudo; ideo namque bona illa amore prosequitur, quia volumus esse beati: voluntas autem circa beatitudinem in communi non est libera, ut demonstravimus (1).

92 Ad quartum respondemus cum S. Thoma (2): *Ideo plures sequuntur delectationes corporales, quia bona sensibilia sunt magis, & pluribus nota: & etiam quia homines indigent delectationibus ut medicinis contra multiplices dolores, & tristitias. Et cum plures homines non possint attingere ad delectationes spirituales, quæ sunt propriæ virtuosorum, consequens est, quod declinent ad corporales.* Accedunt vulnera peccati originalis, & peccatorum actualium, ob quæ homo magis inclinatur ad sensibilia, quam ad spiritualia. Conatus autem in delectationes sensibiles *physice* quidem est à natura; *moraliter* vero est à voluntate. Quare si eæ delectationes consonæ sint rationi, & legi Dei, honestæ sunt, & bonæ; si autem à ratione, & à lege sint dissonæ, turpes sunt, & malæ (3).

ARTICULUS II.

Utrum homo in hac vita possit esse felix, sive beatus.

93 Cum Stoici nullam cadere tristitiam, nullumque dolorem posse in sapientem dicerent (4), putarentque, omnes animi passiones malas esse, immunemque ab eis hominem vere

---

tairium in numero Atheorum: nam quomodo non Atheus, qui putat summum bonum esse chimæram?

(1) Tom. 5. §. 1085. (2) 1. 2. q. 31. a. 5. ad 1.

(3) S. Thomas ibid. q. 34. a. 1. & a. advertit, *aliquos* Stoicorum docuisse omnes delectationes esse malas; sicut Epicurei dicebant, omnes esse bonas. Apposite autem ait *aliquos*: nam referente Laertio l. 7. Posidonius delectationes bonis accensuit; malis vero Hecaton, & Chrysippus.

(4) Adeatur Seneca Epist. 72. Stoici autem duplex genus sapientum distinguebant, scilicet, vel *consummatæ* sapientiæ, vel *procedentis*. Putat Lipsius in Manud. diss. 7. Stoicos nomine *consummati* sapientis non intellexisse quempiam in natura existentem, sed tantum pos-

sapientem, id est, virtute præditum facerent, ne non esset virtute præditus (1); docebant proinde, sapientem etiam in tormentis positum esse beatum, nec posse à beatitudine excidere, nisi simul excideret à sapientia (2).

94 Videtur autem ita dicendum, I. quia, ut Seneca loquitur (3), miser non est qui virtutem habet. Qui autem non est miser, beatus est: nam quid aliud est beatitudo, quam exemptio à miseria? Vir ergo virtute præditus beatus est. Potest autem homo esse in hac vita virtute præditus. Igitur & potest esse beatus.

95 II. Commoda, & incommoda in hac vita sunt extra nos. Sed quæ extra nos sunt, nequeunt perturbare internam animi tranquillitatem, qua sapiens vere felix est, & beatus in seipso. Sapiens ergo etiam in hujus vitæ incommodis felix est, & beatus (4).

96 III. *Hoc adversus virtutem possunt calamitates, & damna, quod adversus Solem potest nebula* (5). Sol autem nihil in seipso claritatis amittit objectis nebulis. Nec igitur sapiens quidpiam in seipso felicitatis perdit ob ea, quæ ipsius virtuti videntur obesse.

97 IV. Vel sapiens, cui corpus molestum est, habendus erit ut miser, vel ut beatus, vel ut neque miser, neque beatus. Si neque miser, neque beatus, vita ejus non erit neque appetenda, neque fugienda: quod esse non potest. Miser autem esse nequit: nam quomodo miser, qui virtutibus est ornatus? Restat ergo ut sit beatus (6).

---

sibilem. Idque confirmat Quintilianus l. 12. c. 1. Quidquid autem sit de *consummato* sapiente ex mente Stoicorum, certum est, ipsos à quocumque sapiente, ut vere sapiens esset, omnem animi perturbationem removisse. Vide Laert. loc. citat.

(1) Confer S. Thom. 1. 2. q. 24. a. 2. ubi ex Tullio l. 3. Tuscul. explicat discrimen inter Stoicorum, & Peripateticorum sententiam circa passiones.

(2) Vide Senecam Epist. 92. (3) Ibid. (4) Idem ibid.

(5) Idem ibid. (6) Idem ibid.

Prop. I. *Nemo in hac vita frui perfecta felicitate potest.* II. *Imperfectæ tamen atque inchoatæ beatitudinis potest quis in hac vita particeps esse.* III. *Hanc autem imperfectam beatitudinem nonnisi justi percipiunt.*

98 Prob. 1. p. Perfecta felicitas excludit omne malum, omneque implet desiderium; est enim perfectum bonum. Homo autem in hac vita multis subjicitur malis, nedum in corpore (1), sed etiam in animo (2). Bona etiam hujus vitæ brevia, fugacia, & caduca sunt; ipsaque vita fugit velut umbra. Fieri ergo non potest, ut quis in hac vita sit perfecte beatus (3).

99 Insuper perfecta felicitas consistit in visione divinæ essentiæ, ut dictum est (4). Nemo autem in hac vita videre potest Deum per essentiam (5); *Non enim videbit me homo, & vivet*, ut dicitur Exodi 33. v. 20. Perfecta igitur beatitudo non est hujus vitæ.

100 Prob. 2. p. Ut perfecta hominis felicitas consistit in adeptione, & possessione Dei summi boni; ita felicitas imperfecta posita est in inchoata quadam Dei summi boni assequutione. Nam sicut plena Dei possessio consummata felicitas est; ita possessio inchoata est inchoata felicitas. Homo autem in hac vita non adeo est procul à Deo, ut non possit aliquo modo ipsum assequi ut summum bonum. Potest igitur homo in hac vita particeps esse imperfectæ felicitatis (6).

---

(1) Non oportet recensere morbos, quibus homo in corpore subditur, nec ærumnas, & miserias, quibus subjicitur, vel ex propriæ conditionis statu, vel ex aliorum nequitia. Hæc ne numerari quidem possunt.

(2) Quanta sit hominis ignorantia, & quantis inordinatis affectionibus, ac tentationibus animus hominis conflictetur, norunt & ipsi justi, quorum vita jugis est pugna, & militia super terram.

(3) S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 3. (4) §. 88.

(5) Neque ii qui ex speciali privilegio, ut Moyses, & Paulus in hac vita Deum viderunt per essentiam, perfectum beatitudinem sunt assequuti: nam visio illa transiens fuit, neque statum constituit: ideoque nec eos exemit ab hujus vitæ miseriis, ut perfecte beati essent. Solus Christus fuit in mortali vita perfecte beatus, sed beatitudo sequestrata erat in parte superiori, ne ad partem inferiorem diffflueret, atque ita pati posset, esseque viator.

(6) S. Thom. loc. citat.

101 Prob. 3. p. Homo non assequitur Deum in hac vita ut summum bonum, nisi per charitatem; hæc enim est, quæ in hac vita hominem per affectum conjungit Deo ut ultimo fini (1). Nonnisi autem justi donantur charitate. Igitur imperfecta hujus vitæ beatitudo non est nisi justorum (2). Nulla sane potest esse felicitas, ubi nulla pax est. Nulla autem vera

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 3.

(2) Multa hic dicenda forent adversus Antonium Genuensem, qui licet Ecclesiæ Catholicæ Sacerdos esset (in Epigrammate præfixo ejus Compendio *de Jure*, & *Officiis*, ille habet: *ego naturæ simplex, nudusque Sacerdos*, quasi sacerdotium Christianum dedignaretur) de hujus tamen vitæ felicitate loquens, non ut Philosophus Christianus loquitur; an ad Epicureorum mentem, judicent alii. L. 1 de Jure, & Offic. c. 1. §. 4. quærit primum: *quem ob finem genitos nos esse, & vivere dicemus*? Qui prima Doctrinæ Christianæ rudimenta edoctus est, statim respondisset ex Catechismo, genitos nos esse ad Deum amandum, eique serviendum in hac vita, ut in futura vita possimus ipso æternum frui. At vero Genuensis lingua infantium dedignans loqui, imo potius lingua Ecclesiæ, quæ infantes instruit, respondet: *Hominem felicitati nasci, nisi mentiar, non dicam*; quasi non omnes homines creati sint propter vitam æternam, nec *Deus velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ut docet Apostolus 1. ad Timoth. 2. v. 4. Si autem Genuensis, ne mentiatur, non audet dicere, *hominem felicitati nasci*; cur ait Metaph. par. 4. c. 1. §. 9. *Homo factus genitusque ad beatitudinem à natura videtur*? In alterutro ex hisce locis mentitur certe: nam contradictoria simul esse vera non possunt. Sed mendax bene memor esse debet, ne in mendacio deprehendatur.

Pergit ille cit. §. 4. & *duplicem*, inquit, *pleræque omnes gentes felicitatem secernendam, sibique sectandam esse existimarunt, unam præsentis vitæ, quam* naturalem *appellant, alteram futuræ, quam* θεῖνα, *divinam dicunt, &* supernaturalem, *ac cœlestem.* Quænam est hæc felicitas *supernaturalis*, quam *pleræque omnes gentes* lumine veræ Fidei destitutæ agnoverunt, sibique sectandam existimarunt? Potestne intellectus hominis solo lumine naturali *supernaturalia* cognoscere? At quanam ratione *supernaturalia* essent, si non excederent lumen naturale? Et quænam necessitas Revelationis foret, *si gentes pleræque omnes supernaturalem* felicitatem, ad quam cætera supernaturalia mysteria referuntur, potuerunt illam sine ulla revelatione cognoscere? De futura hominis felicitate loquens Apostolus 1. Cor. 2. v. 9. seqq. ait: » Quod oculus non vidit, nec auris audivit, » nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt » illum: Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum . . . Quis

pax esse potest, ubi regnat peccatum. Isaiæ 48. v. 21. *Non est pax impiis, dicit Dominus*: & Lucæ 2. v. 14. annunciatur *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Felicitas ergo, qua in hac vita frui licet, nonnisi justis reservatur, *impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest*, ut dicit idem

---

» enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in » ipso est? ita, & quæ sunt Dei, nemo novit nisi spiritus Dei." Intelligat Genuensis, nobis *Deum revelasse per spiritum suum* felicitatem, & beatitudinem *supernaturalem*, ad quam cognoscendam *gentes pleræque omnes* sine Fide pervenire nullo modo potuerunt. Sed fortasse ille nomine felicitatis *supernaturalis* à *plerisque omnibus gentibus* cognitæ intelligebat *retributionem in altera vita*, quam Gentiles etiam agnoverunt. Scire autem debuerat, neminem eorum admisisse retributionem in altera vita in bonis excedentibus naturalem intellectus cognitionem, nec potuisse ultra progredi sine Fidei lumine. Quamquam neque hæc explicatio pro illo valet: nam ibid. loquitur de felicitate, quæ est *plene virtutis præmium*, & *in Dei ipsius possessione posita est*, & quam nonnisi *Dei donum præstare* potest, & de qua *disserere Theologorum* est: quæ certe est felicitas supernaturalis.

Genuensis autem relicta Theologis provincia disserendi de felicitate *supernaturali*, quærit §. 5. *Qua igitur in re præsentem sitam esse dixerimus*? Monet autem, naturam esse excutiendam, non recitandas vanas Philosophorum imaginationes. Recte quidem fecisset, si ita fecisset, addidissetque lumen revelationis; sola enim natura cæcutit, cum agitur de vera felicitate etiam hujus vitæ. Verum non aliud ille fecisse videtur, quam Epicureorum adoptare deliria. » Ecquid, *inquit*, » natura nostra poscit? *Nempe non dolere corpore, non ægrescere animo,* » *idque persentire vivide, constanterque.* Igitur conscientia vacuitatis do» loris, & ægritudinis magnum est illud bonum, & summum, quod in » hac vita homines appetunt, & sequuntur. Ei cogitant: ei allaborant. » Quidquid agunt, quidquid abstinent, fugiendi causa doloris, repellen» dæque ægritudinis agunt, abstinentque. Quin *si dolent, dolent, ne do*» *leant.*" Mentior, si non hæc ferme ad litteram ex Epicuro sunt descripta. In epist. ad Menicœum, quam refert Laertius lib. 10. sic Epicurus: » Sine errore speculatio est, ut noverim quid eligendum, » quidve fugiendum sit ad bonam corporis tuendam valetudinem, ani» mique quietem. Hic enim finis est bene, beateque vivendi. *Hu*» *jus enim gratia omnia agimus, ut neque doleamus, neque per*» *turbemur.*" Et paulo post: » Non omnem voluptatem eligimus, ve» rum sæpe plerasque transgredimur, quando ex his major molestia » sequitur, *doloresque nonnullos voluptatibus præstare arbitramus...* » *dolor malum est, non tamen semper quivis repudiandus est dolor.*"

Isaias ib. v. 20. veram invenire pacem nequeunt. Cum enim sint aversi à Deo per peccatum, aversi proinde sunt à summo bono, à quo est omnis vera pax, & felicitas. Aversi ergo à summo bono, sunt etiam à vera pace & felicitate aversi. Distrahi ergo possunt, felicitatem quærentes in rebus creatis, numquam vero eam etiam imperfectam assequentur, nisi ad Deum summum bonum se convertant per charitatem. Itaque *dicite justo, quoniam bene... væ impio in malum*, ut dicitur Isaiæ 3. v. 10. seq. semper enim datur justo gaudere in Domino, etiam in ipsis tribulationibus, quas libenti animo ferunt, ut Dei obsequantur voluntati: impiis autem nullum est verum gaudium etiam in ipsis sæculi obletactionibus, quæ excitare appetitum possunt, explere non possunt.

102 Hinc vero sua sponte sequitur, media ad veram felicitatem etiam hujus vitæ assequendam, esse observantiam mandatorum Dei, virtutum cultum (1), ac præsertim humilitatis; vitiorum fugam; malorum cupiditatum coercitionem; vitæ, si minus

---

Perspicitis, non tam esse ovum ovo simile, quam similis est Genuensis sententia sententiæ Epicuri; nisi quod Epicurus illud *neque doleamus, neque perturbemur* ad voluptatem retulit tamquam ad ultimum finem; Genuensis vero verbis quidem illud *non dolere corpore, non ægrescere animo* dixit *magnum, & summum bonum, quod in hac vita homines appetunt*; revera tamen ipsum *non dolere, & non ægrescere* ad voluptatem retulit: nam quomodo *magnum, & summum bonum* in meris privationibus, cujusmodi sunt *non dolere, & non ægrescere*, consistere potest, cum privationes sint non entia; bonum, vero & ens unum & idem sint? nam quod ens non est, ne bonum quidem esse potest. Non negamus, homines naturaliter expetere non dolere, & non tristari; sed quod vacuitas doloris, & tristitiæ sit *magnum illud, & summum bonum*, quod homines appetunt, id vero negamus vehementer: nam ut profunde S. Thomas 1. 2. q. 36. a. 2. causa, unde est primum principium motus doloris, & tristitiæ, est amor erga bonum, inclinans consequenter ad repudiandum malum contrarium. Ipsa igitur appetitio non dolendi, & non tristandi est ab amore boni, quod si obtentum sit, sitque summum, ut accidit in beatis, causat vacuitatem cujuscumque doloris, & tristitiæ. In hac autem vita nemo umquam erit omnino vacuus à dolore, & tristitia, quia numquam mortali corpore degens anima consequetur summum bonum clare visum, quod solum explere omne desiderium potest, omnemque expellere dolorem, & tristitiam.

(1) Idem Genuensis in Epist. ad Nicolaum Vivianum, præfixa tom. 4. Metaph. licet videatur virtuti primas partes concedere ad bea-

recta fuerit, emendationem; ejusdem emendationis efficaciter capiendæ retinendæque consilium; consortium, & conversationem cum sanctis hominibus; bonorum librorum lectionem; prudentis

---

te vivendum, ut facere videtur etiam impius Auctor syst. nat. tom. 1. c. 15. seq. plura tamen congerit animadversione digna. Principio ait: „Eos qui in iis rebus occupantur, quas ab omni vitæ humanæ „usu remotas, etsi fortasse jucundas, nullius tamen scire interest, „& iners esse telluris pondus, & plurimum aliis nocere posse, quos „exemplo suo ad subtiles inanesque acroaseis pertrahant.“ Non est Oedipo conjectore opus, ut intelligamus quinam sint ii, quos Genuensis *iners esse telluris pondus* arbitratur. Crebra phrasis hæc est in ore eorum, qui putant homines soli Deo, rebusque Divinis vacantes, inutilia esse reipublicæ pondera; quasi Divinorum contemplatio nihili in rebus publicis habenda sit; neque obsecrationibus, precibus, jejuniis, aliisque piis ejusmodi hominum operibus, Divina in respublicas implorentur, conferanturque beneficia.

Deinde Genuensis animadvertit, primam in brutis, & hominibus propensionem esse ut sint. Quo ex principio infert: *Ut nulli magis cum natura pugnent, quam qui impie ad genus humanum tollendum ingenii, & naturæ vires præpostere adhibent.* Sunt hæc ita indiscriminatim dicta, plane ad gustum illorum, qui negant, quempiam posse à publica Potestate ad mortem damnari. Nam si eadem propensione, qua homines quærunt ut sint, quærere etiam debent ut sint alii, nulla facta exceptione; impium erit, morti addicere delinquentes; & qui ita faciunt, ingenii, & naturæ vires præpostere adhibent. Martyres quoque phanaticorum cœtui adscribendi erunt, propterea quod mori maluerunt, quam Christum negare.

Transit Genuensis ad alteram naturæ propensionem, ut homines non solum sint, sed etiam *ut bene sint, id est sine dolore, sine ægritudine.* Ait porro, virtutis maximæ esse, *adlaborare, ut tum nos, tum alii, quibuscum communem habemus naturam, sine dolore simus.* Ii ergo, de quibus scribit Apostolus ad Gal. 5. v. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*: ii qui jejuniis, ciliciis, flagris, vigiliis corpus suum in servitutem redigunt, maxima erunt virtute orbati; non enim adlaborant, ut *sine dolore sint.* Parentes etiam, & magistri, qui in virga corripiunt filios, & discipulos; Magistratus quoque, qui sontes doloribus, & tormentis afficiunt, expertes erunt virtutis; non enim adlaborant, ut alii *sint sine dolore.*

Exstat & tertia naturæ propensio ad generationem. De hac autem Genuensis loquens, sistit gressum, &: *suscepi*, inquit, *tibi, mi Viviane, instituti operis rationem reddere, à quo sæpe me pietatis causa longius rapit.* Quid hic involutus loquendi modus? Loquere aper-

conscientiæ Moderatoris directionem; cognitionem sui (1); Sacramentorum cum debita præparatione frequentiam; Divinarum rerum assiduam meditationem (2); ferventes ad Deum preces ejus gratiæ implorandæ causa, sine qua nemo conjungitur Deo per charitatem. Hæc est compendiosa ad veram felicitatem via, quam nisi ingrediamur, frustra quæremus pacem, animique tranquillitatem; sed de nobis verum erit quod dicitur Isaiæ 59. v. 7. seq. *Cogitationes eorum, cogitationes inutiles: vastitas, &*

---

te. Probasne cœlibatum, an reprobas veluti contrarium propensioni, institutionique naturæ? Si longius raperis à causa pietatis, quid hoc est aliud, quam dicere, timere te, ne si aperte cœlibatum reprobares, foras ab Ecclesia ejicereris?

Cætera nunc dimittimus. At præterire non possumus, quæ scribit ille l. 1. de Jur. & Offic. c. 1. §. 6. ubi mala distribuit in *moralia*, & *Theologica*, veluti reproducens sententiam *peccati philosophici*. De malis autem moralibus scribit: *errore, opinione, falsitatibus, peccatis, sceleribus distrahimur perpetuo, ac infelicitamur; quæ mala dicuntur moralia*: quasi quisquis errat, aut opinatur, aut falsitati cuipiam assentitur, etiamsi contra nullam legem agat, continuo polluatur malis moralibus. De malis vero *Theologicis* ait: » Accessere » Theologi quidam, qui sive ex suo jecinore Deum ac Divina æsti» mantes, seu vetera ac sancta pervertentes oracula, infestissimis opi» nionibus opplevere populos, ac odio, ira, & rabie impulerunt, » quo sese mutuis cædibus conficerent.“ Quænam sunt hæ cædes, quas Theologi *ex suo jecinore* procurarunt? Nisi forte Genuensis loquutus fuerit vel de Martyribus, qui pro Christo fuderunt sanguinem; vel de bellis susceptis Catholicæ Religionis causa; vel de Principum potestate damnandi reos capitali sententia; vel de pœnis in hæreticos, impiosque homines ab ipsis politicis Potestatibus constitutis, de quibus postremis videtur ille solicitior esse; chimæricæ sunt, & ex Genuensis *jecinore* prodeuntes cædes illæ mutuæ, quibus populi sese invicem confecerint ex *infestissimis Theologorum opinionibus*.

(1) Huc respiciebat illud antiquorum γνῶθι σεαυτόν, *nosce teipsum*. S. Bernardus l. 2. de Consid. c. 3. » Etsi sapiens sis, deest tibi ad » sapientiam, si tibi non fueris. Quantum vero? Ut quidem senserim » ego, totum. Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terræ, al» ta cœli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti si» ne fundamento, ruinam, non structuram, faciens.“

(2) S. Augustinus l. 5. Confes. c. 4. » Infelix homo qui scit illa » omnia, te autem nescit: beatus autem qui te scit, etiamsi illa nes» ciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beatior, sed » propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut Deum glorificet, » & gratias agat, & non evanescat in cogitationibus suis.“

contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt. De hac autem ipsa inchoata felicitate egregie S. Augustinus (1) »Hic, *ait*, »dicimur quidem beati, quando pacem habemus, quantula»cumque hic haberi potest in vita bona: sed hæc beatitudo »illi, quam finalem dicimus, beatitudini comparata, prorsus »miseria reperitur.« Nam felicitas justorum in hac vita non est in requie excludente omnem pugnam, sed in pugna ipsa, qua vincunt carnem, & sanguinem, & spiritalia nequitiæ, ut adhæreant Deo: requies autem perfecta est tantum in spe; quæ tamen spes magnum adjunctum habet gaudium; ideoque Apostolus Rom. 12. v. 12. *Spe*, ajebat, *gaudentes: in tribulatione patientes.* Et Christus ipse Matth. 5. beatos etiam in hac vita appellat pauperes spiritu, lugentes, esurientes, sitientesque justitiam.

103 Ad primum respondemus, hominem virtute præditum miserum non esse, qua ratione est virtute præditus; at nihilominus aliunde pluribus in hac vita est subjectus miseriis, sive in corpore, sive in animo, quæ ejus felicitatem nedum perfectam, sed etiam imperfectam impediunt, nisi sit Deo per charitatem conjunctus (2).

---

(1) Lib. 19. de Civ. c. 10.

(2) De ineptitudine Philosophiæ Stoicæ ad hujus vitæ felicitatem scripserat Maupertuisius in lib. inscripto: *Essai de Philosophie morale*, illamque c. 6. comparans cum Philosophia Christiana, eamdem quam nos sententiam amplectitur; arbitraturque, non in prosequutione solius honestatis actionum, quam sibi ut ultimum finem Stoici constituebant, sed in animi tranquillitate, quam Dei amor causat, reponendam esse felicitatem hujus vitæ. Adversus Maupertuisium insurrexit Franciscus Zanottus in Dissertatione Italica ad Comitem Gregorium Casalium, quæ exstat in calce operis ejusdem Zanotti *de Philosophia morali ex opinione Peripateticorum.* Zanottum impugnavit noster Ansaldus in opusculo, cui titulus *Vindiciæ Maupertuisianæ.* Nobis autem Maupertuisiana sententia in hac re placet; neque umquam ad concedendum inducemur, potuisse Stoicos, qui fatum admittentes, libertatem negabant, & Divinam Providentiam, unamque honestatem ut finem ultimum agnoscebant, vera hujus vitæ tranquillitate frui, à qua certe immensum distabant: nam fieri non potest, ut animus noster quiescat nisi in Deo. Stoici vero quiescendum ultimo, & unice putabant in actionum honestate, quæ cum aliquid creatum sit, non sinit, ut animus in ea quiescat. Stoici ergo sibi blandiebantur de adsequuta felicitate: nam licet fortasse ob contemptum voluptatum corporearum non ita vividos experirentur concupiscentiæ stimulos; haud tamen interna animi vera pace, in qua beatitudo im-

104 Ad secundum dicimus, non omnia incommoda hujus vitæ extra nos esse; multa enim, & quidem validiora intra nos sunt, ut ignorantia, malitia, & passionum multiplex apparatus nam quod Stoici nullam in sapientem cadere animi perturbationem posse adserebant, tam est falsum, quam quod maxime, ut infra demonstravimus. Ipsa quoque exteriora incommoda, cum afficiunt corpora nostra, in animam transeunt, quæ intime corpori conjuncta est. Quare confictus erat Stoicorum ille sapiens, qui inter incommoda hujus vitæ perfectam servaret naturali sua vi (1) animi tranquillitatem, essetque beatus. Et per hæc

---

perfecta reposita est, fruebantur. Quomodo enim ea fruerentur alieni à Deo, quem *non sicut Deum glorificaverunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt?* uti de ipsis non minus, quam de cæteris gentilibus Philosophis dicit Apostolus Rom. 1. v. 21. seq.

(1) Diximus *naturali sua vi*; concedimus enim, ex superabundante divinæ gratiæ, & amoris excessu contigisse, ut Martyres plerique, & alii Sancti inter acerbissima tormenta vix, aut ne vix quidem sentirent vim doloris. Sic S. Laurentius Martyr in craticula positus, cum lento igne ureretur, tyranno insultabat. Sic S. Tiburtio super prunas ardentes incedenti videbatur super rosas incedere. Sic Angelicus Præceptor, in altissimam contemplationem raptus, nullum monstravit doloris sensum, dum in crure, curante Medico, ureretur. Sed hi longe aberant à perfecta beatitudine, quam nondum erant adsequuti. Fuerunt nonnulli Philosophi, qui tormenta alacriter sustinuerunt, ut Anaxarchus, qui, cum manus ejus in mortario contunderentur, carnificibus dicebat: *Anaxarchi culeum tundite*; ut Epictetus, qui cum crus ei frangeretur, philosophabatur velut in alieno corpore; ut Socrates, qui cicutam perlibenter accepit, perinde ac si non esset lethale poculum. Vide Nazianz. Epist. 58. Verum hi magis vanitate, quam vera sapientia ducebantur; & aucupandæ humanæ gloriæ ergo tormenta contemnebant. Idem dicendum de servo illo, qui Asdrubalem interfecit, ut refert Justinus l. 44. c. 5. & inter atrocissima tormenta triumphare visus fuit. Idem de Huronibus, Hiroquosiis, Galibiis, aliisque populis, quorum meminit Leibnitius Theod. §. 256. tamquam hostibus insultantium, dum ignibus torrentur, & frustatim devorantur. Idem de nonnullis pseudomartyribus, qui tormenta despexisse visi sunt. Hi namque non vera animi fortitudine, sed desperatione, & in malis obduratione ita sese gesserunt: quod ex inspecta eorum tota vivendi ratione apertissime constat. Vide S. Thom. 2. 2. q. 126. a. 1. Quare non probamus quod ait Cartesius l. 1. Epist. 9. *etiam inter funestissimos casus, & dolores acerrimos posse quemque semper esse contentum, modo ratione uti noverit.* Multoque minus

patet responsio ad tertium; nebulæ enim ad Solem non perveniunt, uti perveniunt ad animam in carne positam, corporis dolores.

105 Ad quartum dicendum, non ex sapientia, quatenus sapientia est, contingere, ut homo sit miser; contemplatio enim veritatis conjunctam delectationem habet, ut S. Thomas ostendit (1); non propterea tamen sapiens homo in hac vita beatus est, tum quia & ipsa ejus sapientia imperfecta est, nec satiare eum potest; tum quia alias miserias non excludit, quibus homo tam in anima, quam in corpore subjicitur.

ARTICULUS III.

Utrum felicitas, & infelicitas æstimandæ sint ex summa bonorum, & malorum.

106 Quærens Bælius (2), plusne boni, quam mali sit in mundo, mala prævalere bonis affirmat, Plinium (3) sequutus. Econtra Leibnitius (4), plus boni in mundo esse, quam mali, statuit post Euripidem. Robinetus autem (5) arbitratur, bonorum summam in natura omnino æqualem esse summæ malorum, nec fieri posse, ut minus mali, quam boni, aut minus boni, quam mali sit in mundo. Maupertuisius vero (6)

---

quod ait Leibnitius Theod. §. 257. mirificum illum vigorem animi posse educatione acquiri. Nam licet contemplatio veritatis mitiget tristitiam, & dolorem, non tamen abolet, nisi cum perfecta est, & divina; ad quod sola humana ratio non pervenit. S. Thomas 1. 2. q. 38. a. 4. » Contemplatio veritatis, *inquit*, mitigat tristitiam, & dolorem, & tanto magis, quanto perfectius aliquis est amator sapientiæ; » & ideo homines ex contemplatione divina, & futuræ beatitudinis, in » tribulationibus gaudent, secundum illud Jac. 1. v. 2. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.*" Educatio autem non adeo valere potest, ut satis sit ad actus difficillimos; alioquin & ipsa Martyrum constantia posset in educationem referri: quod tamen adserere impium est. Vide S. Thom. 2. 2. q. 124. a. 3.

(1) 1. 2. q. 31. a. 5.

(2) Resp. ad quæsita Provinc. c. 75. & in Dict. a. *Xenophanes.*

(3) Hist. l. 7. in Proœm. ubi dicit, non satis æstimare, an natura *parens melior homini, an tristior noverca fuerit.*

(4) Theod. §. 258. seqq. (5) *De la nat.* p. 1. c. 26. seqq.

(6) Essai de Phil. mor. c. 1. seqq.

primum quidem distinguit tempus voluptatis in plura momenta, quæ appellat felicia, ipsaque eò plus æstimari vult, quò sunt longiora, atque in eis voluptas est intensior; idque in ratione temporis, & intensionis voluptatis; indeque infert, bonum esse summam momentorum felicium; malum esse summam momentorum infelicium; ideoque ut decerni possit de hominis felicitate, vel infelicitate, sic statuit: Cum in omni homine certa sit summa bonorum quibus fruitur, & certa summa malorum quæ patitur; si facta subtractione, remanebit aliquid boni, homo dicendus erit felix, & felicitas ejus erit ut residuum illud boni. Si autem facta subtractione supererit aliquid mali, homo erit infelix, & infelicitas ejus erit ut residuum illud mali. Si vero summæ bonorum, & malorum ita se habeant, ut facta subtractione nihil sit reliquum; homo non erit neque felix, neque infelix, & nihil oportebat, ut esset ortus in mundo. Accedens porro ad quæstionem, utrum in vita hominis major sit numerus bonorum, quam malorum, censet, totam hominis vitam aliud non esse quam continuatam seriem malorum (1); ideoque neminem in hac vita esse felicem. Conatur vero ad media reperienda, quibus felicitas augeatur (2), ac bina proponit, alterum, si augeatur summa bonorum; alterum, si minuatur summa malorum. Denique felicitatem præsentis vitæ non alibi inveniri posse ait, quam in Dei amore, ut dictum est (3). Huic postremæ Maupertuisianæ adsertioni jam subcripsimus. At ne reliquis subscribamus, multa prohibent. Itaque primum in hoc articulo expendemus summam ipsam bonorum, & malorum; deinde ea inter sese conferemus, ut æstimatio possit institui, & felicitas, vel infelicitas definiri.

107 Videtur autem 1. cum Robineto (4) dicendum, bonorum, & malorum summam æqualem esse. In qualibet enim creata re bonitas non est pura, cum non sit infinita. Quilibet ergo

(1) Non videtur id cohærere cum calculo, quem Maupertuisius institui vult in summis momentorum felicium, & infelicium: nam si vita hominis tota non est aliud, quam continuata series malorum; quænam restat computatio facienda momentorum felicium, & infelicium? cum omnia sint infelicia.

(2) Neque videmus, quomodo augeri possit summa bonorum, & minui summa malorum, si tota hominis vita est continua malorum series. Hæc deberet abrumpi, aucta summa bonorum, & diminuta summa malorum, ideoque non esset continuata.

(3) Not. 2. pag. 72. (4) Loc. cit. c. 33.

gradus bonitatis creatæ conjungitur cum uno gradu mali; neque ullus est gradus mali absolute; cum enim malum totale non sit nisi imperfectio boni totalis, quod esse non potest infinitum, proinde quilibet gradus mali procedit ex incompletione particulari cujuslibet gradus bonitatis. Quantitas ergo mali necessario est æqualis quantitati boni.

108 II. Malum adhæret entibus finitis in omnibus punctis eorum essentiæ, in omnibus eorum relationibus, in omnibus eorum qualitatibus. Si summæ actuali bonorum addatur novum aliquod bonum in omni sua intensitate, nullam habebit partem bonitatis puræ, quæ nulli sit permixta malo; ideoque quot gradus bonitatis, totidem mali habebit, nec poterit non habere; malum enim est bono, sicut umbra corpori, nec potest esse umbra sine corpore.

109 III. Non potest bonum excedi à malo: nam vel quilibet gradus bonitatis subdividi potest, vel deventum est ad ultimos terminos. Si nulla fieri subdivisio potest, gradus bonitatis sunt præcise ut simplices unitates, nec gradus mali possunt esse minores. Si dividi rursus possunt, saltem nullus gradus bonitatis erit purus, & divisiones, quamlibet multiplicatæ, dabunt semper portionem mali æqualem portioni boni, donec perveniatur ad partes simplices utriusque. Fieri ergo nullo modo potest, ut bonum non sit æquale malo in natura.

110 IV. Ex Maupertuisio (1). Hominis vita aliud non est, quam continuata series desideriorum transeundi ab una ad aliam rem. Homo igitur numquam contentus est ea re, qua fruitur. Fruitio igitur illa adjunctum habet aliquid mali; ideoque tota vita hominis est continuata series malorum.

111 V. Statim atque homo incipit aliquid desiderare, vellet illud consequi absque ulla dilatione, imo vellet, ut in nihilum redigeretur omne illud tempus, quod præcedit consequutionem rei desideratæ. Cum igitur homo in hisce desideriis indesinenter versetur, vult proinde ut tota vita sua redigatur in nihilum.

112 VI. Homo perenniter quærit animi oblectationes, ut tædium molestiamque pellat. Perennes igitur sunt ejus animi perturbationes.

113 VII. Ex Bælio (2). Præter mala physica, quæ undique homines circumstant, infinita pene sunt mala moralia in qualibet hominum conditione, etiam inter ipsos Christianos,

(1) Loc. cit. c. 2. (2) In Dict. art. *Xenophanes*.

Catholicosque (1), imo inter ipsos Monachos, Religiososque viros (2); cum quibus quidem malis si bona moralia comparentur, nemo, nisi apertæ veritati contradicat, audebit dicere, majorem in mundo esse quantitatem bonorum, quam malorum.

Prop. I. *Si mala physica cum bonis physicis comparentur, summa bonorum excedit numero malorum summam.* II. *Si vero comparentur mala moralia cum bonis moralibus, summa malorum, prout ab hominum voluntate procedentium, excedit numero summam bonorum moralium ab eadem voluntate procedentium.* III. *Exceditur tamen, prout mala illa à Divina Sapientia ordinantur in bonum.* IV. *Felicitas autem vera æstimari non potest ex summa bonorum creatorum, etiamsi ipsa bona summam malorum numero excedant; semperque homo erit infelix, etiamsi omnia creata bona possideat, nisi Deum possideat.*

114 Prob. 1. p. Mala physica nihil sunt aliud, quam privationes, sive remotiones bonorum physicorum à subjectis aptis ad ea bona recipienda. Remotis autem bonis, vel remanent subjecta apta ad ea recipienda, vel non remanent. Si non remanent; igitur nec remanebunt mala, quæ sunt privationes eorum bonorum; ideoque non poterunt mala numero excedere bona. Si autem remotis bonis adhuc perstant subjecta illis privata; igitur præter illa bona, quorum mala sunt privationes, alia remanent bona: nam subjecta illa & ipsa sunt

(1) Verba Jurieu *vrai syst. de l' Eglise*, describit Bælius loc. cit. » que l' Italie, & l' Espagne sont des lieux où il n' y a gueres plus de » véritable vertu qu' en Turquie.“ *Italia, & Hispania regiones sunt, in quibus non magis, quam apud Turcas vera virtus reperitur.* Atrox calumnia impugnatione non eget. Partus erat impii eorum animi. Non negamus, & in Italia, & in Hispania homines esse filios Adæ. Quot autem ibi fuere, & sunt animæ sanctitate præcellentes, quibus Deus affatim charismata sua largitus est! Jurieus, & Bælius excruciabantur, quod in hæreticos, & incredulos Italia, & Hispania severe animadvertebant.

(2) Non minus atrox erat ejusdem Jurieu calumnia, quam ibid. describit Bælius: » que c'est une notorieté publique, & reconnuë, que » tous les Couvents d' Espagne & de Portugal sont des lieux de pro- » stitution.“ *Notum publice, cognitumque est, omnes Hispaniæ, & Portugalliæ Conventus loca esse prostitutionis.* Excepisset vel saltem

bona physica, cum revera sint aliquid positivum in natura, habentque naturam existentem, quæ bonum aliquod physicum est (1).

115 Præterea, si summa bonorum physicorum non excedit numero summam physicorum malorum, vel mala sunt numero æqualia bonis, vel bona exceduntur numero à malis. Fac autem, mala esse numero æqualia bonis: totidem erunt mala, quot bona. Mala vero sunt privationes bonorum. Nulla igitur erunt bona. Quod si nulla sint bona, nulla etiam erunt mala, nam privationes sine aliquo positivo in quo sint, esse non possunt. Fieri ergo nequit, ut mala physica sint numero æqualia bonis physicis. Fac etiam, numerum ejusmodi malorum excedere numerum bonorum; jam plures erunt privationes bonorum, quam ipsa bona, quorum sunt privationes. Quorum igitur bonorum erunt privationes illa mala, quæ numero excedunt bona? Non enim possunt esse privationes bonorum, quorum numerum excedunt. Sint vero, ubinam existent? Non in bonis quidem, alioquin non excederent numerum bonorum. Seipsis autem esse non possunt, cum non sint entia positiva. Fieri ergo nullo modo potest, ut mala physica sint numero æqualia, vel majora bonis physicis. Necesse igitur est, ut summa malorum physicorum excedatur numero à summa physicorum bonorum. Atque id est, quod S. Thomas demonstrat (2), cum ostendit, non posse malum corrumpere totum bonum. Nam si totum bonum non corrumpitur à malo; posito quocumque numero malorum, semper reliquum erit aliquid boni ultra malorum summam.

116 Altera pars, quoad universitatem hominum spectat (3), probatione non indiget: nam *stultorum infinitus est numerus*, ut dicitur Eccl. 1. v. 15. & major est impiorum quam justo-

---

unum. Sed quisque judicat, ut est affectus. Innumeri pene sunt sancti Viri, & Mulieres, etiam heroicæ sanctitatis, ex Hispaniæ, & Portugalliæ Conventibus, & Monasteriis Ecclesiam Dei illustrantes. Proferat Jurieu vel unum talem ex suis gregalibus Protestantibus. Si Conventus illos adiisset, vidisset continuata jejunia, vigilias frequentes, verberationes etiam cruentas pie desævientium, audivissetque juges ferme Monachorum, Fratrum, & Monialium psalmodiam, & preces: quæ certe non sunt prostitutionis indicia.

(1) Vide S. Thomam l. 3. cont. Gent. c. 11.

(2) 1. p. q. 48. a. 4.

(3) Non consideramus singulares homines; in his enim quandoque numerus actionum bonarum moraliter excedit numerum malarum; quandoque exceditur. Nec etiam consideramus actiones moraliter bonas

rum multitudo. Neque est cur miremur; *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, ut dicitur Gen. 8. v. 21. Mirandum potius est, extollendaque divinæ gratiæ potentia, quod in tanta naturæ corruptione tam multi sint, qui dicere possunt cum Apostolo 2. Cor. 10. v. 3. seq. *Carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.*

117 Tertia pars constat ex dictis (1); cum enim Deus sit ita potens, ut bene faciat etiam de ipsis malis; hæc proinde à Deo ordinantur in bonum. Itaque & ipsa mala moralia non prævalent bonis moralibus: nam Deus ex unoquoque illorum omnipotenti virtute sua elicit bonum; ut enim egregie S. Augustinus (2): *qui injuste se ordinat in peccatis, juste ordinatur in pœnis*; quæ quidem ordinatio bona est. Sive ergo mala sint physica, sive moralia, semper exceduntur à bonis: falsissimumque est, quod impii ajunt, plus mali quam boni esse in natura (3), aut æqualem esse summam bonorum summæ malorum.

---

omnium creaturarum intellectualium, comprehensis quoque Angelis bonis; cum enim numerus Angelorum bonorum longissime excedat numerum omnium hominum, & Angelorum malorum, certissimum est, bona moralia universim immensum superexcedere mala moralia omnium hominum, & dæmonum.

(1) Tom. 5. §. 721. (2) Epist. 140. al. 120. c. 2.

(3) Impius Bælius in Dict. a. cit. Luciferum imitatus, qui bellum contra Deum Altissimum tentavit aggredi, omnes suos instruit conatus, ut diaboli supra Christum (quod horrent aures) extollat victorias. » Pour connoître si le bien moral égale le mal moral parmi les » hommes, il ne faut que comparer les victoires du demon avec » celles de Jesus Christ. Or en parcourant l'histoire, nous ne trou- » vons que peu de triomphes de Jesus-Christ: *Apparent rari nantes* » *in gurgite vasto*, & nous rencontrons par tout les trophées du de- » mon." Ut cognoscatur, an bonum morale æquale sit malo mora- » li inter homines, aliud facere non oportet, nisi comparare victorias » dæmonis cum illis Jesu Christi. Si autem historiæ percurrantur, non » invenimus, nisi paucos Jesu Christi triumphos: ubique vero sese of- » ferunt dæmonis triumphi." Vidistin' contumeliosiorem hominem in Divinum Salvatorem nostrum? Ne Manichæi ipsi quidem ita loqui sunt ausi: nam Christum Dominum honore prosequebantur. Ne miremini: Bælius nullius religionis homo fuit. Miramini potius, inter Catholicos reperiri multos, qui Bælium & legunt, & extollunt, cum

118 Nunc vero pauca de postrema prop. parte. Nam ex dictis constat (1), veram felicitatem, ne illa quidem excepta, qua in hac vita inchoate, imperfecteque frui licet, haud posse consistere in ullo creato bono, quodcumque illud sit, & non nisi in Deo veram felicitatem nostram esse repositam. Frustra igitur à recentioribus Philosophis instituuntur calculi (2) ad numeranda momenta felicia, vel infelicia, conficiendamque summam bonorum quibus quis fruitur, aut malorum quæ patitur, ut eæ summæ invicem comparentur. Frustra laboratur ad augen-

---

tamen apertissimus sit Jesu Christi hostis, & contemptor. Quinam sunt illi dæmonis triumphi, quos Bælius extollit, si Christus Deus omnipotenti virtute sua de omnibus hominum peccatis bene facit; peccatoresque injuste se ordinantes, juste ordinat in pœnis? An dicetur in acie quis triumphare, qui aliud non facit, nisi exequi consilia Ducis, ac Regis, sub quo decertat? An triumphator erit, qui sinitur vincere, ut vincatur, utque parta ab ipso victoria illustriorem reddat alterius victoriam? Vel unius justi salus triumphus augustior, excelsiorque est, quam infinitorum hominum perditio; hæc enim est ex conditione naturæ corruptæ, illa ex potenti efficacia divinæ gratiæ, quam nobis Christus promeruit.

(1) Art. 1. & 2. hujus quæst.

(2) Animadvertite, quam sit inanis Maupertuisii labor; quis enim universa momenta vitæ suæ, præterita, præsentia, ac futura numerare potest, ut summam colligat momentorum felicium, vel infelicium? Quis voluptatis majorem, vel minorem durationem, & intensionem in singulis illis momentis expendere, ut facto calculo decernat, aliquid sibi remanere boni quo fruatur, sitque propterea felix; aut aliquid superesse mali quod patiatur, ideoque sit infelix? Quid vero, si quis omnia præterita momenta habuisset felicia; in momento autem præsenti malis gravissimis premeretur? An quidquam valeret calculus momentorum præteritorum? Quid, si præterita momenta omnia fuissent infelicia; præsens vero esset felix? Quomodo etiam ex facta subtractione nihil poterit remanere neque boni, neque mali, hominemque in statu esse neque felici, neque infelici, cum homo non nisi ob felicitatem sive ob bonum moveatur ad agendum, illamque ut ultimum finem necessario quærat in quavis actione sua, nec sit infelix, nisi quia felicitatem quærit ubi non est? Sequeretur certe, hominem in ea hypothesi agere non posse, ideoque nec posse comparare momenta felicia, vel infelicia, ut experiretur, an aliquid superesset boni, vel mali. Præterea quænam felicitas, nisi tantum in apprehensione, superesse potest ex calculo momentorum, quæ sibi succedunt, nullo præsente nisi uno tantum indivisibili? An non ipsa momentanea voluptas veram felicitatem excludit? Insuper

dam summam bonorum creatorum, minuendamque summam malorum (1). Frustra dicitur: *ea beatitudo, quam in hac vita sequi, & adipisci possumus, est, minima de malis* (2). Nam si de malis physicis sermo sit; justi diligentes Deum, inter ipsa tormenta acerbissima, beatitudine fruuntur, quam adipisci in hac vita possunt. Si vero de malis moralibus instituatur sermo, quodlibet peccatum, quod hominem separat à Deo, ipsum omni vera felicitate privat. Universim vero felicitas etiam hujus vitæ in sola privatione consistere nequit, ut est illa, *minima de malis.*

119 Ad primum jampridem responderat S. Thomas (3), ignorantiamque Robineti detexerat. Itaque concedimus, bonitatem creatam non esse puram, eo quod finita est; negamus vero, quemlibet ejus gradum esse conjunctum cum uno gradu mali. *Malum* inquit Angelicus, *importat remotionem boni, non autem quælibet remotio boni malum dicitur. Potest enim accipi remotio boni & privative, & negative. Remotio igitur boni negative accepta mali rationem non habet; alioquin sequeretur, quod ea quæ nullo modo sunt, mala essent. Et iterum, quod quælibet res esset mala ex hoc quod non haberet bonum*

---

si felicitas in residuo illo boni, facta subtractione, consisteret, cum bonum illud sit voluptas, homo in voluptate suum ultimum haberet finem: quod Epicureismum redolet. Algebra igitur abutitur hac in re Maupertuisius, ad tenebras rebus clarissimis offundendas, illudendosque simplices.

(1) Etiam in infinitum aucto numero bonorum creatorum, satiare ea non possent appetitum nostrum, quod expleri non potest nisi à summo increato Bono. Et diminuta etiam in infinitum summa malorum, si aliquid superesset mali vel minimum, felicitas perturbaretur, nec pura dici posset; esset enim mixta infelicitate. Qui adhæret Deo in hac vita, is fruitur felicitate, qua frui mortales homines possunt, etiamsi mala physica accrescant. *Beati estis*, ait Christus Matth. 5. v. 10. *cum maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint.* Et v. 5. *Beati qui lugent.*

(2) Ita Genuensis de jur. & offic. l. 1. c. 1. §. 7. Vide quam procul ille fuerit à vera idea beatitudinis, quam reponit in privatione malorum. Qua tamen in re Epicurum sequitur, qui idipsum docuerat in Epist. cit. ad Menicœum, licet tam Epicurus, quam Genuensis reipsa ponant felicitatem in voluptate, quæ major est, cum minor est numerus malorum, ideoque, ut illi inferunt, maxima debet esse, si mala sint minima.

(3) 1. p. q. 88. a. 3.

alterius rei, ut puta quod homo esset malus, quia non habet velocitatem capreæ, vel fortitudinem leonis. Sed remotio boni privative accepta, malum dicitur, sicut privatio visus cæcitas dicitur. Bonitas igitur creata non est pura, quia deficiens est, & limitata ad certos gradus, nec est ipsa bonitas; non propterea tamen gradus ejus conjuncti sunt cum totidem gradibus mali: nam remotio boni in ejus gradibus non est *privativa*, sed *negativa*. Malum autem non est remotio boni *negative* accepta, sed *privative*. Robinetus ergo nescivit definitionem mali (1); ideoque verba quæ fundit, nihil concludunt; imo ad ejus sophisma respondendum est, negando *suppositum*; supponit enim esse malum id quod malum non est, sed tantum conditio naturæ creatæ, quæ essentialiter est finita, nec potest esse infinita.

120 Ad secundum & tertium eadem adhibenda responsio est; quod enim nulli creato bono additio fieri possit bonitatis puræ, nec gradus bonitatis ita dividi, ut deveniatur ad bonitatem puram, arguit tantum in gradibus bonitatis creatæ remotionem boni *negative*, *non privative*. Umbra autem corporis non est mera *negatio*, sed est *privatio* lucis (2).

121 Ad quartum respondemus cum S. Thoma (3), desideria nostra si vera, & intensa sint (nam de velleitatibus non loquimur), vel esse de rebus, quæ nullo modo habentur; eaque pro majori, vel minori intensitate affectus, majorem vel minorem conjunctam habent animi anxietatem, quæ cum afflictio quædam animi sit, potest inter mala recenseri. Sæpe vero id quod desideramus, habemus imperfecte; tunc autem de eodem potest esse simul & delectatio, & desiderium; delectatio quidem secundum id quod habetur; desiderium vero secundum id quod nondum habetur. Res autem, quæ desiderantur ab hominibus, vel sunt corporales, vel spirituales. Et corporales quidem, quia etiam habitæ in fastidium vertuntur, eo quod *augmentatæ, vel continuatæ faciunt superexcedentiam naturalis habitudinis, ut patet in delectatione ciborum*: idcirco qui eas habitas fastidit, aliquas alias desiderat repellendæ molestiæ causa. Contra vero spirituales res, quia *naturam perficiunt*, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, sunt delectabiles,

(1) Uti illam nescierunt Leibnitius, aliique recentiores Philosophi. Vide quæ diximus Tom. 5. pag. 287. not. 3.

(2) Vide S. Thomam loc. cit. a. 4.

(3) 1. 2. q. 33. a. 2.

eoque magis, quo magis habentur (1). Si ergo perfecte habentur, hominis delectatio in eis perfecta est. Si autem habentur ex parte, delectatur homo in eis ex ea parte, qua ipsas habet; desiderat vero id quod nondum habet earum. Quod quidem desiderium, quamquam sit rei nondum perfecte habitæ in seipsa; quia tamen est rei habitæ in spe, nullam causat anxietatem, & angorem animi, si homo nondum sit in statu illius rei perfecte habendæ. Itaque fatemur, carnales homines vitam agere in continuata serie desideriorum, & molestiarum, quærunt enim delectari in rebus corporeis, in quibus etiam habitis fastidiunt; ideoque eorum vita dici merito potest continuata series ægritudinum, atque dolorum. At justi homines Deum amantes, non possident quidem Deum perfecte in hac vita, quia nondum ipsum clare vident; nihilominus eum possident imperfecte, inchoate, & in spe, quia gratiam sanctificantem habent, quæ est semen gloriæ; neque sunt in statu perfectæ beatitudinis consequendæ, quousque degunt in corpore. Qua parte igitur Deum per charitatem possident, delectantur, imperfectaque felicitate fruuntur. Qua parte vero peregrinantur in corpore, nec sunt Deo præsentes per speciem, desiderant esse cum ipso; nec tamen ejusmodi desiderium eis tristitiam creat, imo ex eodem charitatis fonte, qua Deum amant, procedit; nondum enim sunt in statu videndi Deum facie ad faciem. Itaque soli justi in hac vita imperfecta felicitate fruuntur.

122 Ad quintum dicimus, non omnia hominum desideria tam esse vehementia, & incensa, ut Maupertuisius putat; imo quis umquam exstitit, qui vitæ suæ dies decrescere, & in nihilum redigi concupierit, ut rem quampiam desideratam consequeretur? Cupiunt quidem justi cum Apostolo, disolvi, & esse cum Christo; sed hoc eorum desiderium cum voluntate Dei perfecte concordat. Quisque propterea illorum dicit cum eodem Apostolo ad Phil. 1. v. 23. seqq. *Coarctor à duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Igitur tam non tristantur, quia peregrinantur à Domino, quam amant, cupiuntque, ut voluntas Dei impleatur.

123 Ad sextum concedimus, mundanos homines quærere terrenas delectationes, ad repellendum tædium hujus vitæ; de-

(1) Confer S. Gregorium M. Hom. 36. in Evang.

cipiuntur tamen, si in iisdem delectationibus sistant, quasi per eas possint ad veram felicitatem pervenire. Justi autem homines quærunt quidem delectationes, quæ necessariæ sunt ad vitam transigendam, & ad speciei conservationem; at quærunt illas ut media, quibus utantur ad serviendum Deo, eique obtemperandum; non ut finem ultimum, quo fruantur, & in quo requiescant. Quod si delectationes tales sint, ut cum Dei dilectione compati nequeant, tantum abest, ut eas quærere possint, & in justitia permanere, quin dicant cum Apostolo Rom. 5. v. 3. seqq. *gloriamur in tribulationibus: scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hæc mundani animalesque homines non percipiunt; nam ut idem Apostolus ait 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.*

124 Ad septimum jam dictum est (1), plura quidem esse hominum peccata, quam opera bona, si omnium hominum universitas consideretur; at Deus omnipotens & ipsa peccata ordinat in bonum, deque eis bene facit.

QUÆSTIO III.

De moralitate actuum humanorum.

125 Multa hic dicenda forent de voluntario, & involuntario; de circumstantiis humanorum actuum; de variis intellectus, & voluntatis actibus cum elicitis, tum imperatis; & de bonitate, & malitia eorumdem actuum humanorum sive interiorum, sive exteriorum. Sed quia hæc jam alias fuere à nobis compendio tradita (2), & egregie traduntur à S. Thoma (3), quem nostrates præ manibus habent; ad alia transire visum est, quæ in hac quæstione plurimum intersunt ad refutandos errores recentium incredulorum, aliorumque Philosophorum. Igitur de moralitate actuum humanorum quærentes, expendemus 1. an principia moralitatis ex Dei notione pendeant? 2. an ullus sit in homine instinctus sive sensus mo-

(1) §. 117. (2) Tom. 3. Epitom. Theol. Dog. & Mor. Nat. Alex.
(3) 1. 2. q. 6. seqq.

ralis? 3. an actionum moralium differentia sit tantum ex hominum opinionibus? 4. an omnis moralitas actionum à Dei voluntate & lege pendeat? 5. an moralitas in imputabilitate consistat? 6. an desumatur ex objectis? 7. an dentur actus morales indifferentes?

ARTICULUS I.

Utrum moralitas ex Dei notione dependeat.

126 Atheorum patrocinium suscipiens Bælius (1), conatur ostendere, eos posse virtutes colere, integramque etiam conflare rempublicam ex ipsis tantum constantem. Quod & Athei cæteri dementissime dicunt, statuentes, notionem existentiæ Dei nihil omnino conferre ad virtutes fovendas, & vitia extirpanda (2).

127 Videtur autem ita dicendum 1. quia in Atheis extinctum non est rationis lumen, quo possint honestum ab inhonesto, justum ab injusto, virtutem à vitio discernere. Cur ergo no poterunt virtutes colere, & à peccatis abstinere?

128 II. in Atheis remanent appetitus laudis & gloriæ, metusque infamiæ. Magistratuum quoque timor, & præmia ab eis proposita, possunt illos à vitiis arcere, & ad virtutes inducere. Non est igitur cur negemus, posse Atheos sectari virtutes, & vitia fugere.

129 III. Plurimi sunt ex temperamento ad virtutes inclinati, ut dictum est (3). Magna etiam, & assidua applicatio, qua distinentur ii qui libere cogitandi studio vacant, vitiosas animi cupiditates pellit. Immunes igitur hi plusquam alii à vitiis erunt, virtutibusque ornati.

---

(1) *Pens. div. sur la Comet.* & *Contin. des pens.*

(2) Legi absque summa indignatione non possunt, quæ stultissime hac in re scribunt præsertim Auctor syst. nat. & Collinsius *Discours de la liberté de penser.* Universim vero increduli omnes in impiis suis operibus nihil magis in ore habent, quam probitatem, virtutem, moderationem, humanitatem, beneficentiam, in quibus, ne homines progressus faciant, Religionem, ajunt, obstacula crearе. Ita passim in pestiferis libris, qui magno numero postremis hisce temporibus ad humanitatis opprobrium prodiere, Montaignii, Helvetii, Mandevillii, d'Argens aliorumque, quos recenset noster Fabricius *Discours préliminaire* ad opus *Des titres primitifs de la Révélation, cap. 1. pag. 19.* (3) §. 49.

130 IV. Homines sæpe ad principia theoretica mores suos non componunt. Stoici fatalem necessitatem tuebantur, & nihilominus tradebant præcepta morum, virtutesque colebant. Christiani recta habent principia theoretica, atque credunt præmia, & pœnas alterius vitæ; eorum tamen magna pars omni se flagitiorum genere polluit. Quidni ergo Atheus erit virtutis studiosus, etsi principia ejus theoretica impia sint?

131 V. Id verum esse, exempla demonstrant: nam Diagoras, Theodorus, Epicurus, Sadducæi, Vaninus, Hobbesius, Spinoza athei fuere, sed probi moribus, comes, benigni, faciles, suaves, & Principibus obsequentes.

Prop. I. *Athei nonnullas aliquando, sicut & cæteri infideles, actiones faciunt moraliter bonas.* II. *Vi tamen systematis, si quod habent* (1), *iniquissimi esse debent.* III. *Rebusque publicis sunt hostes.*

132 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (2). In Atheis non est omnino corruptum bonum naturæ; ut enim demonstravimus (3), malum corrumpere non potest totum naturæ bonum; alioqui nec esset ipsum malum, cujus subjectum est bonum. Possunt igitur Athei quædam bona opera facere, ad quæ satis est bonum naturæ, cujusmodi sunt eleemosynam elargiri pauperi, ut ejus indigentiæ subveniatur, reddere depositum, fidem alteri datam servare: atque ita aliquando reipsa faciunt, non depravata sua principia, sed naturam sectantes, qua non destituuntur ob impietatem.

133 Prob. 2. p. Athei vi systematis ideo Deum negant, non quod persuadere sibi possint, Deum non esse; hoc enim rationi repugnat, ut demonstratum est (4), sed ut negata Divinitate abjiciant, si possint, timorem Dei justi vindicis, & pœnarum alterius vitæ, atque ita possint *ducere in bonis dies suos*, ut dicitur Job 21. v. 13. ideoque sæpe in ore habent quæ jampridem dixerant impii ipsis simillimi Sap. 2. v. 1. seqq. *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis: Quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus*

(1) Dicimus, *si quod habent*; ostendimus enim Tom. 5. §. 1191. seq. nullos esse Atheos theoreticos; sed qui atheismum profiteri se dicunt, Scepticos esse.

(2) 2. 2. q. 10. a. 4. (3) §. 115. (4) Tom. 5. §. 1173. seqq.

tamquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: Qua extincta cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis; & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata: Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Hæc passim verba in eorum impiis libris descripta leguntur (1); nec Bælius ipse negare ausus est, homines, quos *libertinos, & spiritus fortes* vocant, non rationibus duci, sed pravis cupiditatibus (2). Athei igitur, si vi systematis agant, nullam respuere iniquitatem debent, nisi forte quæ sit, qua si fruantur, ducere in bonis nequeant dies suos. Dicant proinde oportet, quod cit. Sap. c. impii olim dicebant: *Vino pretioso, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ* (3): *ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis* (4). *Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ* (5): *quod enim infirmum est, inutile invenitur* (6). *Circumveniamus ergo justum,*

---

(1) Si per tempus liceret, integras implere possemus paginas plenas ejusmodi loquendi formularum desumptarum ex libris incredulorum, qui sane loqui aliter nequeunt, cum nullum post hanc vitam sperent præmium, timeant malum.

(2) Vide quæ diximus Tom. 5. pag. 551. seqq. in not.

(3) Impudentis obscœnitatis scholam merito dixeris Helvetii nefandissimum opus *De l' esprit.* Nec dissimilia sunt quæ collegerunt Auctor lib. *Le Code de la nat.* &c. & Auctor lib. *Systeme Social,* &c. Vide Gauchat *tom.* 16. *lett.* 158. *seqq.* & *la Religion vengée tom.* 17. *lett.* 11. *seqq.*

(4) De incredulis quam sint infensi majestati supremarum Potestatum, dicemus in peculiari Dissertatione.

(5) Describitur hic Hobbesii stultitia, qui juri vim *fortioris* substituit.

(6) Phrasis hæc est vulgata inter impios, justos scilicet uni Deo vacantes inutile esse reipublicæ atque telluris pondus.

quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ (1). Hanc esse incredulorum hominum communem agendi rationem, & ipsi increduli testantur (2), moribus-

(1) Hæc ratio est, cur ejusmodi homines Sanctos viros, sanctitatisque cultores persequantur, funditusque, si possent, exterminarent, & abolerent.

(2) Audiendus est Comes de Passeran haud ignobile factionis incredulorum membrum. Is *Hist. de la Profess. Sacerdot.* pag. 286. recensitis Spinozæ, Collinsii, Tolandi, & Woolstoni libris, ait: » Nous » pouvons juger de la bonté de ces Ouvrages, & surtout de celui de » Woolston, par le nombre & la qualité des Prosélytes, qu'ils ont » fait, savoir: I. une multitude des jeunes étudians en Loi & en » Medecine. II. Les Officiers & les Soldats les plus debauchés. III. » Le corps entier des Damoiseaux, & des Petits-Maîtres. IV. Un grand » nombre de ces Gens qui trouvent l'irreligion un excellent remede » contre les remords de conscience. V. Une quantité de Demi-Sa- » vans, qui ont la vanité de se distinguer par des opinions nouvelles, » & de passer pour d'Esprits forts du premier ordre. VI. Plusieurs » Gentils-hommes Campagnards, qui affectent d'imiter les beaux Genies » de la Capitale du Royaume, & plusieurs Bourgeois, qui se font un » honneur d'étre les singes des Gentils-hommes. VII. Des Pédans la- » borieux sans jugement, & par-ci par-la quelques Ministres ou Prê- » tres mécontens à cause qu'on ne les a pas pourvû de quelque bon » benefice. Toutes ces gens, dis-je, ont reconnu la bonté de la doctri- » ne de nos fameux Athletes & la force de leurs arguments par un » pur effet de leur raison." » Judicium de horum operum bonitate, » ac præ cæteris Woolstoni ferre possumus ex numero, & qualitate » Proselytorum, quos genuerunt, videlicet: I. ex multitudine juvenum » studentium Juri, & Medicinæ. II. ex flagitiosioribus Ducibus, & mi- » litibus. III. ex integra muliebrium, ridiculeque habitu, gestu, & corpore » comparatorum turba. IV. ex magno eorum numero, qui excellens in ir- » religione remedium quærunt adversus conscientiæ remorsus. V. ex mul- » titudine Sciolorum, qui inanem captant gloriam novarum opinionum, » & spirituum fortium primi subsellii. VI. ex pluribus Nobilibus mi- » norum urbium, qui imitari gestiunt similes viros in præcipua regni » urbe degentes; exque pluribus Civibus, quibus placet ad Nobilium se » fingere mores. VII. ex Rhemnianis doctoribus, atque ex nonnullis » Ministris, aut Presbyteris ægre ferentibus, quod Ecclesiæ dignita- » tes, aut pinguia beneficia non sint assequuti. Hi omnes, ut ego qui- » dem reor, agnoverunt bonitatem doctrinæ celebrium athletarum » nostrorum, eorumque argumentorum vim velut eorum rationis ef- » fectum." Quidnam boni sperari ex ejusmodi hominibus potest, qui

que confirmant perditissimis suis. Fatendum est ergo, ipsos vi systematis iniquissimos esse debere.

134 Et re quidem vera, Athei nullam agnoscentes Divinitatem, nullam quoque agnoscere legem æternam honestatis, & justitiæ possunt, qua bonæ actiones præcipiantur, vetentur malæ (1). Nam quæ potest sine ullo legislatore lex esse? Omnis autem bonitas, vel malitia actuum humanorum pendet ab eorum conformitate cum lege æterna, vel difformitate ab ipsa. Nam, ut egregie advertit Sanctus Thomas (2), *in omnibus causis ordinatis effectus plus dependet à causâ prima, quam à causa secunda, quia causa secunda non agit nisi in virtute primæ causæ. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina: unde in Psal.* 4. *dicitur*: Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; *quasi diceret: lumen rationis, quod in nobis est, intantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, inquantum est lumen vultus tui, id est, à vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quam à ratione humana* (3). Cum ergo Athei Deum negantes, negent quoque legem æternam, quæ est ratio divina; nullam proinde in humanis actionibus bonitatem, aut malitiam, honestatem, aut inhonestatem, justitiam, aut injustitiam agnoscere possunt; ideoque vi systematis omnes actiones habere debent ut æque indifferentes, ita ut penes ipsos, si naturæ præceptis stemus, idem sit parentem colere, atque occidere; idem furari, & elee-

---

ideo miserrime in atheismum proruêre, quia corruptissimis erant moribus? De hac eadem re plura scribit Zimmermannus in *Medit. de causis incredulitatis*. Sed multa etiam colligit hæreticorum more adversus Catholicam Ecclesiam.

(1) Hobbesius, Spinoza, aliique Athei communiter nullam naturalem honestatis, & justitiæ legem admittunt, ut infra dicemus, præter unam tantum naturæ necessitatem.

(2) 1. 2. q. 19. a. 4.

(3) Ex hac invicta S. Thomæ ratione excluditur sententia eorum, qui post Grotium, & Leibnitium in Epist. ad Molanum, ajunt *fore aliquam naturalem obligationem, etsi daretur, quod dari non potest, Deum nullum esse*. Quæ sententia corruit, etiamsi ejusmodi obligatio accipiatur non pro vi *coactiva*, sed pro vi *directiva*, cui Atheus conformare se debeat sub hac tantum pœna, sentiendi nempe remorsus rationis ostendentis hanc operandi regulam, circa quam Atheus non

mosynam elargiri; idem tueri patriam, ac prodere (1). Vi ergo systematis Athei nequissimi esse debent.

135 Accedit, quod Athei, ut dictum est (2), omnia referunt ad ea, quæ ipsorum intersunt, nec alium finem ultimum agnoscunt quam propriam utilitatem, & voluptatem. Ubi ergo sua interesse videant (videbunt vero frequenter, & assidue in tanta humani cordis corruptione) aliena rapere, innocentes opprimere, calumnias struere, in publicas irruere Potestates; quis eos continebit, si impune possint? Quis eos arcebit ab alienis thoris, à virginibus constuprandis, atque à cæteris libidinibus? Regulane honestatis, & rationis dictamina? At quænam iis esse regula honestatis, & rationis vi systematis potest, qui primam regulam negant?

136 Accedit insuper, quod ipsi nulla admittunt præmia alterius vitæ, nulla supplicia, sed omnia cum morte finiri dicunt. Cur ergo non quibuscumque hujus vitæ voluptatibus fruentur, nihil deinceps futurum sperantes, nihil metuentes?

137 Venimus ad 3. prop. partem. Nulla hominum societas consistere diu potest sine legum auctoritate. Legum autem civilium auctoritas ultimo in lege naturali honestatis, & justitiæ fundatur. Ut enim advertit S. Thomas (3) „ Non videtur esse lex, quæ ju„sta non fuerit: unde inquantum habet de justitia, intantum „habet de virtute legis. In rebus autem humanis dicitur ali„quid esse justum ex eo quod est rectum secundum regulam „rationis. Rationis autem prima regula est lex naturæ.... „unde omnis lex humanitus posita, intantum habet de ratione „legis, inquantum à lege naturæ derivatur.“ Qui ergo omnem legem naturalem honestatis, & justitiæ negant, negant quoque omnem legum humanarum auctoritatem. Athei vero omnem legem naturalem honestatis, & justitiæ negant, cum negent di-

---

est indifferens. Nam, ut dictum est, quod *ratio humana sit regula voluntatis humanæ*, *habet ex lege æterna*, *quæ est ratio divina*. Quare si Deus negetur, & ratio divina, nulla potest esse regula, ideoque nec ulla obligatio, sive accipiatur pro vi *coactiva*, sive pro vi *directiva*: nam ablata prima causa, & regula, necesse est auferri secundam.

(1) Atque ita reipsa sentit impius Montaigne *Essais t. 2. c. 12.* idque acceperat à Spinoza Tract. Theol. Polit. c. 19. & ab Hobbesio *De Cive* c. 12. §. 1. Sed hac de re paulo post dicemus fusius.

(2) Vide quæ descripsimus ex Auctore syst. nat. §. 89. seqq. in not.

(3) 1. 2. q. 95. a. 2.

vinam rationem, à qua lex illa derivatur, ut dictum est (1). Omnem ergo auctoritatem legum naturalium, & humanarum tollunt (2). Hac autem auctoritate sublata, societas humana, resque publica corruat necesse est, quæ sine legum auctoritate

(1) §. 134.

(2) Impius Auctor syst. nat. par. 2. c. 9. explicare aggrediens, quid sit *obligatio moralis*, putat invenisse, quomodo possint Athei se invicem obligare in republica. Scribit autem: » Elle est fondée sur la » considération des motifs capables de déterminer des êtres sensibles, » intelligens, tendans vers une fin, à suivre la conduite necéssaire » pour y parvenir. Ces motifs ne peuvent être en nous que les desirs » toûjours renaissans de nous procurer des biens, & d' éviter des maux. » Le plaisir & la douleur, l' espoir du bonheur ou la crainte du mal- » heur, sont les seuls motifs capables d' influer efficacement sur les vo- » lontés des êtres sensibles; pour les *obliger* il suffit donc que ces mo- » tifs existent & soient connus; pour les connoître il suffit d' envi- » sager notre constitution, d' après laquelle nous ne pouvons aimer ou » approuver en nous que les actions d' où résulte notre utilité reelle & » réciproque qui constitue la vertu. En conséquence pour nous conser- » ver nous-mêmes, pour jouir de la sûreté, nous sommes *obligés* de » suivre la conduite nécessaire à cette fin; pour intéresser les autres » à notre conservation propre, nous sommes obligés de nous interes- » ser à la leur, ou de ne rien faire qui les détourne de la volonté de » coopérer avec nous à notre propre félicité. Tels sont les vrais fon- » demens de l' *obligation morale*." » Fundatur obligatio moralis in con- » sideratione rationum, quæ capaces sunt determinandi entia sensibilia, » tendentia ad unum aliquem finem, ut sequantur media necessaria, » quibus ad illum perveniant. Hæ rationes in nobis aliæ esse non » possunt, quam desideria semper renascentia procurandi nobis bo- » na, & mala cavendi. Voluptas, & dolor, spes felicitatis, aut timor » mali sunt unicæ rationes capaces influendi efficaciter in voluntates » entium sensibilium. Ut igitur obligentur, sat est, ut hæ rationes » existant, cognitæque sint: ut autem cognoscantur, satis est inspi- » cere constitutionem nostram sic comparatam, ut nequeamus amare, » aut probare in nobis nisi actiones, ex quibus resultat realis & re- » ciproca utilitas nostra, quæ virtutem constituit. Ut igitur nos ipsos » conservemus, ut securitate fruamur, tenemur ita nos ducere, ut » talem finem consequamur; ideoque ut alios ad nostram conserva- » tionem provocemus, eorum debemus conservationi servire, nihilque » admittere, quod avocare eos possit à voluntate nobiscum procuran- » di nostram felicitatem. Atque hæc vera fundamenta sunt moralis » obligationis." Non abs re arbitrati sumus tam longam dissolutamque hujus impii orationem ad verbum describere; est enim ea com-

consistere nequit. Tantum ergo abest, ut ex Atheis conflari respublica possit, quin Athei sint rerumpublicarum eversores, & hostes.

138 Ad primum respondemus, in Atheis quidem extinctum omnino non esse rationis lumen: ideoque diximus, eos posse

---

prehensum integrum morale systema Incredulorum: nam cæteri haud dissimili ratione loquuntur.

Ut autem quisque perspiciat, quam sit illa non solum miserabilis, sed etiam irridenda, animadvertimus 1. fictum Mirabaudum secum ipsum pugnare. Nam si omnia fatali necessitate eveniunt, nec fieri potest, ut aliter eveniant, quemadmodum ipse constituit; quænam erunt *rationes* illæ *capaces determinandi ad unum aliquem finem entia sensibilia*, jam necessario determinata ad unum finem? Et quænam *media sequi* poterunt entia illa, ut *ad unum finem perveniant*, ad quem determinata jam sunt ex necessitate naturæ? Videte apertissimam contradictionem. Sed in delirantibus ac stultis cur erimus de contradictionibus soliciti? Stulti & nos erimus, si à fatuis concludentes orationes expectabimus.

2. Falsum apprime est, *ex desideriis semper in nobis renascentibus ad procuranda nobis bona, & mala cavenda, exque voluptate, & dolore, aut spe felicitatis, timoreve mali* nos *obligari*. Nam inde id summum colligi potest, necessitate nos duci ad prosequendum bonum in omni eo quod desideramus, ideoque ad cavendum malum. Sed quod ad hoc potius bonum quam ad aliud prosequendum, ad hoc potius malum quam ad aliud cavendum *obligemur*, quis dixerit, nisi aliquid aliud sit quod obligationem inducat? *Sat*, inquit, *est, ut rationes illæ existant, & cognitæ sint*. De quibusnam rationibus loquitur, de communi ratione boni, an de peculiaribus? Si de communi, hæc non *obligat* ad hoc potius bonum, quam ad aliud sequendum, nisi *obligatio* aliunde adveniat: nam & qui male agunt, communem sequuntur boni rationem; non enim volentes intendunt malum, sed ideo malum amant, quia ipsum apprehendunt sub ratione boni. Reliquum erit, ut etiam qui male agunt, *obligentur* ad male agendum; quæ lepida certe *obligatio* foret. Si autem loquitur de bonis peculiaribus, ecquænam dementia est dicere, voluntates hominum *obligari* ad singula peculiaria bona prosequenda? cum tam multa bona sint, ad quæ prosequenda nulla nos *obligatio* cogit. Quis incredulorum dixerit, bonas non esse divitias, dignitates, honores, dominationes, voluptates? & quidem sunt hæ rationes existentes, quas omnes cognoscunt, & tam multi desiderant. Anne quisquis eas existentes cognoscit, statim *obligatur* ad illas sibi comparandas? Ridicula *obligatio*, imo seditionis plena, velle quempiam privatum hominem *obligari* ad supremas etiam dignitates sibi accersendas. Cur

aliquas actiones moraliter bonas aliquando facere. Tam magnis vero tenebris lumen illud est circumfusum, ut in ipsa luce Athei cæcutiant, tenebras inferentibus, & in dies augentibus malignis cupiditatibus, quibus ut fræna laxent, optant, ne Deus sit.

139 Ad secundum concedimus, posse aliquando Atheos contineri ob appetitum laudis, & gloriæ, metumque infamiæ, ne quasdam actiones exterius admittant turpes, ac probrosas. Quid vero si absit infamiæ periculum, ut in tenebris, ut in deserto loco, ubi nullus sit testis? Quid poterit Magistratuum timor, si spes sit evadendi, aut in ipsos Magistratus impune insurgendi (1)? Valeant tamen metus infamiæ, & Magistra-

---

enim non, si valeat hujus impii ratio? nam & illæ existunt, & cognitæ sunt.

3. Nihilo minus est à veritate alienum adserere, constitutionem nostram ita esse comparatam, ut *nihil possimus amare, aut probare in nobis, nisi actiones ex quibus resultat realis, & reciproca utilitas nostra.* Si omnia ad utilitatem referantur; nulla igitur erit honestas actionum, ob quam eas amemus, & probemus, quia honestæ sunt. Et si quis forte putaret, utilitatem suam realem, & reciprocam resultare posse ex seditionibus; nonne continuo eas deberet amare, atque probare? Id non displicet huic impio, qui omnem conatum intendit, ut populos adversus legitimas Potestates ad seditionem commoveat. Nec similiter displicet cæteris incredulis. Sed quis non horret hæc eorum *moralis obligationis fundamenta*?

4. Virtutis definitionem destruit, cum eam constituerit *in reali tantum, & reciproca utilitate nostra.* Ubinam erit in virtute honestas, si omnia una utilitate nostra metiamur?

5. Si unice ut nos ipsos conservemus, & securitate fruamur, tenemur aliorum conservationi servire, abstinereque ab omni eo quod illos possit avocare à nostra felicitate procuranda; quid consequi necesse erit, si aliquis putet, non posse se conservare, nec frui securitate, nisi hostem è medio tollat? Ex morali *obligatione* pseudo-Mirabaudi tenebitur hostem occidere. Et si quis posset perimere Magistratum, aut Regem à quo ob delicta sit perimendus, nonne ex eodem principio teneretur ad illos necandos? Mittimus reliqua: nam hæc sufficiunt ad demonstrandum quam iniqua *fundamenta moralis obligationis* impii constituant.

(1) Ridiculum omnino est, quod ex Lucretio l. 5. respondet Bælius, fore ut increduli ab occultis criminibus abstineant ob metum, ne dormientes, aut ægritudinis æstu abrepti, ea prodant. Quis prudens homini imputabit scelera, si quæ somniando, aut delirando tamquam à se patrata pronunciet? Bælius, qui utpote scepticus de

tuum timor ; præclaræ erunt virtutes hominum , qui à vitiis unice abstinent , ut infamiam , pœnasque evadant. Anne turpes potius simulationes erunt ? Quid vero faciemus de actibus internis , qui non subjiciuntur infamiæ , nec Magistratuum judicio? Quid de tam multis aliis delictis , de quibus Præses non judicat?

140 Ad tertium respondemus , ex temperamento dumtaxat inferri , Atheos nonnullos à quibusdam criminibus aliquando abstinere posse non tam ex voluntatis electione , quam ex propensione , & inclinatione naturali : quod quidem non est virtutem colere , & ex ejus præscripto mores componere. Quot vero sunt in virtutem ex temperamento propensi , qui ob improborum hominum consuetudinem à recta vivendi norma deflectunt, & omnium se vitiorum coinquinant maculis (1) ? Exempla inter ipsos Catholicos frequentissima sunt. Quanto magis inter illos, qui Religioni renunciant , ne conscientiæ latratibus crucientur? Possunt quidem eorum nonnulli incredulitati studia dicantes , à quibusdam vitiis temperare , quæ forte eum studiis compati nequeunt (2). At studiosine virtutum propterea erunt? imo vero, cum vitia spiritualia longe graviora sint vitiis carnalibus , nequiores cæteris illi sunt : & cum aliis viam irreligionis , & impudentiæ aperiant , aliorum se criminibus obnoxios constituunt.

141 Ad quartum , quod ad Stoicos pertinet, jam diximus (3), eorum multos , qui Chrysippum sequebantur , etsi fatalem necessitatem adstruerent , conatos tamen fuisse ad tuendam voluntatis libertatem. Et quamvis conatus fuerit irritus ; ostendit nihilominus illos animadvertisse , nullam conjungi virtutem cum absoluta necessitate posse. Naturæ vox etiam ab invitis aliquando auditur ; potentior enim est quovis strepitu humanarum cupiditatum. An vero Stoici virtutes colerent, ut Bælius putat, exemplum suppeditat Zeno Cittiæus Sectæ institutor, qui ut refert Laertius (4) , *uxores communes in republica statuebat* , *&* qui

---

rebus etiam certissimis dubitabat , cur non dubitasset de veritate delictorum ab homine somniante , aut delirante ?

(1) Vide Senecam l. 3. de Ira c. 8.

(2) Bentlejus in lib. cui titulus , *La fripponnerie laïque des pretendus Esprits-forts* , quærit an omnes homines studiis dediti , sint virtutibus præditi ? & an omnes libere cogitantes , sint studiis impense dediti ? Vide Valsech. *De' fondam.* &c. l. 3. p. 1. c. 6.

(3) Tom. 5. §. 338. not. *Non defuere.*

(4) Lib. 7.

continuo se strangulans interiit. Hujusmodi certe magistros impii ætatis nostræ imitantur, qui pudicitiæ insidias struunt, & tam sæpe voluntariam sibi desperati mortem consciscunt.

142 De malis Christianis quod additur, purum putumque est Bælii sophisma. Petimus, quare Christiani etsi principia optima teneant, scelera cumulant? Non alia sane de causa, nisi quia cupiditatibus magis trahuntur, quam Fidei principiis, & rectæ rationis. Petimus rursus, an increduli hujusmodi cupiditatibus incendantur? Quis poterit dubitare? nam si Christiani ita turbulentas, effrænatasque eas experiuntur, ut animus dormitet, ne cogitet principia Fidei, & rectæ rationis; quanto magis increduli illis obsequentur, & mancipabuntur, rapti iisdem cupiditatibus, nec ab ullo Dei vindicis timore retracti? In Christianis principia theoretica recta sunt; praxis est mala ob irruentes cupiditates, pravasque voluntates. In Atheis principia theoretica prava sunt, eaque in praxi pravas cupiditates & voluntates fovent. Sive ergo advertant Athei, sive non advertant ad principia sua theoretica, procliviores Christianis ad vitia sunt in iisdem positi circumstantiis. Sophisma igitur Bælii in ipsum recidit.

143 Ad quintum dicimus, exemplis Diagoræ (1), & Theo-

(1) Tam obscuri nominis philosophus Diagoras fuit, ut Diogenes Laertius in lib. *de vita, & moribus Philosophorum*, eum recensendum in numerum non putarit. Bælius autem in Dict. a. *Diagoras*, ex fide Æliani Var. hist. l. 2. c. 22. Diagoram celebrat, quod etsi atheus esset, leges tamen ediderit optimas, quas miserit ad Nicodorum Mantinensium Legislatorem. Hinc vero infert, atheismum cum legislatione compati posse, & in Balduinum invehitur, quod *ad Edict. Princ. Rom. de Christ.* dixerit, *magnam esse & legum labem, & civitatum perniciem, impietatem*; in eoque plus logicæ desiderans, ait: *un bon logicien est plus rare, qu' on ne pense.* Videamus, an Bælius bonus logicus fuerit. Unde certo rescivit, Diagoram talem fuisse atheum, ut omnem omnino Divinitatem negarit? Diodorus Siculus l. 13. ait: *Diagoras cognomento Atheus, calumnia notatus ob impietatem.* Calumnia dici non potest, ubi verum est crimen. Fuerit autem Diagoras verus atheus: unde Bælius rescivit, Nicodori leges illum habuisse auctorem? Ex Æliano, ait. At Ælianus non id absolute refert, sed dicit talem fuisse opinionem. Cur ex opinione certam historiam Bælius creat? Unde collegit, leges illas fuisse optimas? Stobæus ex Nicolao Damasceno Collectanea edidit de moribus gentium. De Politiis libellum edidit Heraclides Ponticus. Utraque vulgavit Cragius. In utrisque autem ne verbum quidem exstat de Mantinensium legibus:

dori nihil nos morari; jam enim dictum est (1), non constare, an ii revera Atheis sint accensendi. Qui vero fuerint Theodori mores, & dogmata, describit Laertius (2), cum ait illum docuisse, *furto, & adulterio, & sacrilegio, cum tempestivum erit, daturum operam sapientem; nihil quippe horum natura turpe esse .... sapientem publice absque ullo pudore ac suspicione scortis congressurum.* Item Theodorus amicitiam sustulit. Et ut Suidas testatur (3), *indifferentiam* rerum admisit (4). Dignus plane incredulorum magister.

144 De Epicuri moribus disputatum jam olim fuerat (5), disputaturque etiam modo (6), quamquam Gassendus (7) ad nauseam usque defendere, laudibusque ornare hunc voluptatis adsertorem fuerit conatus (8). Ne in hanc disputationem in-

---

quæ prætermissio in diligenti recensione legum aliorum populorum etiam obscurissimorum, non leve est argumentum ad ostendendum, non ita celebres fuisse Nicodori leges, ut Bælius putat. Quid vero, cum Ælianus ipse ab iis celebrandis abstinendum, aperte dicat? Denique nonne potuerat Diagoras ex aliis legislationibus suam conflare, atque ita facere non virtutis amore, sed gloriæ cupidine? Merito in Bælio diligentiorem logicam desideramus.

(1) Tom. 5. §. 1196. in not. (2) Lib. 2.

(3) In Σωκρατ.

(4) Vide Stanl. Hist. Phil. par. 3. in Theod. cap. 2.

(5) Ut ex Laertio l. 10. constat, Stoicorum bene multi pessime senserunt de moribus Epicuri; idemque fuit judicium Patrum universorum, saltem quod ad doctrinam ejus pertinet. Apologiam vero pro Epicuro texuit idem Laertius loc. cit.

(6) Pro Epicuro stant non modo Gassendus, & Bruckerus, sed vel maxime increduli universi, qui in moribus honestis Epicuri magnum incredulitatis præsidium agnoscunt. Contra vero Epicurum, & corruptam ejus moralem doctrinam scripserunt Parkerus, Gatakerus, Bentlejus, aliique.

(7) Non videmus, quænam fuerit Gassendo causa, ut non contentus defensione Epicuri in tribus tomis in fol. quibus continentur ejus Animadversiones ad x. Laertii librum, septem alios composuerit libros *de vita, & moribus Epicuri*, qui exstant tom. 5. ejus operum. Tam magnam curam merebaturne ille, qui omnia tribuebat casui, quique animi spiritualitatem, & immortalitatem, Deumque ipsum negabat, negata providentia?

(8) Quod in Gassendo lepidum, *l. 4. de vita, & moribus Epic. c. 3.* non solum nititur ipsum defendere ab impietate, sed contendit etiam, de eo censeri posse *legitime coluisse Naturam Divinam*; parumque proinde videtur abesse, ne turpissimum monstrum

grediamur, constituti dicendi limites prohibent. Athenæus (1) certe: »Epicurus, *inquit*, amicam habuit Leontium, quæ »propter artem meretriciam rumore crebro celebrata est. Hæc »vero, cum Philosophiæ cœpisset operam dare, scortari non »destitit; sed in hortis rem habuit cum Epicureis omnibus, »ac propalam cum Epicuro; adeo ut ipse fuisse se multum »de ea solicitum in suis ad Hermachum Epistolis declarave»rit.“ Si hæc vera sunt, (sunt autem abs dubio: nam & ipse Laertius, etsi pro Epicuro scripserit, Leontium fuisse testatur, *Atticam meretricem*, & Metrodori concubinam) patet, quam corrupti fuerint Epicureorum, ipsiusque Epicuri mores. Nam quod ait Gassendus (2): *ut contendere nolim, rem se in illa consuetudine perinde habuisse, ut si quispiam marmoribus copulavisset marmora*, (talis est aliquando eruditorum quoque virorum, ob innovandi pruriginem, cogitationum licentia, ut vel ipsis marmoribus copulatis comparare non dubitent homines, & mulieres familiariter conversantes in hortis deliciarum) *ita potuit tanta in illa conversatione esse moderatio, ut peccatum nihil fuerit adversus temperantiam.* Atqui Athenæus non solum adversus temperantiam ab Epicureis peccatum ait, sed *propalam* ab ipso Epicuro, & Laertius à Metrodoro. Fortasse non usque adeo peccatum est, ut voluptate sanitas perderetur: quod erat Epicuri documentum. Sed quod Epicurus, Epicureique cum meretricibus conversantes, nihil admiserint adversus castitatem, permanserintque ut marmora marmoribus copulata, credat Gassendus, & qui ei subscribunt: nobis autem est paradoxum omnino incredibile. Nec refert, quod Epicurus, Epicureique diligenter virtutes colerent; is enim cultus referebatur ad voluptatem, ne per contraria vitia voluptas impediretur, ut dictum est cum S. Thoma (3). Ii ergo non ab omnibus etiam illicitis voluptatibus abstinebant, quod putarent eas illicitas (4);

---

inter cœlites collocet. Nam si moribus fuit incorruptis, si *legitime*, id est, ut debuit, naturam Divinam coluit, quid ei defuit eo tempore ad veram sanctitatem? Non enim tunc homines tenebantur ad profitendam legem Mosaicam. Interea si naturam Divinam, ut Gassendo placet, Epicurus legitime coluit, nullum in eo est Atheis præsidium.

(1) Lib. 13. (2) Loc. cit. l. 7. c. 5.

(3) §. 72. not. *Epicurum.*

(4) Quomodo illicitas eas putassent Epicurei, qui nihil per se malum agnoscebant, finemque ultimum in voluptate sive corporis, sive

sed ab excessu abstinebant, ne si non abstinerent, frui voluptatibus non possent (1). Atque hæc tota est virtus, ad quam Epicurei fortasse pervenerunt, & fortasse perveniunt increduli homines, cum vi systematis operantur. Dicimus autem *fortasse*: nam qui perspectam habet naturæ nostræ corruptionem, nostramque fragilitatem, plane novit, quam difficile sit, pravas moderari in datis occasionibus cupiditates, ne ultra modum excedant.

145 Mentitur autem Bælius, dum Sadducæos tamquam probos in medium producit; jam enim ex Josepho diximus (2), *Sadducæos inter se moribus feris discrepasse, & eorum conversationem fuisse circa exteros inhumanam.* Egregii sane cives! Quomodo ex eis dumtaxat conflata respublica consistere potuisset, qui feroces inter sese erant, inhumani vero cum exteris (3)? Quid vero ex Sadducæis Bælius concludit? Nonne illi Deum agnoscebant, colebantque, imo Pentateuchum Moysis admittebant?

146 Mentitur quoque, cum de Vanino scribit, fuisse morum honestorum. Non hic referemus sive Mersenni (4), qui circa Vanini tempora vixit; sive Gramondi (5), qui Tolosæ præerat, cum Vaninus ad mortem damnatus fuit: ipsi Dialogi lo-

---

animi constituebant? Eorum quisque, ut Card. de Polignac. Antilucr. l. 1. animadvertit, dicere debebat:

Ni potiar votis, mihi tunc dolor ingruit ingens,
Et nequeo, si me dolor afficit, esse beatus.

Non ergo in virtute voluptatem Epicurus constituebat, sed in voluptate virtutem, ut idem Cardinalis ibid. advertit:

Sed tibi quod gratum, sejuncta labe timoris,
Et curæ, subito culpa vacat, atque decorum est.
Abs te non igitur posita in virtute voluptas,
Ast in ea virtus: tantum ars est rite fruendi
Natura, non naturam ratione domandi.

(1) Vide Valsechium *de' Fondamenti*, &c. l. 3. par. 1. c. 8.

(2) Tom. 5. §. 807.

(3) Confer Valsech. loc. cit. c. 9.

(4) Voltairius in Dict. art. *Athée* in Mersennum, quem per contemptum vocat *le minime & très-minime Mersenne*, invehitur, quod Vaninum descripserit tamquam atheum. Ast Vaninus revera ut atheus Tolosæ à Judicibus secularibus damnatus fuit ad mortem. Damnabimus Judices, ut Vaninum absolvamus, & morem geramus Voltairio? Opera ipsa Vanini loquuntur. Nec Bælius diffitetur.

(5) Non dubitat Voltairius loc. cit. Gramondum accusare de te-

quuntur, qui, ut ejus Vitæ auctor testatur, textibus ejus productis, pleni sunt obscœnitatum (1): quod nec Voltairius ipse negare ausus fuit (2). Tales sunt Atheismi heroes, quos Bælius appellat *martyres Atheismi* (3).

147 Restant Hobbesius, & Spinoza. Atque de Hobbesio quidem possemus Bælium Bælio opponere. Nam unde probat, Hobbesium fuisse *civilem, suæ scientiæ communicativum, amicum bonum, misericordem erga pauperes, magnum æquitatis cultorem, nec cupidum congerendi divitias* (4)? Unde, inquam, hæc probat? Ex auctoribus Vitæ Hobbesii (5). His autem quanta debeatur fides, quisque videt; non enim Vitam illam conscribendam susceperunt, nisi ut Hobbesium laudibus extollerent: nam si Hobbesium, ut plane debebant, fuissent execrati, nequaquam laudassent. Adulatoribus ergo, qui fortasse ex incredulorum erant cœtu, fidem præstabimus, nullo alio teste adhibito? Præstemus autem fidem. Quid vero? Nonne Bælius ipse (6) refert, eosdem Vitæ auctores de Hobbesio scribere: *fortiter calumniati sunt, qui ipsum atheismi reum detulerunt*? Quod si Hobbesius non fuit atheus, cur Bælius eum in scenam producit, ut Atheorum commendet virtutes? Credendine erunt ejus Vitæ auctores, cum Hobbesii virtutes commendant; neganda ipsis fides, dum eum ab Atheismo absolvunt? Cur eis Bælius laudan-

---

merario judicio. Tantum erat pro Vanino Voltairii studium. Simillima, & maxime gemina est societas incredulorum.

(1) In vita Vanini: » Les Dialogues mêmes remplis d' obscenités, » & de tours profanes ne le rendent que trop vrai semblable."

(2) In Dict. loc. cit. » Vanini nous aprend dans ses Dialogues faits » à l' imitation d' Erasme, qu'il avoit eu une maîtresse nommée Isabelle. » Il était libre dan ses écrits comme dans sa conduite."

(3) *Pens div.* §. 182. ubi impie, & perverse infert, Vaninum prætulisse propriæ utilitati ac voluptati ideam honestatis, quam conceperat in dogmatizando adversus pœnas inferni, ut proximum liberaret ab earum timore etiam cum vitæ suæ discrimine. Impia sane, & perversa illatio. Impia quidem: nam quæ fingi potest honestas in Vanini furore, ut inferni metum excluderet? Perversa autem; scimus enim, quid possit in impiorum animis gloriæ cupido: & si exempla deficerent, satis essent abunde ipsius Bælii exempla, qui captandæ gloriæ causa impietatis patrocinium suscepit.

(4) In Dict. art. *Hobbes.* » Civil, communicatif de ce qu'il savoit, » bon ami, charitable envers les pauvres, grand observateur de l' e- » quité, & il ne soucioit nullement d'amasser du bien."

(5) Ibidem. (6) Ibidem.

tibus credit, excusantibus non credit? Ut autem quod revera est dicamus, Hobbesius vi principiorum verus fuit atheus, nec ullas veras virtutes habuit. Bælius ipse ex iisdem auctoribus de Hobbesio refert (1): *Ætate adhuc intra juventutis terminos constante* (*liceat verum fateri*) *nec abstemius fuit, nec* μισόγυνος. Addit (2): *Nihilominus in cœlibatu vixit, ne à studio Philosophiæ avocaretur.* Videlicet, cupiditas gloriæ fortasse concupiscentiam carnis vicit. Quis autem scit, utrum Hobbesius uxorem non duxerit ob ingruentes tempestates, ob quas sæpe exulare à patria coactus fuit? Quis scit, an castitatem extra usum matrimonii servaverit? Certe ad hanc servandam principia ab ipso constituta minime ducunt, ut infra dicemus.

148 Eadem gloriæ cupiditas continere à nonnullis criminibus Spinozam potuit, si vera sunt, quæ de ejus vitæ ratione ex Kortholto scribit Bælius (3). Sed principium quod Spinoza statuit (4), cum docet, *jus naturale uniuscujusque hominis, non sana ratione, sed cupiditate, & potentia determinatum est*; evidenter ostendit, quinam debuerint esse ejus mores ad ejusmodi principium conformati. Ipsemet Kortholtus de Spinoza ait (5): *Se professus est Christianum, & vel Reformatorum, vel Lutheranorum cœtibus non modo ipse adfuit, sed & aliis auctor sæpenumero & hortator extitit, ut templa frequentarent.* Quæ sane in atheo apertissimæ simulationes sunt.

ARTICULUS II.

Utrum detur in homine instinctus, sive sensus moralis.

149 Quærens Robinetus (6), cur in plerisque Philosophis mores honestiores, fuerint quam doctrina, putat, eosdem in praxi sequutos fuisse potius instinctum, quo ducebantur ad æquitatem, quam principia perversa, quæ constituere cona-

(1) In Dict. art. *Hobbes*: » Ils avouent de bonne foi, que dans » sa jeunesse il aima un peu le vin, & les femmes.“

(2) Ibid. » Néanmoins il vêcut dans le celibat, pour n' être pas de- » tourné des études de Philosophie.“

(3) In Dict. art. *Spinoza.*

(4) Tract. Theol. polit. c. 16.

(5) Apud Bælium loc. cit.

(6) *De la nat.* par. 3. c. 1. seqq.

bantur (1). Itaque statuit (2), *existere in homine Instinctum, qui solus habet omnes qualitates necessarias, ut sit regula moralitatis.* Ne putetis autem, Robinetum hujus *instinctus* nomine intelligere quidpiam spirituale, & incorporeum à Deo in anima positum, ad quod anima morales suas operationes conformet. Longissime Robinetus ab hac sententia aberat, utque abesset integrum ejus systema cogebat (3). Reprobat immo sen-

---

(1) Si quæ actiones bonæ moraliter in ejusmodi fuere Philosophis, eæ processerunt ex principiis honestatis, & ex lumine vultus Dei signato super nos, quod lumen vitia quamlibet multiplicata, & enormia extinguere omnino nequeunt, ut supra dictum est §. 132.

(2) Ibid. c. 2. »Il existe dans l' homme un Instinct, qui a seul »toutes les qualités nécessaires d'une regle de moralité.“

(3) Non abs re esse arbitramur Robineti, systema breviter exponere; est enim is homo captiosus: & si quis incautus in ejus libros inciderit, periculum est, ne decipiatur. Opus suum *de la nature* orditur *ab æquilibrio bonorum, & malorum in natura necessario*, de quo jam dictum est §. 114. seqq. Cum plura capita 1. par. in id probandum impendisset perpetua fallacia, qua confundit meram *negationem* perfectionis cum *privatione* perfectionis debitæ, seu qua *limitationem* entium creatorum habet tamquam verum malum; inde infert. c. 26. *essentias quæ dicuntur excellentiores, necessario esse vitiosiores*; & cap. 27. *non extare in natura aliquam speciem realiter, & absolute meliorem altera.*

Transit porro ad 2. par. in qua de animalculis spermaticis c. 1. agere instituens, cap. 2. seqq. de viventium productione ex moleculis organicis loquens, ait, *singula viventia composita esse ex elementis similaribus*; nimirum renovans *homœomeriam* Anaxagoræ, de qua diximus Tom. 2. §. 114. seqq. indeque concludit, *quodlibet animal esse compositum ex animalculis ejusdem speciei, canem ex multis parvis canibus, hominem ex multis homunculis*; videlicet innumeri pæne homines in Robineto exstabant. Quis poeta similem fabulam memoriæ prodidit? Agnoscit autem c. 13. seqq. differentiam sexuum nedum in plantis, sed etiam in mineralibus, & lapidibus; immo omnia corpora sive terrestria, sive cœlestia vult esse organica, ideoque viventia, animata, & sensu prædita. Vide quæ contra diximus Tom. 4. §. 759. seqq. & §. 791. seq. & Tom. 3. §. 146. seqq. Robinetus enim nullam differentiam specificam agnovit inter entia, ut paulo post dicemus, ita ut ejusdem omnino speciei sint homines, & lapides. Vere plus quam truncus, aut stipes. Si cum hoc homine, & lapide constitisses, nihil credidisses interesse. In 3. par. agit cap. 1. & 2. de *Instinctu morali*, deque *regula moralitatis*, & c. 3. de *gustu morali*, & cap. 4. seq. de *sensu morali*; contenditque hunc *sensum*

tentiam eorum, quos *spiritus præoccupatos* vocat, qui credunt, *sensum pulchritudinis moralis pertinere ad facultatem mere spiritualem*; additque, *nos sentire justum & injustum naturali impulsu, perinde atque de saporibus judicamus ante omnem reflexionem.* Illum vero sensum moralem ait, esse *sextum sensum omnino similem reliquis quinque sensibus corporis.* Eamdem sententiam, si Robineto credimus, tenuerunt Autcheson, & Hume,

---

cum aliis sensibus corporis convenire. » L'ame perçoit le bien, & le » mal, comme elle goûte le doux, & l'amer... Tous les sens agis- » sent sur l'ame d'une maniere uniforme." *Anima percipit bonum, & malum, sicut gustat dulce, & amarum... Omnes sensus uniformiter agunt in animam.* Deinde c. 5. quærit de *organo sensus moralis*, illudque in corporis mechanismo reponit. Jam ergo ex hisce liquido constat, Robinetum nomine *sensus moralis* non intelligere *appetitum sensitivum*, qui ut docet S. Thomas 1. p. q. 80. a. 2. est animæ potentia prosequens bonum apprehensum per sensum, sicut appetitus intellectivus est animæ potentia prosequens bonum apprehensum per intellectum. Neque intelligit dispositiones quæ sunt in hominibus ad virtutes, & vitia ex diversitate temperamenti, ut dictum est §. 49. sed loquitur de sensu revera tali, uti sunt alii corporis sensus. Quod si etiam *appetitum sensitivum*, aut *dispositiones* illas intellexisset, errasset profecto, constituens in *morali sensu* ita intellecto *regulam moralitatis*; neque enim *regula moralitatis* potest reponi sive in *corporis dispositione*, sive in *appetitu sensitivo*; alioquin agentes juxta *dispositionem corporis*, vel juxta *appetitum sensitivum*, agerent juxta *regulam moralitatis*, etiamsi agerent contra legem.

Clarius ille se explicat part. 4. ubi postquam c. 1. sub dubio relinquit, *an spiritus sit corpus*, an vero *substantia distincta à corpore*: quod nihil ad suam Theoriam conferre ait; quia scilicet hæc æque aptari potest theoriæ spiritualitatis, & materialitatis animæ hominis; seu verius, est ipsa theoria Materialistarum: Et postquam c. 2. seqq. pluribus agit de origine spirituum, de eorum unione cum corpore, ac reproducit errorem Leibnitii de præexistentia animarum in corpusculis organicis (quem errorem jam refutavimus Tom. 5. §. 900. seqq.) agens c. 5. de essentia animæ, rursus hæret dubius de animæ spiritualitate: » Mais, *inquit*, la substance où réside la faculté de pensér, est- » elle matérielle, ou tout-à-fait immatérielle? N' ayant rien de particu- » lier à dire sur cette question, qui devient tous les jours plus obs- » cure, par la raison qu'on l'a liée avec la Religion, quoiqu'elle me » semble lui être étrangere, je me contente de distinguer mon sprit » de mon corps, sans m' inquiéter de ce que les autres font au mê- » me égard." » At substantia in qua residet cogitandi facultas, estne

seu verius universi Epicurei, qui in voluptate ultimum finem constituebant, negata animæ immaterialitate: nam quid aliud erat

---

» materialis, vel omnino immaterialis? Nihil peculiare quod dicam » habens in hac quæstione, quæ obscurior quotidie evadit, propter- » ea quod eam cum Religione copularunt, à qua tamen extranea » mihi videtur, (*Neque ad Fidei dogmata pertinere vult animæ im-* » *materialitatem*) distinguere contentus sum meum spiritum à meo » corpore, quin sim solicitus de aliorum sententiis." Tum c. 11. constituens systema intellectuale, tria distinguit genera fibrarum in cerebro, alias *sensitivas*, alias *intellectuales*, alias *volitivas*. » Autant qu' il y a d' ordres de fibres sensitives, autant il y a d' ordres corres- » pondans de fibres intellectuales... Il y a aussi dans le cerveau une » troisieme sorte de fibres, distincte des deux autres especes, à laquel- » le sont attachées les volitions de l'ame." *Quot sunt ordines fibrarum sensitivarum, totidem sunt ordines respondentes fibrarum intellectualium... Est etiam in cerebro tertia species fibrarum distincta ab aliis duabus, cui affixæ sunt animæ volitiones.* Et quamvis videatur dicere, ejusmodi fibras inservire ad intelligendum, & volendum; nihilominus ibid. adhibet principium harmonicum, quod est inter tria corpora sonora in eadem proportione, quorum uno reddente sonum reddunt & alia, atque ait: » Ce rapport pourra être envisagé comme » le fond, la base, le principe de tout le système intellectuel." *Hic respectus haberi poterit tamquam fundus, basis, & principium totius systematis intellectualis.* Et cap. 15. explicans quid sit *intelligere*, inquit: » Dans l' esprit l' entendement est la faculté d' apper- » cevoir un objet, d' en avoir l' idée, par l' ébranlement d' une fi- » bre intellectuelle. L' idée, considerée dans la fibre, n' est que son » ébranlement; dans l'esprit c'est la modification produite par cet » ébranlement. Cette modification est la perception d'un objet." *Intellectio in spiritu est facultas percipiendi objectum, ejusque ideam habendi, ob concussionem fibræ intellectualis. Idea considerata in fibra, non est aliud quam ejus concussio; in spiritu est modificatio à tali concussione producta. Hæc modificatio est perceptio objecti.* Quibus verbis præcipuam rationem destruit, qua demonstratur immaterialitas animæ: nam si intellectio aliud non est quam modificatio producta à concussione fibræ, jam anima nullam actionem immaterialem habet, ex qua ejus immaterialitas probari possit; quî enim immaterialis poterit esse productio, quæ est effectus fibræ corporalis concussæ? Mittimus quæ scribit de judicio, & ratiocinatione, ea constituens in reactione animæ super duas, aut tres ideas, quarum respectus percipiat; hæc enim etiam reactionibus fibrarum accommodari possunt, posito quod perceptio nihil sit aliud quam effectus concussionis fibræ, & posito principio harmonico, quo

reliquum ea negata, quam moralitatem ad sensum, sensibilesque voluptates revocare? Idem docuit Helvetius.

---

sonus redditur in data proportione. Ex quibus abunde constare videtur, Robinetum negare immaterialitatem animæ humanæ, de qua jam dixerat, nihil se esse solicitum.

Similia scribit in par. 5. in qua multa etiam execranda congerit adversus Divinitatem, negans Deo bonitatem, intelligentiam, voluntatem, libertatem, sanctitatem, justitiam, uno verbo, omnia attributa, uti diximus Tom. 5. §. 1257. seqq. Neque tantum hæc negat, quasi non possimus illa concipere ut sunt in Deo infinita, seu quasi sapientia in Deo sit supersapientia, aut bonitas sit superbonitas; sed nulla omnino in Deo esse affirmat, eo quod talia attributa nullo modo separari possunt à limitatione, cum qua à nobis cognoscuntur.

In 6. par. ubi agit de mundi origine, nihilo minus detestabiles errores conflat, docens, mundum esse effectum necessarium Divinæ naturæ, semperque extitisse cum suo Auctore, nec potuisse non existere semper, semperque existere necessario debere, continuatis revolutionibus. Quos quidem errores jam satis refutavimus Tom. 3. §. 29. & 177. sqq.

Quod autem ad præsentem controversiam propius pertinet, est pars. 7. in qua de *animalitate* Robinetus agit, exque principio *gradationis naturalis inter entia*, ita ut natura non operetur per saltum, (quod quidem principium verissimum est, si intelligatur ut illud intelligit S. Thomas 1. p. q. 71. ad 4. nimirum *quod natura de uno extremo ad aliud transit per media*, sicut *inter cœlestia, & aquatica animalia sunt quædam media, quæ communicant cum utrisque, & computantur cum illis, cum quibus magis communicant, secundum id quod cum eis communicant, non secundum id quod communicant cum alio extremo.* Quod hac ratione exprimere solent: *supremum infimi attingit infimum supremi*; sicut bruta animantia habent cognitionem sensitivam, quæ est infima in homine; & plantæ vegetationem, quæ est infima in brutis) infert ille, *nullam inter entia esse diversitatem sive specificam, sive genericam, sive classium, sive regnorum*; ideoque ex lege continuitatis concludit „que les animaux, les plantes, & les minéraux sont tous des modifications de la matiere organisée, qu'ils „participent tous à une même essence, sans avoir d'autre distinctif „entre eux, que la mesure selon laquelle ils ont part aux propriétés „de cette essence.“ *Animalia, plantæ, & mineralia sunt omnia modificationes materiæ organizatæ, omnia participant in una eademque essentia, absque alio inter se discrimine, quam in mensura secundum quam participant proprietates hujus essentiæ.* En tandem perfecta totius operis idea, ut nempe omnia redigantur ad materiæ

150 Videtur autem admittendus instinctus involuntarius, sive sensus moralis : I. quidem, quia naturæ Auctor dedit nobis intrinsecam dispositionem ad probandas quasdam actiones, earum-

---

organicæ modificationes, quò spectat etiam postremus operis tomus, in quo conatur ostendere, humanam formam repertam fuisse in fossilibus, in lapidibus, in plantis ; repertosque etiam fuisse homines marinos, Sirenas, Nereidas ; quibus adjungit Nigritas, Huttentottos, Caffros, Lapponios, aliosque : quasi forma hominis consistat tantum in aliqua externa similitudine, aut quasi diversitas coloris, staturæ, aut ingenii satis sit ad degradandum homines à vera essentia humana.

Inspecto igitur integro Robineti systemate, vix dubitari posse videtur, quin ejus conatus ad hoc tendant, ut universa explicentur per varias materiæ modificationes, quemadmodum olim Democritici, & Epicurei faciebant, omnesque juniores Materialistæ faciunt, licet ille non ita clare se explicet ad offundendas tenebras, deformitatemque systematis tegendam. Sic patet, quare *regulam moralitatis* in *instinctu*, & *sensu morali* organico reponat. Nam quæ alia potest esse *moralitatis regula*, si nihil est aliud in natura præter materiam, ejusque modificationes? Imo quæ potest esse *regula moralitatis*, si omnia ad sensum redigantur, adeoque ad sensibiles voluptates?

Addere quis posset, Robinetum vel nihil, vel parum à Spinozistis distare, præsertim ex iis quæ habet par. 7. c. 8. » Il n' y a » qu'un seul acte dans la Nature, dans lequel rentrent tous les évé» nemens : un seul phénomene dont tous les phénomenes sont des par» ties liées : un seul Etre prototype de tous les Etres . . . Il n' y avoit » qu'un systeme naturel possible, tel que devoit être l' effet émané de » la cause renfermant tous les possibles. Il n' y avoit qu'un seul plan d'or» ganisation ou d' animalité possible, mais ce plan pouvoit & devoit » être infiniment varié. L' unité de modele, ou de plan, mainte» nu dans la prodigieuse diversité de ses formes, fait la base de » la continuité ou de la liaison graduées des Etres." *Non est nisi unus actus in natura, in quem regrediuntur omnes eventus : unum dumtaxat phænomenum, cujus sunt partes colligatæ omnia phænomena : unum tantum ens prototypum omnium entium . . . Non nisi unicum systema naturale erat possibile, atque talis debebat esse effectus emanatus à causa continente omnia possibilia. Non nisi unicum erat planum organizationis, sive animalitatis possibilis, sed hoc planum debebat esse infinite varium. Unitas exemplaris, sive plani, conservati in prodigiosa diversitate suarum formarum, basim efficit continuitatis, sive colligationis graduum entium.* Habemus *unitatem actus in natura.* Habemus *unitatem phænomeni.* Habemus *unitatem entis prototypi.* Habemus *unitatem systematis naturalis*

que qualitates, alias vero reprobandas. Hæc autem dispositio vocatur instinctus, qui comparari aptissime potest cum gusu dulcis, & amari. Extat igitur in nobis instinctus moralis. Is vero non pendet ab ulla mentis consideratione, qua respectus metaphysici detegantur; plerumque enim eam prævenit. Instinctus igitur ille ad facultatem pure intellectualem non pertinet, sed ad sensum, qui dicitur moralis.

151 II. Infantes, & ignari bene noscunt, cum male operantur. Nequit autem ratio eos instruere: nam ratio est lumen mentem illustrans; infantes vero, & ignari haud sunt illuminati; alioquin infantes, & ignari non essent. Non ergo deformitatem actionis, aut desiderii videre possunt in relationibus, quas ignorant. In eis igitur aliud extat principium præsidens motibus eorum animæ, quod nihil commune habet cum spiritu. Hoc autem principium est instinctus involuntarius, quo secreto moventur ad discernendum bonum à malo, & ad illud probandum, istud reprobandum. Datur igitur talis instinctus.

152 III. Regula nostrarum actionum debet esse in nobis, & seipsa, absque interprete, sese explicare: debet esse universalis, & immutabilis. Hi autem characteres non alibi reperiuntur nisi in instinctu uniformi in omnibus hominibus. Datur igitur ejusmodi instinctus.

---

possibilis. Habemus *unitatem plani*, sed tamen *infinite varii*. Habemus *diversitatem formarum*, id est, modificationum *in unitate plani infinite varii*. Quid hoc esse videtur aliud, quam constituere cum Spinoza unitatem substantiæ cum infinitis modificationibus? Nolumus cuipiam errores aliorum affingere, sed nec ferre possumus simplicium deceptionem. Scimus, Robinetum à se Spinozismum depulisse, quia admisit diversitatem substantiarum. Sed in ejusmodi hominibus contradictiones non sunt infrequentes, ut fucum aliis faciant. Quodnam est supremum illud Ens infinitum, & perfectissimum (hæc tantum in illo Robinetus agnoscit, agnoveratque Spinoza in substantia prædita infinitis modificationibus, sive infinita cogitatione, & extensione), non habens tamen neque sapientiam, neque bonitatem, neque voluntatem, neque justitiam, &c. & agens ex necessitate naturæ, nec potens aliud quidpiam efficere præter id quod fecit, quodque emanavit ab ipso tamquam continente omnia possibilia? Non videtur tale ens differre à materia Spinoziana infinitis modificationibus affecta. Hæc dogmata Robinetus apertissime docet, imo ipsis totum ejus systema nititur. Similiter autem Spinoza docuerat. Etsi ergo concederemus, Robinetum à Spinoza recedere in errore unitatis substantiæ, cum Spinoza conveniret in aliis erroribus, à quibus purgari nullo modo potest.

153 IV. Via instinctus est propria, facilis, & infallibilis, neque ullam præsupponit ideam, cognitionem, aut ratiocinium. Creator ergo non rationi nostræ, quæ tam sæpe decipitur, sed sensibus, quorum operationes fideles sunt, securitatem nostræ conservationis commisit.

154 V. Inest nobis instinctus ad prosequenda bona physica, & mala physica fugienda. Nam, ut Abadie advertit, si cum uror igne, ut brachium, vel manum averterem, deberem considerare naturam ignis urentis, aut motum nervorum, & spirituum in brachio, vel manu, jam essem ustus, priusquam ea considerarem. Cur ergo negabitur instinctus in prosequutione boni moralis, & fuga mali moralis?

155 VI. Supremum Ens in electione mediorum, quibus ad virtutem ducimur, aptiora selegit. Cum ergo potuerit efficere, ut statim perciperemus distinctiones morales per sensum vividum, & immediatum, non est dicendum, voluisse eam cognitionem alligare exercitationi laboriosæ facultatum spiritualium (1).

Prop. I. *Nullus in nobis extat, neque extare potest instinctus, sive sensus moralis in corporeis organis, quo virtutes discernamus à vitiis, illasque probemus, istaque improbemus.* II. *Multoque minus potest ejusmodi instinctus esse regula moralitatis.* III. *Inest autem nobis rationis lumen, quo bonum à malo in moralibus discernimus.*

156 Prob. 1. p. Discretio inter virtutes, & vitia, atque illarum approbatio, istorum improbatio absque aliqua cognitione haberi non potest; non enim ferimur in incognita. Cognitio autem virtutis, & vitii nullo modo pertinere potest ad instinctum, sive ad sensum revera corporeum, & organicum: nam ut S. Thomas advertit (2), virtutes, & vitia, ut & cæ-

(1) Descripta sunt hæc sophismata ex Robineti par. 3. c. 2.

(2) 1. 2. q. 49. a. 3. Displicere Robineto non debet, quod S. Thomam citemus, postquam ipse par. 6. c. 24. *subtilem* ejus *penetrationem* laudavit: *la subtile pénétration de S. Thomas.* Utinam S. Doctorem fuisset sequutus! Sed ille, ut est in incredulorum more positum, & Voltairius etiam fecit, citat, imo describit eisdem verbis argumenta quæ Angelicus sibi objicit, quin dicat, ea esse objectiones, nihilque curat solutiones, quas silentio præterit. Ne quis putet, nos Robineto imponere, res patet cuique legenti ipsum loc. cit. c. 26. seq. ubi in not. citat *S. Thom. Aq. Summ. Cathol. Fidei l.* 11. nulla facta mentione capitum, & numerorum, ne fraus ita facile posset detegi.

teri habitus, cognoscuntur per actus; actus autem virtutum, & vitiorum sunt humani, id est, pendent à voluntate, quatenus est domina suorum actuum, ut supra dictum est (1); voluntas vero quatenus libera, pendet à ratione, ut demonstravimus (2). Igitur cognitio virtutis, & vitii pertinet ad rationem, & nullo modo pertinere potest ad solum instinctum, & sensum corporeum; cujus proinde esse non potest discretio inter virtutes, & vitia, & illarum approbatio, horum improbatio (3).

157 Præterea, in sensu nihil aliud esse potest quam motus corporalis, ex juniorum Philosophorum sententia, cui Robinetus subscribit. Si ergo sensus posset discernere inter virtutes, & vitia, id facere deberet per motum corporalem. Virtus autem, & vitium sunt supra omnem motum corporalem: nam ut ad rem S. Thomas (4), motus corporales sunt indifferentes ad bonum, & malum morale: virtus vero est determinata ad bonum morale, sicut vitium est determinatum ad malum morale (5). Fieri ergo nullo modo potest, ut sensus corporeus discernat inter virtutem, & vitium in ordine morali.

158 Insuper, virtutis bonum est bonum honestum: bonum vero honestum appetitur appetitu rationali; siquidem convenit homini, ut homo est: homo autem est homo, quia operatur per rationem; ita enim differt à brutis. Quidquid ergo pertinet ad sensus, non habet rationem honestatis, nisi quatenus illam participat ab appetitu rationali. In sensibus ergo nulla est honestas, vel inhonestas, nisi ex ordinatione, vel deordinatione rationis (6). Si igitur omnis moralitas redigatur, ut Robinetus facit (7), *ad solam inclinationem naturalem involuntariam, & independentem à quacumque humana consideratione, & ab ipsa ratione*; nec *quidquam habeat commune cum spiritu*; sistat vero *in solo gustu*, quem ille vocat *moralem*, id est, in

(1) §. 2. (2) Tom. 5. §. 1064.

(3) Cum *sensum moralem* Robinetus ponit omnino independentem à ratione, & consistentem in solo mechanismo organorum corporis, quid dicat ignorat; omnis enim moralitas est à voluntate, ut sequitur rationis ductum. Implicat ergo in terminis *sensus moralis* pure corporeus, nullo modo pendens à ratione. Sed non est id mirandum in Robineto, qui non aliam, quam Epicureorum moralitatem agnoscebat, in sensu voluptatis, & doloris repositam. Si alia deessent argumenta, hoc unum videretur esse plusquam satis ad convincendum Robinetum de negata animi immaterialitate.

(4) Loc. cit. q. 59. a. 1. (5) Ibid. q. 55. a. 4.

(6) Vide S. Thom. 1. 2. q. 145. a. 3. (7) Part. 3. c. 2. seq.

mero mechanismo, perinde ac gustus dulcis, & amari (1): nulla erit honestas, vel inhonestas actionum; sed illæ dicentur honestæ, quæ placent gustui sensus; illæ inhonestæ, quæ eidem gustui displicent. En purus putusque Robineti Epicurismus.

159 Ad hæc, si discernere inter virtutes, & vitia, non ad rationem, sed ad sensum pertineret, possent bruta, ut advertit S. Thomas (2), discernere inter bonum, & malum morale, ideoque capacia essent virtutum, & vitiorum; non enim sensibus, & sensationibus destituuntur: idque maxime si stemus

---

(1) Multa Robinetus fundit verba loc. cit. c. 5. inquirens de *organo sensus moralis*, quem *sextum* vocat, distinctum à reliquis quinque sensibus corporis. Post longam descriptionem modorum, quibus fiunt operationes sensuum externorum, tandem ait: » Nous ne sommes pas en état d' assigner au juste quel est cet organe." *Res eo redit, ut nequeamus ad unguem quale sit hoc organum designare.* Videamus, an saltem aliquo designarit modo. » Mais, *statim ait*, il y » a toujours deux points constans à ce sujet, savoir, que la moralité des » actions & des caracteres est quelque chose de sensible, & qu'il n'y » a point de sensation dans l' ame, qui n'ait un mechanisme qui lui ré» ponde dans le système organique de la machine." *In hac autem re duo plane constant, id est, quod moralitas actionum, & characterum est aliquid sensibile, & quod nulla est sensatio in anima, cui non respondeat aliquis mechanismus in systemate organico machinæ.* De hoc altero non disputamus. Primum autem tam non constat, quam falsum est, moralitatem actionum esse quidpiam sensibile. Id cum pro certo habet Robinetus, incidit in petitionem principii; supponit enim ut certum id quod est in quæstione, an scilicet moralitas consistere possit in sensu, seu an detur sensus moralis. Quod addit: » Il paroît qu'il y a, dans le plan organique, des filamens » qui, à la presence des objets moraux, éprouvent une commotion » pour en avertir l' ame." *Videntur extare in plano organico filamenta, quæ coram objectis moralibus commotionem experiuntur, ut de iis animam moneant*: etiamsi concederetur, restaret probandum, in ea commotione moralitatem consistere: nam si in ea non consistit moralitas, cur in illis filamentis constituetur organum sensus moralis? Sic autem rursus incidit Robinetus in petitionem principii. Nec respondere potest: » L'on a tres bien prouvé, que les distinctions mo» rales ne sont pas du ressort de l'entendement." *Probatum optime est, distinctiones morales non esse mentis effectus*; id enim nullo modo probavit, neque probare poterat, nisi poneret cum Epicuro moralitatem in corporeis voluptatibus, destrueretque animæ libertatem, & immaterialitatem.

(2) Q. 1. de virt. a. 4. ad 12.

principiis Robineti; nam si propter analogiam inter sensus infert ille, debere esse in homine sensum moralem præter quinque notos corporis sensus, cur propter eamdem analogiam non licebit inferre, debere in brutis habentibus quinque corporis sensus, esse etiam sensum moralem? Sic autem revera homo comparatus à Robineto est jumentis insipientibus, & similis factus est illis (1).

160 Alteram prop. partem demonstramus primum quidem, quia regula moralitatis, ut ipse Robinetus fatetur (2), debet esse uniformis in omnibus hominibus; si enim uniformis non esset, jam non foret pro omnibus eadem regula morum, sed quod aliquibus honestum esset, aliis esset inhonestum, & econtra. Gustus autem sensibiles in omnibus hominibus non sunt uniformes, imo in uno eodemque homine variantur pro ratione ætatis, valetudinis, consuetudinis, aliarumque causarum. Si igitur de bono, & malo morali judicium esset ferendum ex gustu sexti illius sensus, quem Robinetus vocat *instinctum*, aut *sensum moralem*, regula moralitatis variaretur etiam in eodem homine pro diversis circumstantiis. Quomodo igitur esset regula, quæ in omnibus hominibus debet esse uniformis? Et sane quis dixerit, *filamenta plani organici*, in quibus Robinetus constituit organum conficti sui *sensus moralis*, easdem in juvenibus, & senibus, in viris, & mulieribus, in piis, & impiis experiri commotiones coram iisdem objectis? Totidem ergo constituendæ essent regulæ moralitatis, quot commotiones diversas suscipere *filamenta* illa possent. O præclara regula morum tam multis subjecta diversitatibus!

161 Deinde, regula morum debet esse fixa, & invariabilis, ut Robinetus concedit (3): nam si variabilis foret, indigeret alia regula dirigente, atque ita porro in infinitum. Ostensum est autem (4), fictum illum *sensum moralem*, tametsi daretur, subjici debere innumeris mutationibus. Non ergo posset esse regula morum.

162 Regula item moralitatis indigere non debet aliquo interprete, Robineto fatente (5); si enim eo indigeret, is po-

---

(1) Hic est ejusmodi Philosophorum conatus, in primisque Robineti, qui omnem specificam distinctionem sustulit inter homines, & belluas, imo inter homines, & lapides, universaque entia vita, & anima donavit.

(2) Loc. cit. c. 2. (3) Ibidem. (4) §. præced.

(5) Loc. cit.

tius esset regula. Fac vero, ut ejusdem Robineti exemplo utamur (1), sensui illi morali objici quempiam, qui hominem interficiat. Quodnam judicium de homicidio feret sensus ille moralis? Judicabitne esse malum? At homicidium illud potest culpa vacare, si nempe miles sit qui hostem in bello justo occidat; si publicæ justitiæ minister hominem reum morti damnatum necet. Idem est objectum, nempe hominis occisio; ideoque eadem debet esse commotio in *filamentis plani organici*. Quomodo ergo judicium feretur de honestate, vel inhonestate actionis, si sensus ille unica constituatur judicii regula? Mittimus reliqua, ne simus nimii in re cujus falsitas seipsa patet.

163 Ad tertiam prop. partem devenientes, ejus veritatem, nemine monente, in seipso quisque experitur, extare scilicet in nobis lumen quoddam rationis naturale, quo discernimus quid sit bonum, & quid malum (2): quod quidem lumen nihil aliud est quam impressio quædam divini luminis in nobis, sive participatio quædam legis æternæ, qua Deus per suam providentiam universa regit, moderatur, atque gubernat (3). De hoc autem lumine dicitur Psal. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Rom. 2. v. 14. seq. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Hoc lumen universi homines participant; omnis enim cognitio veritatis est quædam irradiatio, & participatio legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis (4): veritatem autem omnes ratione utentes aliquo modo participant, saltem quoad principia communia legis naturalis (5), quæ propterea quoad ea principia communia deleri à cordibus hominum in universali nullo modo potest, licet ob malas persuasiones, pravasque consuetudines, & habitus deleri aliquando possit quoad præcepta quædam secundaria (6). Lex igitur æterna nobis participata per lumen rationis, quo discernimus quid sit bonum, quid malum, est prima regula totius moralitatis, quam quidem regulam participat lumen rationis, seu recta ratio, quæ in unoquoque est regula proxima intrinseca, qua quisque

(1) Ibidem cap. 4. (2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 91. a. 2. (3) Ibidem. a. 1.
(4) Vide S. August. l. de vera Relig. c. 18.
(5) Confer. S. Thom. loc. cit. q. 93. a. 2.
(6) Adeatur idem S. Thomas ibid. q. 94. a. 6.

judicat quid sit faciendum, quid non faciendum (1).

164 Ad primum responsio patet ex dictis (2); extat enim in nobis lumen rationis naturale ad discernendum bonum, & malum, nec ullus requiritur instinctus sensibilis (3). Lumen autem illud non pendet à mentis nostræ consideratione; imo absque eo nulla potest esse mentis consideratio: nam cognitio veritatis sine lumine intellectus esse non potest.

165 Ad secundum respondemus, infantes, & ignaros non esse quidem illuminatos circa scientias, & artes; sat autem luminis rationis naturalis habent, ut discernant quid sit bonum, quid malum, saltem circa principia communia moralitatis; quod quidem lumen præsidet actionibus eorum, ut ostendat quid sit in illis honestum, quid turpe (4). Non est autem voluntarium, quia ex voluntate nostra non est, ut simus perfusi lumine rationis; est proinde in nobis à Deo auctore naturæ. Tantum vero abest à vero, quod principium faciens nos discernere bonum à malo nihil habeat commune cum spiritu, quam verum est, esse ipsum lumen intellectus.

166 Ad tertium jam dictum est (5), fore ut regula moralitatis non esset universalis, & immutabilis, si unice penderet ab organo sensus, quod mutationes in uno etiam eodemque homine subiret. Instinctus autem licet in brutis animantibus sit idem, & universalis, habita ratione diversitatis specierum; in homine tamen satis esse non potest ad discernendum bonum à malo morali; instinctus enim pertinet ad partem sensitivam, estque ipsa æstimatio, qua animalia per appetitum sensitivum prosequuntur

---

(1) Vide eumdem S. Thom. 1. p. q. 79. a. 13.

(2) §. præced.

(3) Si lumen rationis, quo discernimus bonum à malo, quis velit appellare instinctum, non repugnabimus. Nam & S. Thomas de conscientia loquens 1. p. q. 79. a. 13. ait: *Secundum quod per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum, vel non faciendum; secundum hoc dicitur conscientia ligare, vel instigare.* Sed talis instinctus toto cœlo diversus est ab instinctu Robinetiano.

(4) Quam falsum sit, extare in nobis principium præsidens motibus animæ, quod nihil habeat cum anima commune, seu quod materiale sit, & mechanicum, perspicue constat; repugnat enim principium perficiens animam, quod sit ea imperfectius: nam causa perficiens nequit esse imperfectior eo quod perficit; causa enim non potest esse imperfectior effectu, cum effectus contineatur in virtute causæ.

(5) §. 160.

convenientia suæ naturæ physicæ, & aversantur nociva apprehensa per cognitionem sensitivam, ut ostendit S. Thomas (1). Bonum vero, & malum morale pertinent ad appetitum rationalem, & sequuntur cognitionem intellectus, ut dictum est (2).

167 Ad quartum respondemus, falsum esse quod dicitur, instinctum nullam præsupponere ideam, aut cognitionem: nam & in belluis, cum prosequuntur sibi convenientia, & fugiunt nociva, præsupponitur idea objecti convenientis, vel nocivi, ejusque cognitio sensitiva; quomodo enim prosequerentur, aut fugerent id cujus nullam haberent ideam, essetque eis omnino incognitum (3)? Non debuit autem Deus sapientissimus committere sensibus discretionem boni, & mali moralis; siquidem moralitas non perficitur nisi tantum in voluntate, à cujus consensu, vel dissensu unice pendet. Utique sensus circa propria objecta non decipiuntur; sed quam sæpe decipiuntur, & decipiunt circa sensibilia communia? ut supra dictum est (4). Mens autem nostra etsi sæpissime decipiatur circa veritates elongatas à primis principiis, sive theoreticis, sive practicis; numquam tamen decipitur circa principia communia; quamquam in moralibus retinere possit scientiam principiorum, & in praxi ea non uti ob ingruentes cupiditates.

168 Ad quintum dicimus, bona, & mala physica, quæ per instinctum prosequimur, vel fugimus, ut bruta animantia, non excedere cognitionem sensitivam; hanc vero excedunt bona moralia, quatenus moralia sunt.

169 Ad sextum respondemus, non potuisse effici, ut per sensum perciperemus differentias morales, cum harum perceptio non ad sensum, sed ad mentem pertineat. Nulla autem in ea perceptione est exercitatio laboriosa: nam per lumen naturale menti inditum statim mens discernit bonum à malo morali, saltem quoad principia communia.

ARTICULUS III.

Utrum differentia moralium actionum ex hominum pendeat institutione, ac legibus.

170 Differunt actiones morales bonitate, ac malitia, & quædam honestæ sunt, quædam turpes, quædam justæ, quæ-

(1) In 3. d. 18. q. 1. a. 1. ad 4. & a. 2. (2) §. 156.
(3) Vide S. Thom. loc. cit. (4) Tom. 1. §. 761. seq.

dam injustæ. Talem differentiam ex sensu hauriri minime posse ostendimus. Nunc de hominum institutione, & legibus quærimus.

171 Jampridem meminerat Plato (1), & Aristoteles (2), postque ipsos S. Thomas (3), quorumdam, qui nulla esse justa, aut injusta suapte natura, sed tantum hominum arte, ac legibus dixerunt. Hujusmodi fuere Polus, Callicles (4) Thrasymachus, Glauco. Laertius autem (5) in eadem sententia fuisse refert Archelaum Socratis præceptorem, Democritum, & Aristippum; quibus Anaxarchum Plutarchus (6) adjungit. Idemque senserunt Pyrrho (7), Carneades (8), & Epicurus (9), universimque omnes Sceptici (10), & Materialistæ (11), quos in hac re sequutus fuit Carpocrates ajens apud Tertulianum (12), *non natura quid malum haberi, sed opinione*; itemque Crescens Cynicus (13). Hos autem recentiori ætate sequuti sunt Spino-

---

(1) L. 10. de Leg. & in *Theæteto*, & in *Gorgia*.

(2) Lib. 1. Ethic. c. 1. & l. 5. c. 10.

(3) 1. Eth. lect. 3. » Quædam, *inquit*, quæ à quibusdam reputantur justa, & honesta, à quibusdam reputantur injusta, & inhonesta » secundum differentiam temporum, & locorum, & personarum. Aliquid » enim reputatur vitiosum uno tempore, aut in una regione, quod » in alio tempore, aut in alia regione non reputatur vitiosum. Et » ex ista differentia contingit quosdam opinari, quod nihil est naturaliter justum, & honestum, sed solum secundum legis positionem."

(4) In *Gorgia* Callicles impudentissime ajebat: » Luxuria, intemperantia, libertas, modo facultas suppetat, virtus est, atque felicitas. » Cætera vero hæc speciosa præter naturam adinventa, hominum deliramenta sunt, & nugæ penitus contemnendæ."

(5) Lib. 2.

(6) In Vita Alexandri Magni.

(7) Laertius lib. 9.

(8) Vide Lactantium l. 5. Inst. c. 14. quamvis Pyrrho, & Carneades, Scepticorum more, de hac ipsa re dubitabant. Quare Carneades in Romano Senatu uno die pro justitia, altero contra justitiam disseruit, ut ibid. Lactantius refert.

(9) Apud Laertium l. 10. Vide Senecam Epist. 97. & Gassendum in Syntag. Philos. Epicuri p. 3. c. 25.

(10) Vide Empiricum l. 3. Pyrrh. hypot. c. 23. seq.

(11) Cum nullam hi substantiam immaterialem admittant, omnem proinde justi, & injusti ideam repudiant; ideoque una tantum utilitate, ac voluptate omnia metiuntur.

(12) Lib. de Anima cap. 35.

(13) Vide S. Justinum Apol. 2. num. 3.

za (1), & Hobbesius (2), cæterique Athei, & qui *Theistæ* vocantur, & omnia conantur subvertere Religionis, & Ethicæ principia.

172 Videtur autem ita dicendum: I. quia magna est humanarum opinionum de turpibus, & non turpibus, de licitis, & illicitis discrepantia. Nam ut Empiricus refert (3), apud Germanos, & Thebanos turpe non habebatur mascula venere uti; quod Cynici, & Zenon Cittieus, & Cleanthes, & Chrysippus indifferens esse dicebant. Insuper, apud quosdam Indos non vi-

(1) In Tract. theol. polit. c. 16. ait: » Jus, & institutum naturæ nihil nisi quod nemo cupit, & quod nemo potest, prohibere; non contentiones, non odia, non iram, non dolos, &c.

(2) De Cive c. 14. §. 17. ubi docet » Quid sit *ratione culpandum*, definiendum esse à civitate, ut *culpa*, hoc est, peccatum sit quod quis fecerit, omiserit, dixerit, vel voluerit contra rationem civitatis, id est, contra leges." Et cap. 12. §. 1. repetens quæ scripserat c. 6. §. 9. statuit, *regulas boni, & mali, justi, & injusti, honesti, & inhonesti esse leges civiles, ideoque quod Legislator præceperit, id pro bono; quod vetuerit, id pro malo habendum esse.* Quis hæc legens non horret animo? præsertim si reliqua addantur, quæ docet Hobbesius in eodem opere *de Cive*. Nihilominus Gassendus in Epist. ad Samuelem Sorberium præfixa eidem operi, & quæ exstat Tom. 6. Opp. Gassendi pag. 223. *summopere delectatur*, quod *liber de Cive iterum ederetur*, eumque vocat *certe non vulgarem, dignumque, qui omnium, qui altiora sapiunt, manibus teratur*; optatque, ut cætera Hobbii opera in lucem prodeant *ad totam beandam nationem philosophantium solide*, cum neminem norit, *qui sit Hobbio inter philosophandum magis à præjudiciis liber; quisque penitus quidquid rerum edisseruerit introspiciat.* Marinus quoque Mersennus in Epist. ad eumdem Sorberium vocat *egregium opus de Cive incomparabilis D. Hobbii*, & *ingentem thesaurum litterarum.* Et paulo post vocat librum illum *aureum gemmis auctum*, & *ornatum*, qui non sit *diutius desiderandus*; monetque Sorberium, ut *auctorem pro viribus urgeat, ne totum corpus philosophicum, quod mente premit, & calamo explicat, deinceps arca (nobis fatali) concludat, ne tandem nos ad auctoritatem regiam provocare cogat, qua ipsius arcam invidam effringamus.* Extat etiam hæc Epistola initio operis de Cive. Mirandum sane, hos viros nedum Catholicos, sed & Sacerdotes, & Mersennum ex ordine Regulari, in tantas Hobbii laudes potuisse effundi! Ut eos excusemus, nihil possumus aliud dicere, quam laudasse Hobbii libros, quos non legerant, ut multi faciunt: nam si legissent, & tam magnifice laudassent, quis dare veniam posset?

(3) Loc. cit. c. 24.

debatur turpe congredi publice cum uxore. Præterea, apud multos ex Ægyptiis licitum erat mulieres prostituere. Apud Persas, & potissimum apud Magos, contrahebantur matrimonia inter matres, & filios; Ægyptii vero sorores ducebant; Plato autem communes uxores esse debere pronunciavit. Stoici non esse à ratione alienum dicebant, ut quis aliorum, & suas etiam carnes comederet. Apud Cilices gloriosum erat prædari. Lacedæmonii autem furtum præcipiebant, & apud veteres Germanos furtum non reputabatur illicitum. Hæc autem, & his similia ostendunt, turpes, & non turpes actiones esse pro varietate opinionum hominum, & morum, & institutorum.

173 II. Similia refert Marchio d' Argens (1) de Caribibus, Drusis, Peruanis: nam apud Caribes infantes saginati à parentibus comeduntur: apud Peruanos occiduntur uxores, quæ filios non amplius gignunt, & earum eduntur carnes. Drusi vero certis diebus communes uxores habent.

174 III. Comperta quoque est vis earum opinionum, quæ à præjudiciis infantiæ, consuetudinis, superstitionisve ortum habent. Potuerunt ergo ex hisce fontibus manare eæ, quas de justo, & injusto, de honesto, & turpi, ac de Deo colendo habemus notiones. Nam si ex natura ipsa manarent, cur non essent eædem apud universas nationes?

175 IV. Si puer recens natus educaretur in sylvis, lactatus à belluis, is nullam haberet boni, & mali notionem. Describit unum talem puerum Bernardus Connor (2) repertum in nemoribus ad Lithuaniæ, & Russiæ confinia inter gregem ursorum, decem circiter annos natum, adspectu ferino, manibus, pedibusque incedentem, loquelæ expertem, nullumque rationis præbentem indicium. Is non modo nullam boni, & mali notionem habebat, sed neque vitæ sylvestris recordabatur. Notiones ergo boni, & mali non à natura, sed ab institutione pendent.

Prop. *Non omnium moralium actionum differentia ab hominum institutione & legibus pendet.*

176 In hac sententia ita ipsi Gentiles confirmati erant, ut primis Christianis per calumniam objecerint, eos docere *nec quidquam esse virtutem, aut vitium, sed sola opinione hæc ab*

(1) *Philos. du bon sens.*
(2) In Evang. Medici.

hominibus judicari (1); qui quidem erat Gnosticorum error, qui ab Ethnicis cum Christianis confundebantur (2).

177 Prob. prop. ex S. Thoma (3). Quæ naturaliter homini conveniunt, vel ipsum dedecent, non pendent ab hominum institutione, & legibus; hæc siquidem naturam etsi juvare, ac fovere possint, instituere non possunt, sed institutam supponunt. Sunt autem morales actiones, quæ naturaliter homini conveniunt, vel ipsum dedecent; homo enim naturaliter est ratione præditus; ita namque differt à belluis. Quidquid ergo est secundum rectam rationem, convenit naturaliter homini; & quidquid est contra rectam rationem, ipsum naturaliter dedecet. Actionum autem humanarum quædam sunt secundum rectam rationem, quædam contra rectam rationem. Quis enim dicet, non esse secundum rectam rationem colere parentes, enutrire filios, subvenire indigentibus, obedire majoribus, juvare rempublicam, reddere unicuique quod suum est? Et quis dicet, non esse contra rectam rationem occidere innocentem, insurgere in parentes, ingurgitare se cibis, luxuriæ indulgere, aliena furari, famam proscindere, aliorum jura sine justa causa, & potestate invadere? Sunt igitur morales actiones, quæ naturaliter homini conveniunt; & sunt quæ naturaliter ipsum dedecent. Non ergo omnium moralium actionum differentia est ab hominum institutione, & legibus.

178 Præterea, leges humanæ veræ leges non sunt, si sint contra rectam rationem (4). Et ipsæ igitur præsupponunt rationem rectam, cui debent conformari, ut sint justæ. Oportet ergo, ante leges humanas præsupponere aliquam regulam, cui & ipsæ conformentur, ut rectæ sint. Quare fieri nullo modo potest, ut leges humanæ, sive civiles sint unica regula boni, & mali, justi, & injusti, honesti, & inhonesti (5).

---

(1) Vide S. Justinum Apol. 1. n. 28.

(2) Vide S. Irenæum lib. 1. adv. hær. in Præfat.

(3) L. 3. cont. Gent. c. 129. ubi alias etiam rationes reperies.

(4) Vide S. Thom. 1. 2. q. 95. a. 2.

(5) Ex Hobbesio, qui omnem justitiam, & honestatem ad civiles leges tamquam ad regulam reducit, merito quærimus, an Legislator civilis possit ex arbitrio legem ferre etiam ad reipublicæ ruinam, v. g. ut omnes regni Optimates absque ullo delicto interficiantur; ut integræ urbes conflagrent ad præbendum ejus crudelitati spectaculum, quemadmodum scimus, olim præcepisse Neronem Romæ; ut omnis extirpetur Religio, &c. Si stemus Hobbesii prin-

179 Ad primum respondemus cum S. Thoma (1), humanarum opinionum discrepantiam circa recensitas actiones turpes, quas nonnulli licitas putabant (2), non profluxisse ex recta

---

cipio, illæ interfectiones, conflagrationes, extirpationes deberent esse bonæ, justæ, honestæ; essent enim à lege civili, quæ per ipsum est unica regula bonitatis, justitiæ, & honestatis. Quis autem ejusmodi leges non dixerit iniquas? Quod si iniquæ sunt, nec legis nomen merentur, undenam hoc, nisi quia sunt contra rectam rationem? Hæc proinde etiam ipsarum legum norma, & regula debet esse. Non ergo lex civilis, quæ & ipsa regulam habet, potest esse bonitatis, justitiæ, & honestatis regula. Tam evidentia hæc sunt, ut mirum sit, Hobbesium potuisse esse in tanta evidentia cæcum. Ad rem Cicero l. 1. de Leg. » Stultissimum illud, *ait*, existimare omnia justa » esse, quæ scita sint in populorum institutis, aut legibus. Etiamne » si quæ sint tyrannorum leges? Si triginta illi Athenis leges impo» nere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis » legibus, num idcirco hæ leges justæ haberentur? .. Est enim unum » jus, quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit » una, quæ est recta ratio imperandi, atque prohibendi; quam qui » ignorat, is est injustus."

(1) 1. 2. q. 94. a. 4. seq.

(2) Empirici narrationes gratis admittimus; neque enim scepticus homo, qui universa revocabat in dubium, tantam meretur fidem, ut ei dicenti indubii credamus, præsertim cum & ipse dubitare videatur: nam quod de Germanis, & Thebanis affirmat, ex aliorum relatione profert; ait enim: *Apud Germanos, ut fertur, turpe non est*; & *apud Thebanos olim hoc turpe habitum non fuisse dicitur.* De Zenone vero, Cleanthe, & Chrysippo quod refert, ostendit, quam facile superbi homines, ut erant Stoici, in turpissimas actiones, Deo permittente, proruant. Certe Laertius l. 7. de Chrysippo scribit: *Non desunt qui & Chrysippum lacerent, dicentes, illum complura turpiter obscœneque scripsisse.* Ut cæteros omittamus, quorum flagitia, execrandasque actiones, ac doctrinas Empiricus refert; quæ quidem ostendunt, quanta sit humanæ naturæ corruptio, quanta ignorantia hominum evanescentium in cogitationibus suis, & quanta necessitas divinæ revelationis in iis etiam quæ naturali mentis lumine cognosci possunt: id unum addimus de furto apud Lacedæmonios permisso, scilicet ex Plutarcho in *Lycurgo*, ideo furtum apud illos fuisse impune, ut hoc pacto omnes assuefierent ad diligentem suarum rerum custodiam, utque furandi solertia, & adsuetudine acuerentur adolescentum animi. Quod licet esset inique præscriptum, demonstrat tamen, furtum his circumstantiis exutum Lacedæmoniis non fuisse probatum.

ratione, sed ex ratione depravata ob passiones, seu malas consuetudines, & malam naturæ habitudinem. Id autem contigit non circa principia communia moralitatis, ut sunt illa: *bonum est faciendum, malum est vitandum; Deus est colendus; parentes sunt honorandi; beneficia non sunt maleficiis rependenda, &c.* sed circa conclusiones deductas ex illis principiis, circa quas licet ratio ut in pluribus non deficiat, potest tamen deficere ut in paucioribus; quemadmodum etiam in physicis natura aliquando deficit, cum generantur monstra propter aliqua impedimenta. Sicut ergo nemo negaverit naturæ virtutem producendi effectus perfectos, ob paucos imperfectos, & monstrosos, qui aliquando contingunt; ita nemo negare debet naturalem honestatem actionum, quæ sunt secundum rectam rationem; & naturalem turpitudinem earum, quæ sunt contra rationem, propterea quod nonnulli fuerint, veluti naturæ monstra, qui actiones quasdam natura inhonestas putarint honestas (1).

180 Ad secundum, si vera sunt, quæ refert d' Argens (2), responsio eadem est adhibenda (3).

---

(1) Et hi ipsi, qui describuntur moribus corruptissimi, omnique honestatis idea exuti, non adeo fuere cæci, ut nihil omnino honestatis viderint; ostendimus enim Tom. 5. §. 1194. seqq. ideam Divinitatis apud universas gentes fuisse, adeoque & ejus cultui. Non est etiam putandum, quempiam extitisse ita barbarum, & inhumanum, ut omnes omnino homines odio habendos duxerit, etiamsi de ipso bene mererentur; qui etiam seipsum oderit, & in quo denique bonum naturæ omnino fuerit corruptum, & rationis lumen prorsus restinctum; non enim vitia ita possunt prævalere, ut dictum est §. 132. In iis igitur qui recensiti sunt, sicuti inerat rationis lumen, ita inerat recta ratio circa multarum saltem actionum honestatem, ac turpitudinem, licet in reliquis non satis cernerent, præsertim ob voluptatum blanditias.

(2) Loc. cit.

(3) Diximus, *si vera sunt*; non enim hisce hominibus adhibenda indubia fides est. Solemne est mendacium d' Argens, dum refert, fideles Romæ Pontificis mulam exosculari devotionis ergo. Ei credemus referenti mores Americanorum, quos numquam vidit? Americani illi sylvestres homines sunt, & ab aliorum consortio sejuncti. Quis ergo diligenter in eorum inquirere mores potuit, ut concluderet, nullam eos habere honestatis ideam? Nonnulli viatores dixerant, eosdem nullam agnoscere Divinitatem: quod tamen falsissimum esse alii deprehenderunt, ut diximus Tom. 5. §. 1205. seqq. Si Divinitatem agnoscunt, oportet, ut saltem communia habeant principia honestatis.

181 Ad tertium negamus, notiones justi, & injusti, honesti, & turpis, si de vera justitia, & injustitia, deque vera honestate, & turpitudine sermo sit, oriri potuisse ex præjudiciis infantiæ, & consuetudinis: id quod probare debuerant increduli, & non adsumere tamquam certum; de hoc enim ipso quæstio est, ideoque eorum sophisma est manifesta petitio principii. Quod autem eæ notiones ex præjudiciis illis non procedant, apertissime constat. Nemo siquidem revocare in dubium potest, eas notiones in maxima hominum parte vigere: nam si qui ab illis alieni putant honestum, quod revera turpe est, aut justum quod revera est injustum; ii certe sunt pauci, & plerumque ferinis moribus, nullis artibus, nulla disciplina instituti; reliqui vero homines quamlibet regionibus, climatibus, moribus discrepent, in notionibus illis omnino conveniunt. Unde autem hæ tam late patentes, nisi ex natura hominis? Nam quis innumeras nationes potuisset in iisdem ideis honestatis, & turpitudinis, justitiæ, & injustitiæ tam multarum actionum confirmare, nisi bonum, & malum morale natura judicaretur, & eadem essent principia moralia naturæ? Quæ sunt ex mera hominum institutione, diversa sunt non in singulis regionibus modo, nec in singulis regnis, sed fere in singulis urbibus, ac domibus. Educatio diversa est pro diversitate locorum, & personarum. Cur ergo in omni hominum genere, si forte paucos excipias, eadem est de virtutum honestate, & de turpitudine vitiorum sententia (1)? Possunt utique pravæ consuetudines, & perversa educatio inficere teneros, & rudes homines (atque utinam impii scelestis doctrinis, & libris suis non infecissent?) possunt, ut Tullius advertit (2), *tendi insidiæ ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium; cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis*: sive potius, potest homo ex corruptione naturæ

(1) Cicero l. 1. de Leg. »Nec solum, *inquit*, jus à natura dijudi»cátur, sed omnino omnia honesta, ac turpia: nam & communis in»telligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoa»vit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem »in opinione existimare, non in natura ponere, dementis est. Nam »nec arboris, nec equi virtus quæ dicitur, in quo abutimur nomine, »in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est, honesta quo»que, ac turpia natura dijudicanda sunt.«

(2) Loc. cit.

ob peccatum originale, aucta etiam à peccatis actualibus, in tantam ruere dementiam, ut similis iis evadat, de quibus habetur Isaiæ 5. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*; cujusmodi plane sunt omnes increduli, qui universas pervertunt rerum ideas. Sed deleri à mente hominis funditus non potest lumen rationis ostendens in mediis ipsis tenebris, quid honestum, quid turpe sit, hominemque reprehendens, si quid minus honestum admiserit.

182 Quod additur de superstitione, eadem qua dicitur, facilitate negatur; non enim homines in Dei cultum convenerunt nisi ex evidentissimis argumentis existentiæ Dei. Et licet partim ob poetarum fabulas, partim ob morum corruptionem, & improborum nequitiam, in varias, abominandasque superstitiones inciderint; non fuit tamen superstitio harum superstitionum causa, sed causam describit Apostolus Rom. 1. v. 21. seq. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quæ est etiam causa dementiæ incredulorum.

183 Ad quartum negamus absolute, puerum illum in facta hypothesi nullam habiturum notionem boni, & mali, cum ad annos discretionis perveniret (1); haberet enim animam ratione præditam; haberet sensus, per quos posset, etsi non omnes,

(1) Jacquierius Phil. mor. p. 1. c. 1. hac proposita hypothesi, concedit, puerulum illum nulla præbiturum indicia principiorum moralium, quia mente ejus obtusa, & ferinæ solitudinis horrore hebetata, ratio suis non uteretur facultatibus. Sed bona ejus pace, videtur hæc responsio incredulis ansam præbere adserendi, notiones honesti, & turpis ad educationem unice debere referri. Cur enim illius pueri ratio, etiam post annos discretionis, ita obtusa, & hebetata foret, nisi ob educationis humano more defectum? Saltem educatio esset conditio, sine qua explicari facultates mentis non possent, etsi nullum in corporeis organis esset impedimentum. Quod non videtur dici posse; alioqui puer iste jam grandævus factus libero non uteretur arbitrio, neque adeo actiones turpes, si quas patraret, ei imputarentur ad culpam; esset proinde semper veluti puer ante usum rationis, etiamsi organa corporis apta haberet ad operandum humano modo. Quæ omnia videntur esse absurda. Nam ex doctrina Ecclesiæ statim post annos discretionis homo fit capax merendi, aut demerendi, nisi forte male affecta sint organa, ut in mente

multas tamen ideas comparare; haberet rationis lumen, quo posset bonum à malo discernere. Itaque & notionem boni, & mali haberet, & ea quæ faceret, ipsi imputarentur (1). Ad puerum vero illum quod attinet, de quo loquitur Connor, dicimus primum, hujusce scriptoris fidem valde esse suspectam, ut supra diximus (2). Deinde negamus, puerum illum decennem nullum habuisse rationis usum: nam quomodo id constare poterat, si prorsus ille erat loquelæ expers, neque proinde poterat per verba manifestare interiores cogitationes suas? Indicia si quæ fuerunt, debuerunt esse valde dubia, & æquivoca, ideoque ex eis certum haberi judicium minime potuit. Quod vero vitæ sylvestris anteactæ visus fuerit non recordari, mirum esse non debet: nam eodem referente Connor, interrogatus ille fuit de vita anteacta, cum vix inhumana, & rauca quædam verba proferre cœperat, & vix ea quæ dicebantur, intelligebat. Quis autem tales interrogationes, & responsiones pro exploratis habebit?

---

captis: quod tamen in puero illo post annos discretionis non eveniret; supponimus enim habiturum organa apte disposita.

(1) S. Thomas q. 14. de ver. a. 11. ad 1. de hac hypothesi loquens, non modo non eximit puerulum illum, ad usum rationis pervenientem, ab observantia mandatorum legis naturalis; sed ait, ipsum teneri ad explicite credendum ea quæ sunt Fidei, licet in illo statu infidelitas ejus sit negativa, neque proinde ei imputetur ad culpam, cum nihil audierit de Fide. Ait enim: „Non sequitur inconveniens, „posito, quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in sylvis, „vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad divinam providen„tiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dum„modo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutri„tus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga ma„li, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam in„spirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel „aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum „ad Cornelium, Act. 10.“ Idem repetit lect. 3. in c. 10. Epist. ad Rom. & alibi. Tantum igitur abest, ut puerulus ille inter feras enutritus nullum posset habere usum rationis, cum ad annos discretionis perveniret, ut posset etiam credere, si sequeretur ductum rectæ rationis, Deo vel interius revelante, vel Prædicatorem mittente.

(2) Tom. 5. §. 1372. in not. *Mirabilis.*

ARTICULUS IV.

Utrum omnis actionum moralitas à Dei voluntate, & lege positiva pendeat.

184 Hactenus de iis qui omnem moralitatem ab hominum opinionibus, & legibus hauriebant: nunc de illis qui eam repetunt à divina voluntate, & lege positiva. Puffendorfius ita obfirmatus in hac sententia fuit, ut putarit, nullo modo admitti posse principium illud, quod ipse arbitratur invectum à Scholasticis, actionum scilicet moralium alias bonas esse, aut malas natura sua; alias bonas, aut malas, quia præceptæ, vel prohibitæ; quod quidem principium ita explicare solent: *Actionum moralium quædam sunt præceptæ, quia bonæ; quædam bonæ, quia præceptæ*: & rursus *quædam sunt prohibitæ, quia malæ, & quædam malæ, quia prohibitæ*; v. g. odium Dei non ideo est malum, quia prohibitum; sed ideo est prohibitum, quia malum; & amor Dei non ideo est bonus, quia præceptus; sed ideo est præceptus, quia bonus. Econtra, lex Mosaica quoad præcepta cæremonialia non ideo erat præcepta, quia bona; sed ideo bona, quia præcepta: & ejus transgressio non ideo erat prohibita, quia mala; sed ideo mala, quia prohibita. Quæ quidem est differentia inter præcepta legis naturalis, & legis positivæ, ut priora sint de rebus præceptis, quia bonæ, & prohibitis, quia malæ; posteriora sint de rebus bonis, quia præceptæ, & malis, quia prohibitæ. Puffendorfius autem hoc principium conatur diruere, statuens (1), *Deum uti omnia, ita & hominem liberrima voluntate creasse; cui consequens est, in beneplacito ejusdem fuisse, qualem ei quem creaturus erat, naturam vellet assignare* (2). Hinc vero infert: „Qua ratione igi„tur actioni hominis possit competere aliqua affectio, quæ ex

(1) De jure nat. & gent. l. 1. c. 2. §. 6.

(2) In hisce verbis animadvertite crassam Puffendorfii hallucinationem; non enim distinguit inter essentiam, & existentiam rerum creatarum. Utique Deus liberrima voluntate hominibus, sicut & cæteris creatis rebus existentiam contulit; ast essentias rerum non libere, sed necessario vult. Hæ siquidem nihil sunt aliud quam ideæ archetypæ rerum in mente divina existentes, seu ipsa divina Essentia ut diversimode participabilis, ut diximus Tom. 5. §. 46. Deus autem essentiam suam non libere, sed necessario vult. Errorem Puffendorfius hausit ex Cartesio, qui ut diximus ibid. §. 41. posuit essentias re-

»necessitate intrinseca, & absoluta, extra Dei impositionem, »& beneplacitum promanet? Sic ut revera omnes motus, & »actiones hominis, remota omni lege tam divina, quam hu»mana, sint indifferentes; earum autem aliquæ ita tantum na»turaliter honestæ, aut turpes dicantur, quod eas fieri, aut »omitti quam maxime requirat conditio naturæ, quam Creator »homini libere atribuit (1).“ Pro eadem sententia Puffendorfius citat Seldenum (2), Osiandrum (3), & Platonem (4). Puffendorfium vero ex parte sequitur Heineccius, ut supra dictum est (5). Sequuntur autem Samuel Coccejus (6), & Schwartius (7).

185 Videtur autem ita dicendum, I. quia »Cum honestas »sive necessitas moralis, & turpitudo sint affectiones actionum »humanarum ortæ ex convenientia, aut disconvenientia à nor»ma seu lege, lex vero sit jussum superioris; non apparet, »quomodo honestas, aut turpitudo intelligi possit ante legem »& citra superioris impositionem.“

186 II. » Qui citra impositionem divinam, moralitatis actio-

---

rum immutabiles, quia sic Deus voluit. Mira autem est Puffendorfii solertia, cum ait, in beneplacito Dei fuisse, qualem vellet homini naturam assignare. Quæro, an poterat Deus homini assignare naturam equi, ita tamen ut permaneret homo? nam si non permansisset homo, sed fuisset equus, jam Deus non assignasset homini naturam equi. Si autem permansisset homo, & nihilominus fuisset ei assignata natura equi, jam fuisset simul, & non fuisset homo; fuisset quidem, quia permansisset homo; non fuisset vero, quia assignata ei fuisset natura equi. Tam apertam contradictionem Puffendorfius non vidit. Hi sunt præclari ætatis nostræ Philosophi, qui contradictoria loquuntur, & Scholasticos aspernantur.

(1) Idem sæpius repetit, ac præsertim in *Eride Scandica* §. 19.

(2) De jur. nat. & gen. l. 1. c. 4. (3) In Notis ad Grotium p. 60.

(4) In loco, quem ex *Convivio* Puffendorfius citat, Plato loquitur de actionibus in physica earum natura inspectis; ait enim: *Actionis cujuslibet hæc est conditio, ut suapte natura neque honesta sit, neque turpis, ut ea quæ nunc agimus, bibere, canere, disputare.* Cæterum de iis in esse morali scribit: *sed agendi modus actioni certum tribuit cognomentum.* Itaque Puffendorfius Platoni vehementer imponit. Nam si *agendi modus* actioni physicæ tribuit honestatem, vel turpitudinem; cum is *modus* sit actioni *intrinsecus*, igitur *modo* accedente, *intrinseca* actioni erit honestas, vel turpitudo.

(5) Vide ejus verba §. 28. in not. *Sic scribit.*

(6) Comm. in l. 1. Grotii de jure bel. & pac. c. 1. §. 10.

(7) Inst. jur. publ. univ. nat. & gent. part. 1. tit. 1. Inst. 4.

»num humanarum æternam aliquam statuunt regulam, nihil aliud »videntur agere, quam ut Deo adjungant principium aliquod »coæternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum for»mis sequi necessum habuerit.“

187 III. » Si quæras ex istis hominibus (*admittentibus »intrinsecam moralium actionum honestatem, vel turpitudinem*), »de quibusnam lege naturæ disponatur? respondent: de iis »quæ per se natura sua honesta, & turpia sunt. Sin ulterius »quæras, quænam autem sunt illa per se, & sua natura »honesta, vel turpia? nihil aliud habent, quod respondeant, »quam ea de quibus lege naturæ disponitur.“ Quod est in circulo revolvi, & petere id quod est in principio.

188 IV. » Admissa hac (*de intrinseca moralitate*) senten»tia, in obscuro manet, quinam demum sint illi actus in se »illiciti, & quo indicio ab aliis actibus liquido internoscan»tur; quæ item ratio sit proxima, quare iidem tales sint.“

189 V. » Quilibet actus citra legem sunt omnino indiffe»rentes. Remota enim lege, removetur quidquid est morale »in actu illo. Ergo si ab his omnibus, adulterio, furto, ho»micidio, incestu, aliisque removeas respectum ad legem, »erunt hæc prorsus indifferentia (1).“

190 VI. Deus aliquando mutavit boni, malique notiones, ut cum Abrahæ præcepit Gen. 22. ut filium Isaacum immolaret; cum Osee c. 1. jussit, ut acciperet uxorem fornicationum, & faceret sibi filios fornicationum; cum Exod. c. 11. seq. mandavit Judæis, ut spoliarent Ægyptios; cum ibid. c. 1. bene fecit obstetricibus Ægyptiis, quæ mentitæ fuerant. Nulla est ergo intrinseca differentia inter actiones bonas, & malas, neque hæ tales sunt ex natura sua, & ex voluntate Dei præcipientis, vel prohibentis (2).

Prop. *In actibus humanis sunt aliqua recta, vel mala secundum naturam, & non solum ex Dei lege positiva præcipiente, vel prohibente.*

191 Ita S. Thomas (3) jampridem redarguens, exsufflansque

(1) Ne Puffendorfiani de calumnia, ut sæpe Puffendorfius adversarios suos, nos accusarent, descripsimus ipsa ejus verba ex locis cit. exque l. 2. de jur. nat. & gent. cap. 3. §. 4. & ex Specimine Controv. cap. 5. §. 8. seqq.

(2) Ita ex Samuele Coccejo in l. 1. Grotii c. 1. §. 10.

(3) L. 3. cont. Gent. c. 129. In eadem sententia universi Catho-

Puffendorfii, ejusque gregalium errores. Præstat ejusdem S. Doctoris rationes ipsiusmet verbis describere; sunt enim veluti limpidissimi lapides illi, quos David elegit ad prosternendum Goliath, cui Puffendorfius assimilatur, contemnens Scholasticos, seu verius Catholicos Doctores (1).

192 I. „Ex præceptis legis divinæ mens hominis ordi„natur sub Deo, & omnia alia quæ sunt in homine, sub ra„tione: hoc autem naturalis ordo requirit, quod inferiora su„perioribus subdantur. Sunt igitur ea quæ lege divina præ„cipiuntur, secundum se naturaliter recta (2).“

---

lici sunt, imo & Heterodoxi, Grotius de jur. belli, & pac. in Præfat. §. 11. Clarkius *Les Preuves de la Religion*, &c. c. 3. Leibnitius Theod. §. 182. seq. & in Epist. ad Molanum. Quod autem Scholastici nonnulli disputent, an honestas, & malitia in actionibus antecedenter ad legem sit *fundamentalis*, ut ajunt, vel *formalis*, alia quæstio est, à qua modo supersedemus. Videri possunt Patres Salmanticenses de bonit. & malit. human. actuum, tract. 11. disp. 1. dub. 6. n. 85. seqq. & tract. 20. c. 11. & noster Daniel Concina l. 1. de jur. nat. & gent. diss. 2. c. 11.

(1) Non ob aliam rationem Puffendorfius intrinsecam actionum honestatem, & malitiam videtur negasse, nisi ob Scholasticorum contemptum, uti se explicat in *Eride Scandica* §. 19. Id autem erat reliquum, ut Ciceronem Scholasticis accenseret; is enim l. 1. de Leg. „Nos, *inquit*, legem bonam à mala, nulla alia, nisi naturali norma „dividere possumus. Nec solum jus à natura dijudicatur, sed omni„no omnia honesta, ac turpia: nam & communis intelligentia no„bis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia.“ Legant autem Puffendorfiani quæ statim sequuntur: *Hæc autem... non in natura ponere, dementis est.*

(2) Mirabilis sane ratio, qua funditus corruit Puffendorfiana sententia. Hæc enim à lege divina positiva repetit omnem actionum honestatem. Atqui si nihil sit natura sua rectum, nulla potest esse obligatio divinæ legis positivæ: nam hæc obligatio oritur ex eo quod mens hominis ordinatur sub Deo, & omnia quæ sunt in homine, ordinantur sub ratione, ob naturalem ordinem, quo inferiora superioribus subduntur. Si ergo omnis naturalis actionum rectitudo tollatur, tollitur obligatio divinæ legis positivæ, & ipsamet lex divina positiva; lex enim quæ non obligat, non est lex. Pressius: Ideo tenemur lege positiva divina, quia mens ordinatur sub Deo, & Deo est subjecta. Hæc ordinatio, & subjectio intelligitur præcedere legem divinam positivam; est enim ratio, ob quam lex divina positiva obligat. Necessario igitur ante legem divinam positivam debet

193 II. »Homines ex divina providentia sortiuntur na»turale judicatorium rationis, ut principium propriarum ope»rationum: naturalia autem principia ad ea ordinantur, quæ »sunt naturaliter. Sunt igitur aliquæ operationes naturaliter »homini convenientes, quæ sunt secundum se rectæ, & non »solum quasi lege positæ (1).«

194 III. » Quorumcumque est natura determinata, opor»tet esse operationes determinatas, quæ illi naturæ conve»niant; propria enim operatio uniuscujusque naturam ipsius »sequitur. Constat autem, hominum naturam esse determinatam. »Oportet igitur operationes esse aliquas secundum se homini »convenientes (2).«

195 IV. » Cuicumque est aliquid naturale, oportet etiam »esse naturale id, sine quo illud haberi non potest; natura »enim non deficit in necessariis. Est autem homini naturale, »quod sit animal sociale (3); quod ex hoc ostenditur, quod »unus homo solus non sufficit ad omnia, quæ sunt humanæ »vitæ necessaria. Ea igitur, sine quibus societas humana con»servari non potest, sunt homini naturaliter convenientia. Hu»jusmodi autem sunt, unicuique quod suum est conservare, & »ab injuriis abstinere. Sunt igitur aliqua in humanis actibus »naturaliter recta.«

196 V. »Omnis homo naturaliter hoc habet, quod utatur »rebus inferioribus ad suæ vitæ necessitatem. Est autem ali»qua mensura determinata, secundum quam usus prædictarum »rerum humanæ vitæ est conveniens, quæ quidem mensura si »prætermittatur, fit homini nocivum, sicut apparet in sumptio-

---

esse aliquid obligans ad eam observandam, ideoque aliquid natura sua rectum.

(1) Hæc ratio demonstrat, omne quod est secundum rectam rationem, esse naturaliter rectum.

(2) Natura secundum se non inclinat ad malum, sed ad bonum, quod est naturæ conveniens. Quæ igitur operationes conveniunt naturæ hominis, ut homo est, seu quatenus recta ratione utitur, eæ secundum se bonæ sunt.

(3) Facit mirifice hæc ratio adversus Puffendorfium, cujus principium, sive propositio cardinalis (ut advertit Mascovius in Præfat.), ex qua conclusiones omnes deducuntur, est *Socialitas*, quam ille constituit principium fundamentale *cognoscendi* jus naturale, ut infra dicemus; sicut principium *essendi* ejusdem juris constituit in *voluntate divina*. Inspecta autem natura *socialitatis*, necessario sequitur, aliqua in actibus humanis debere esse naturaliter recta.

»ne inordinata ciborum. Sunt igitur aliqui actus homini na»turaliter convenientes (1).«

197 VI. »Secundum naturalem ordinem corpus hominis est »propter animam, & inferiores virtutes animæ propter ratio»nem .... Ex eo autem quod est ad aliud ordinatum, dici»tur ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. »Est igitur naturaliter rectum, quod sic procuretur ab ho»mine corpus, & inferiores vires animæ, ut ex hoc & actus »rationis, & bonum ipsius minime impediatur, magis autem »juvetur. Si autem secus acciderit, erit naturaliter peccatum. »Vinolentiæ igitur, & comessationes, & inordinatus venereo»rum usus, per quæ actus rationis impeditur; & subdi pas»sionibus, quæ liberum judicium rationis esse non sinunt, sunt »naturaliter mala (2).«

198 VII. »Unicuique naturaliter conveniunt ea, quibus »tendit in suum finem naturalem: quæ autem è contrario se »habent, sunt ei naturaliter inconvenientia. Ostensum est enim »supra (3), quod homo naturaliter (4) ordinatur in Deum »sicut in finem. Ea igitur, quibus homo inducitur in cogni»tionem, & amorem Dei, sunt naturaliter recta; quæcumque »vero econtrario se habent, sunt naturaliter homini mala. »Patet igitur, quod bonum, & malum in humanis actibus non »solum sunt secundum legis positionem, sed etiam secundum »naturalem ordinem. Hinc est, quod in Psal. 18. dicitur. »quod *judicia Domini* sunt *vera, justificata in semetipsis* (5).«

---

(1) Ut ad hanc rationem advertit Ferrariensis: »Ista ratio funda»tur super hoc manifesto principio: *Id in homine naturaliter est re»ctum, quod determinatam mensuram à natura institutam non ex»cedit*, quia tale est secundum rationem: omne autem, quod est »secundum rationem, est rectum.«

(2) Idem Ferrariensis: »Ista, *inquit*, ratio habet pro fundamen»to, quod illud est naturaliter rectum, quod secundum naturæ or»dinem, & institutionem fit: è contrario autem naturaliter malum »est id, quo naturæ ordo pervertitur, aut impeditur.« Quo princi-pio nihil potest esse notius.

(3) Id S. Doctor probavit ibid. c. 112.

(4) To *naturaliter* hìc S. Thomas non accipit pro eo tantum quod est ex viribus naturæ; sed pro eo quod congruit naturæ hominis sive ex viribus naturæ, sive ex viribus gratiæ. Confer c. 112. cit.

(5) Si Puffendorfius minori odio percitus fuisset in Catholicam Ecclesiam, neque à suo opere exclusisset universos *Scriptores Commu-*

199. Atque hæ quidem sunt invictissimæ S. Thomæ rationes, quibus jam olim Puffendorfii profligavit errorem. Ad eas addimus: Si omnes actiones ideo essent honestæ, quia à Deo præceptæ, & ideo turpes, quia à Deo prohibitæ, tam potuisset Deus præcipere, ut homines v. g. ipsum amarent, quam ut ipsum odio haberent; & tam potuisset prohibere, quam præcipere idololatriam, furtum, adulterium, fornicationem, &c. nam ante Dei præceptum actiones illæ essent seipsis indifferentes ad bonitatem, & malitiam. Quis autem ad hæc non horret animo (1)?

200 Ad primum respondemus, honestatem vel turpitudinem actionum humanarum, quæ sunt natura sua honestæ, vel turpes, oriri quidem ex conformitate cum lege, vel difformitate ab ipsa; sed hæc est lex æterna, quæ est ipsa summa ratio in Deo existens, sive ut loquitur S. Thomas (2), *est ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum, & motionum.* Huic autem *æternæ legi subduntur omnia quæ sunt in rebus à Deo creatis, sive sint contingentia, sive necessaria,* ut idem S. Doctor ostendit (3). Actiones igitur honestæ natura

---

nioni Romanæ addictos, eosque consuluisset, atque in primis Angelicum Doctorem; ne turpissimam cavisset sententiam.

(1) Respondet Puffendorfius in Specim. loc. cit. *supervacaneum, ac petulans videri quærere, quid Deus facere potuerit, cum constet, quid fecerit.* Videat ne petulantem faciat Apostolum scribentem 2. ad Tim. 2. v. 13. *Deus fidelis permanet, negare seipsum non potest.* An non idem esset, posse negare seipsum, & posse præcipere odium sui, mendacium, &c.? Sed addit Puffendorfius: *Si cui etiam vana convellere cordi sit* (an sit *vanum* quærere, utrum Deus potuerit præcipere mendacium, perjurium, blasphemiam, &c. quisque videt), *facile respondere est, illam dubitationem non obscure contradictionem involvere* Te igitur fatente, mi Puffendorfi, contradictio involvitur, si dicatur Deus potuisse constituere præcepta contraria legi naturæ. Hæc autem contradictio undenam oritur? non ex libera Dei voluntate: nam in iis quæ Deus libere vult, nulla est contradictio, si dicatur Deus absolute potuisse aliter facere; si enim absolute non potuisset, non fuisset liber. Itaque contradictio illa non aliunde peti potest, quam ex ipsa natura rerum. Hi sunt egregii disputatores, qui tam aperte pugnantia loquuntur. Leibnitius in Epist. ad Molanum, recensitis nonnullis Puffendorfii locis minime cohærentibus: »Mirum, *inquit*, es»set, virum acutum secum adeo pugnare potuisse, nisi sciremus, fa»cile evenire paradoxa tuentibus, ut, prævalente sensu communi, »sui dogmatis obliviscantur.«

(2) 1. 2. q. 93. a. 1. (3) Ibid. a. 4.

sua dicuntur, quia sunt conformes legi æternæ, cujus est quædam participatio lex naturalis impressa cordibus hominum per lumen rationis, quod est quædam impressio divini luminis in nobis, ut Angelicus probat (1). Lex autem æterna intelligitur præcedere omnem legem positivam; est enim ipsa ratio divinæ sapientiæ, ad quam Deus vult quidquid vult; non enim quidquam vult nisi sapientissime. Videtis nunc, quam oscitanter hallucinatus Puffendorfius fuerit, nesciens distinguere inter legem *æternam*, *naturalem*, *& positivam*, earumque ideas confundens, & perturbans. Itaque, sicut omnis veritas creata est à prima veritate, quæ Deus est; & sicut essentiæ rerum creatarum sunt ipsæmet ideæ archetypæ mentis divinæ, seu ipsa divina essentia, prout habet formam artis, ex cujus participatione omnia sunt quidquid sunt: ita omnis actionum honestas est ex conformitate cum prima ratione, quæ est lex æterna, ex cujus participatione per lumen intellectus habetur etiam conformitas earumdem actionum cum recta ratione hominis, à qua si actiones sunt dissonæ, turpes sunt. Honestas igitur, vel turpitudo in actionibus natura sua bonis, vel malis non intelligitur ante omnem legem; verum hæc lex non est positiva, sive de rebus, qua ideo sunt bonæ, quia præceptæ, vel ideo malæ, quia prohibitæ; sed est æterna ratio homini participata, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem (2), & ex qua ratio humana habet, ut sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuratur (3). Sed de his fusius infra.

201 Ad secundum dicimus, regulam illam æternam actionum humanarum esse ipsam legem Dei æternam, quæ est ipsemet Deus; ideoque nullum adjungimus principium coæternum à Deo distinctum (4).

202 Ad tertium respondemus, in nullo nos revolvi circulo, nec ullam esse petitionem principii: nam si interrogemur, de quibusnam lege naturæ disponatur? respondere quidem

(1) Ibid. q. 91. a. 2.
(2) S. Thomas ibid.
(3) Idem ibid. q. 19. a. 4.
(4) Samuel Coccejus, & Thomasius impudenter calumniantur, cum is Manichæismum in hac Catholicorum sententia videt; ille vero ait, in ea præscindi posse ab existentia Dei. Tam hæc falsa sunt, quam est falsum, legem æternam in Deo esse quidpiam à Deo distinctum; aut ullam posse esse legem æternam, si ab existentia Dei præscindatur.

poterimus (1): de iis quæ per se, & natura sua sunt honesta, vel turpia. Si autem interrogemur, quænam sint per se, & natura sua honesta, vel turpia? respondebimus, non ut Puffendorfius imponit, scilicet, esse ea de quibus lege naturæ disponitur; sed esse ea quæ sunt per se, & natura sua conformia, vel difformia rectæ rationi. Et si rursus petamur, quare ita sint conformia, vel difformia? respondebimus: quia sunt conformia, vel difformia legi Dei æternæ. Sic autem nullus est circulus, nulla petitio principii.

203 Ad quartum negamus, ullam esse obscuritatem in decernendo, quinam actus in se sint illiciti, si sermo sit de primis principiis practicis, & de conclusionibus immediate connexis cum ipsis: hæc namque statim patent unicuique ratione utenti, ac lumine ipso rationis ab aliis actibus internoscuntur. Lex autem naturalis est regula proxima, quare iidem tales sint; prima vero regula est lex æterna, à qua omnis lex derivatur (2).

204 Ad quintum concedimus, quemlibet actum citra legem esse indifferentem: negamus autem, actus natura sua rectos, vel turpes esse posse citra legem: nam hoc ipso quod sunt natura sua recti, vel turpes, jam sunt legi naturali, & æternæ conformes, vel dissoni (3).

---

(1) Diximus, *poterimus*: nam alias rationes adfert S. Thomas 1. 2. quæst. 100. a. 8.

(2) Puffendorfius potius tenebras spargit systemate suo: nam si omnis honestas est à lege positiva Dei præcipientis, & omnis turpitudo à lege positiva Dei prohibentis, hæ leges non constarent lumine rationis, sed nobis deberent innotescere per Dei revelationem, ut cæteræ leges positivæ divinæ. Nam quæ à mera Dei voluntate pendent, non aliter nobis innotescere possunt, quam ab ipso Deo revelante. Qui ergo Deo revelanti non credunt, nullam agnoscerent honestatem, vel turpitudinem actionum. Nota autem miram Puffendorfii cum dictis suis consonantiam; postquam enim docuit, nullam in juris naturalis explicatione habendam esse revelationis rationem, ut diximus §. 59. statuit, honestatem omnem, & turpitudinem actionum pendere à Dei lege positiva, quæ aliter quam per revelationem innotescere nequit.

(3) S. Thomas 1. 2. q. 19. huic difficultati occurrit, ac simul paucis complectitur totius controversiæ statum, inquirens a. 3. utrum bonitas voluntatis pendeat ex ratione, & a. 4. utrum pendeat ex lege æterna. Pressius ibid. q. 71. a. 6. quartum arg. sibi objicit, quod continet eamdem fere Puffendorfii objectionem, si argumenti formam invertas: „Ex hoc dicitur aliquid esse prohibitum, quia legi contraria-

205 Ad sextum jampridem responderat S. Thomas (1), Deum numquam mutasse notiones boni, vel mali. Nam cum præcepit Abrahæ, ut filium immolaret, non consensit in homicidium, quatenus est prohibitum lege naturali; hæc enim afficit homines, ne absque justa causa, & auctoritate quempiam occidant. Deus autem est Dominus vitæ, & mortis; & Abraham tenebatur obedire Deo præcipienti, & danti ei facultatem immolandi filium. Quare Abraham non consensit in homicidium lege prohibitum. Similiter Osee nullam fornicationem commisit, quia accessit ad eam, quæ jam sua erat ex divino mandato. Neque filii Israel, cum spoliaverunt Ægyptios, furati fuerunt; siquidem spolia illa, posito Dei mandato, qui est universorum Dominus, jam eis debebantur. Obstetricibus autem Ægyptiis Deus bene fecit, non propter mendacium, sed ob misericordiam erga pueros Hebræorum.

ARTICULUS V.

Utrum moralitas actionum humanarum in imputabilitate consistat.

206 Actionum moralium essentiam duo complecti, alterum *materiale*, alterum *formale*, docet Puffendorfius (2), jamque docuerant universi Scholastici. Ac *materiale* quidem in actione physica consistere, nemo in dubium vertit (3). De *formali* ve-

---

» tur: sed non omnia peccata sunt mala, quia prohibita, sed quæ» dam sunt prohibita, quia mala. Non ergo in communi definitio» ne peccati debuit poni, quod sit contra legem Dei.“ Respondet autem: *Cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum: si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum; ex hoc enim ipso quod est inordinatum, juri naturali repugnat.* Quodlibet igitur peccatum est contra legem, cum hoc tantum discrimine, quod peccata contra legem positivam ideo peccata sunt, quia lex ea prohibet; peccata vero contra legem naturalem, ideo prohibentur, quia seipsis mala sunt, nec omnino possunt esse citra legem.

(1) 1. 2. q. 10. a. 8. ad 3.

(2) De jur. nat. & gent. l. 1. c. 5. §. 4. seqq.

(3) Ad id explicandum multa inutiliter congerit Puffendorfius loc. cit. conquisitis exemplis.

ro ita ille: „*Formale* actionis moralis consistit in *imputativita-*„*te* (1), ut ita loquar, per quam effectus actionis voluntariæ (2) „agenti potest imputari ... Unde facile intelligitur, causæ mo-„ralis proprie, ac strictim loquendo *formalem rationem* in im-„putatione, sed *terminaliter* spectata consistere; adeoque eam „nihil esse aliud, quam agens voluntarium, cui effectus im-„putatur, aut imputandus est (3)... Est autem & hoc ob-„servandum, quod *formale* actionis moralis, id est *imputativi-„tas*, habeat rationem formæ, ex qua *radicaliter* (4) affe-„ctiones, proprietates, & *consequutiva* ejusdem resultant (5).“ Hertius autem (6): *Actionis*, ait, *quatenus producta est, formale consistit in imputativitate: quatenus vero producenda, alia ad eam requiruntur.*

207 Ut autem Puffendorfius explicet, quænam actiones sint

---

(1) *Imputativitas*, si ita loqui fas est, *active* accipitur, denotatque potius causam quæ imputat, quam illum cui aliquid imputatur. Imputare autem est actioni morali extrinsecum, sicut & ipsa causa imputans; ideoque nequit esse *formale* ejusdem actionis: nam *formale* est intrinsecum. Ita Puffendorfius ne ipsam quidem vocis significationem tenuit, cum loco *imputabilitatis* substituit *imputativitatem.*

(2) Sæpe omissio homini imputatur. Omissio autem quamquam sequatur actionem voluntatis volentis omittere; revera tamen effectus non est, sed potius defectus.

(3) Hic confunditur *ratio formalis* cum *causa efficiente.* Videte, quam diligens in perscrutando Puffendorfius fuerit.

(4) Quia recentiores Juristæ Scholasticis exprobrant terminorum barbariem, quærimus, an latinæ sint voces *imputativitas*, *terminaliter*, *radicaliter*, *consequutiva*, &c. Dicent, ejusmodi terminos una voce complecti multa. Haud repugnamus. Sed quare hæc ipsis ratio suffragari debet, non item Scholasticis?

(5) Docuerat Lutherus, omnia opera hominis etiam justi esse peccata, sed per Dei misericordiam non imputari credenti in Christum, qui justificat impios. An hæc respiceret Puffendorfius Lutheranus homo, cum moralitatem formalem in *imputativitate* reponebat, alii viderint.

(6) In not. ad cit. §. 4. At vero actio exterius producta non differt specie moraliter à voluntate eam ponendi exterius. Certe idem specie peccatum furti committit tam qui deliberat furari, quam qui actu furatur, licet peccato ejus qui furari deliberat, desit complementum extrinsecum. Sive ergo actio sit exterius producta, sive producenda, eadem est ejus *ratio formalis.* Quare Hertius non videtur intellexisse, quid nomine *rationis formalis* significetur.

homini imputabiles, multa obscura fundit verba (1), cum tamen S. Thomas (2) omnia paucis, atque perspicue fuerit complexus, actionem scilicet, vel id quod sequitur ad actionis defectum, tunc solum alicui imputari ad culpam, *cum potest, & debet agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret* (3).

208 Videtur autem cum Puffendorfio sentiendum: nam I. actio moralis digna est laude, aut vituperatione. Non est autem laude, aut vituperatione digna, nisi quia potest imputari. Moralitatis ergo ratio formalis in *imputativitate* consistit.

209 II. Ubicumque reperitur moralitas, reperitur etiam meritum, vel demeritum. Sed meritum, vel demeritum absque *imputativitate* actionis non est. Ergo absque *imputativitate* nulla est moralitas.

Prop. *Formale actionis moralis in imputabilitate non consistit.*

210 Prob. ratione S. Thomæ (4). *Formale* actionis moralis in ejus bonitate, vel malitia consistit, prout scilicet actio

(1) Loc. cit. & rursus ibid. c. 9.

(2) 1. 2. q. 6. a. 3. & q. 21. a. 2.

(3) Ex quibus sequitur, ignorantiam, & errorem omnino invincibiles excusare à peccato; secus vero ignorantiam, & errorem vincibiles. Vide S. Thom. 1. 2. q. 76. a. 3. Idem dicendum de passione, si sit ita vehemens, ut omnino tollat rationis usum. Sin vero passio sit antecedens, peccati gravitatem minuit, prout est vehementior; passio vero consequens peccati gravitatem auget. Conf. S. Thom. loc. cit. q. 77. a. 6. seq. Similiter vis illata, si voluntas repugnet, & qui vim patitur, renitatur quantum potest opere externo, omnino excusat à peccato. Metus autem etiam gravis non omnino à peccato excusat in iis quæ sunt intrinsece mala, nisi forte sit adeo vehemens, ut hominem sui compotem non relinquat. Adeat. S. Thom. ibid. q. 6. a. 5. sq. Quare vehementer errat Puffendorfius, cum lib. 1. de jur. nat. & gent. c. 5. §. 9. docet, intentatum vitæ periculum, aut aliud gravissimum malum efficere, ut actio natura sua mala non imputetur: quod explicat exemplo satellitis, *qui jubeatur virum, quem insontem novit, interficere, nisi ipse malit interfici.* Quod si verum esset, evinceret, nec Christianum debere Fidem profiteri, imo posse illam negare, persecutore mortem comminante.

(4) 1. 2. q. 21. a. 1. sqq.

est conformata, vel non conformata ad regulas morum, sive ad humanam rationem, quæ est regula proxima humanorum actuum; objectum enim voluntatis est bonum intellectum voluntati proportionatum (1); & ad legem Dei æternam, quæ est regula suprema (2), à qua omnis lex, sive naturalis, sive positiva divina, vel humana derivatur, ut S. Thomas demonstrat (3). Actio autem dicitur recta moraliter, si est conformata ad regulas morum; si autem ad eas regulas non est conformata, dicitur mala, & peccatum: nam peccata nihil sunt aliud, quam aberrationes à regulis morum (4). Atqui bonitas, vel malitia actionis intelligitur præcedere *imputabilitatem*; non enim actio est bona, vel mala, quia imputatur; sed ideo imputatur, quia bona, vel mala est. Imputatur enim, quia est laudabilis, vel culpabilis: est autem ejusmodi, quia bona,

---

(1) *Regula voluntatis humanæ*, ait S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. *duplex est, una propinqua, homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.*

(2) S. Thom. loc. cit. q. 19. a. 3. (3) Ibid. q. 93. a. 3.

(4) Puffendorfius hæc negare non est ausus; imo l. 1. de jur. nat. & gent. c. 7. §. 3. » Actionem, *inquit*, bonam moraliter, seu in genere morum... dicimus, quæ cum lege congruit: malam, quæ ab eadem discrepat.“ Immemor vero eorum quæ scripserat, constituens *formale actionis moralis in imputativitate*, & secum pugnans, addit: » Scilicet *formalis ratio* bonitatis, & malitiæ actionum consistit in habitudine, seu relatione determinativa ad normam directivam, quam dicimus legem... Quatenus enim ex præscripto normæ proficiscitur, & juxta eam instituitur actio proæretica, ita ut ad eadem exacte congruat, bona dicitur. Quatenus contra præscriptum normæ suscipitur, aut ab ipsa discrepat, mala & uno vocabulo peccatum nuncupatur.“ Ita hi Philosophi, Scholasticorum contemptores, sibi apertissime contradicunt. Nam si actio est *formaliter* bona, quia congruit cum regula; & est *formaliter* mala, quia à regula discrepat: jam *imputativitas* supponit bonitatem, vel malitiam *formalem* actionis; ideoque *formale* actionis moralis in *imputativitate* non consistit. Sed parcendum Puffendorfio est; nescivit enim distinguere inter *imputabilitatem*, quæ sequitur *formalem rationem* actionum moralium, & *deliberationem* voluntatis, sine qua nulla actio est humana. Itaque *imputabilitatem* cum *deliberatione* confundit. At licet *deliberatio* constituat actiones humanas; non tamen est *ratio formalis* moralitatis consistentis in bonitate, vel malitia, propter quas sunt imputabiles. Quis enim furti damnabit illum, qui deliberate accipit rem alienam, quam putat esse suam?

vel mala. *Nihil enim est aliud laudari, vel culpari* (inquit (1) S. Thomas) *quam imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus.* Formale igitur actionis moralis in *imputabilitate* non consistit.

211 Ad primum dicimus, actionem esse laudabilem, vel culpabilem, quia bona, vel mala, ut dictum est (2). Ideoque ejus moralitas, sive bonitas, vel malitia intelligitur præcedere *imputabilitatem.*

212 Ad secundum respondemus, inde solum consequi, quamcumque actionem moralem esse præmio, vel pœna dignam, ideoque esse *imputabilem*; sed quod meritum, vel demeritum (3), sive *imputabilitas* sit *ratio formalis* moralitatis, minime sequitur; imo sequitur oppositum, uti constat ex dictis (4).

ARTICULUS VI.

Utrum moralitas formalis actionum humanarum desumatur ex objectis.

213 Videtur negandum, I. quia, ut dictum est (5), *formale* actionis moralis consistit in conformatione ad humanam rationem, & ad legem æternam, vel in discrepantia ab ipsis. Non ergo desumitur ex objectis.

214 II. Si moralitas formalis desumeretur ex objectis, nulla actio humana esset mala: objectum enim est res ipsa: in rebus autem non est malum, sed in usu peccantium, ut S. Augustinus dicit (6). Moralitas ergo actionum humanarum non est ex objecto.

---

(1) 1. 2. q. 21. a. 2. Eamdem quæstionem S. Thomas inscribit, *De iis quæ consequuntur actus humanos ratione bonitatis, vel malitiæ*, ut quisque intelligat, bonitatem, & malitiam in actibus humanis esse rationes, quæ præcedere intelliguntur *imputabilitatem.*

(2) §. præced.

(3) Rationem meriti, vel demeriti in actibus humanis egregie explicat S. Thomas loc. cit. a. 3. seq. & q. 114. a. 1. Si quæ ibi docet S. Doctor de merito, & demerito tam respectu societatis, quam apud Deum, conferantur cum iis quæ scribunt Puffendorfius l. 1. de jur. nat. & gent. c. 9. §. 5. & Heineccius l. 1. de jur. nat. & gent. §. 99. deprehendetur, quam sublimis, & verax Thomas sit; quam vero illi miseri, & fallaces. Nos ad alia properantes, hæc prætermittimus.

(4) §. 210. (5) §. Ibidem. (6) L. 3. de Doct. Christ. c. 12.

215 III. Moralitas multoties desumitur ex circumstantiis, & ex fine. Non ergo semper ex objectis.

Prop. *Actiones humanæ formalem moralitatem accipiunt ex objectis, non physice inspectis, sed moraliter.*

216 Probatio ratione S. Thomæ (1). Actiones humanæ inde accipiunt *formalem moralitatem*, unde habent speciem bonitatis, vel malitiæ. Ejusmodi autem speciem habent ex objectis; actiones enim ex objectis sortiuntur speciem. Ex objectis igitur humanæ actiones *formalem moralitatem* accipiunt; ex objectis, inquam, non consideratis *physice*; ita enim non pertinent ad lineam moralem; sed, ut inquiunt, in *esse moris*, quatenus nempe & ipsa objecta sunt relata ad regulas morum (2); ita enim vel cum iisdem regulis congruunt, & bona sunt; vel discrepant, & sunt mala (3). Et per hæc patet responsio ad primum, & secundum (4).

217 Ad tertium respondemus, circumstantias actuum humanorum (5), quandoque mutare speciem, adjicereque actui novam speciem bonitatis, vel malitiæ, ut si quis furetur in loco sacro; tunc enim duplex specie peccatum committit, alterum furti, alterum sacrilegii. Quandoque vero circumstantiæ non mutant speciem, ut si quis magnam, vel parvam pecuniæ summam furetur. Si mutant speciem, non sunt meræ circumstantiæ, sed transeunt in *conditionem objecti*, eo quod novam induunt speciem bonitatis, vel malitiæ, & diverso modo conformantur ad rectam rationem, & ad legem, vel ab eis discrepant. Si autem non mutant speciem, sunt meræ circumstantiæ, nec novam *moralitatem formalem* inducunt in actibus humanis, sed bonitatem, aut malitiam *accidentalem* (6).

---

(1) 1. 2. q. 18. a. 2.

(2) Vide S. Thom. loc. cit. a. 8.

(3) Hinc objecta dicuntur specie diversa moraliter, cum specialem habent conformationem, vel repugnantiam ad legem æternam, & rectam rationem. Sic peccata opposita diversis specie virtutibus sunt specie diversa. Sic etiam peccata opposita eidem virtuti, sed sub diversa ratione, ut furtum, contumelia, detractio, sunt etiam specie diversa.

(4) Vide S. Thom. loc. cit. a. 2. ad 1.

(5) Circumstantiæ humanorum actuum septem numerantur, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

(6) De circumstantiis universim videtur loqui S. Thomas 1. 2. q. 21.

218 Ad id quod additur de fine, dicimus, finem proximum actionis moralis esse vel *intrinsecum* sive *operis*, vel *extrinsecum* sive *operantis*. Atque *intrinsecus* quidem non differt ab objecto, isque dat speciem actui; finis vero *extrinsecus*, ut si quis furetur, ut det eleemosynam, est circumstantia operis, nec actui humano dat speciem, nisi transeat in conditionem objecti (1).

219 Egregie S. Thomas (2) rem totam conficit. „Sic igi„tur, *inquit*, in actione humana bonitas quadruplex considerari „potest. Una quidem secundum genus, prout scilicet est actio, „quia quantum habet de actione, & entitate, tantum habet „de bonitate.“ (Hæc est bonitas actionis physica, & convenit cuicumque actioni humanæ, sive bona, sive mala moraliter sit.) „Alia vero secundum speciem, quæ accipitur se„cundum objectum conveniens.“ (De hac bonitate loquuti fuimus inquirentes de *formali moralitate* actuum humanorum.) „Tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia „quædam.“ (Nimirum si circumstantiæ sint meræ circumstantiæ, nec transeant in conditionem objecti.) „Quarta autem „secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis „causam.“ Videlicet secundum finem non quidem *operis*, sed *operantis*.

220 Quoniam vero actio, cui deest aliqua bonitas, non est absolute bona; ideo subdit Angelicus (3): „Nihil prohibet, „actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam: „& secundum hoc contingit, actionem quæ est bona secun„dum speciem suam, vel secundum circumstantias, ordinari ad „finem malum, vel è converso. Non tamen est actio bona „simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant; quia quilibet „singularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex „integra causa.“

ARTICULUS VII.

Utrum dentur actiones morales indifferentes.

221 Actiones morales considerari possunt vel in specie,

---

a. 3. dum statuit, actionem hominis posse esse bonam, vel malam ex circumstantiis.

(1) Vide S. Thom. in 2. d. 36. a. 5. ad 5. & q. 2. de malo a. 4. ad 9.

(2) 1. 2. q. 18. a. 4. (3) Ibid. ad 3.

vel in individuo. In specie quidem, si inspiciantur ut relata ad objecta, à quibus speciem accipiunt. In individuo autem, si accipiantur cum omnibus circumstantiis, quæ sunt quædam accidentia actuum humanorum (1). De utrisque inquirimus.

222 Videntur autem nulli esse actus morales indifferentes in specie (2). Si enim darentur, daretur medium inter bonum, & malum: quod esse non potest: nam bonum, & malum privative opponuntur; malum enim nihil est aliud quam privatio boni; inter ea vero quæ privative opponuntur, non datur medium.

223 II. Objectum actionis moralis vel est consonum rectæ rationi, vel est dissonum. Si consonum, actio est moraliter bona; si dissonum, actio est moraliter mala. Nulla igitur actio in specie est indifferens.

224 III. Videntur esse aliqui actus morales indifferentes in individuo (3): nam multæ sunt actiones, quæ nulla lege præcipiuntur, vel prohibentur, ut ire ad agros, ducere lineas in papyro, fricare barbam, &c. Sed actiones ejusmodi neque bonæ, neque malæ dici possunt. Sunt igitur indifferentes.

225 IV. Si nulla daretur actio indifferens in individuo, singulæ deberent referri in debitum finem, maxime vero in Deum finem ultimum. Si autem id adseratur, sequetur, omnia opera ejus, qui Deum negat, vel in Deum non refert opera sua, esse peccata: quod Ecclesia proscripsit. Admittendæ sunt igitur actiones morales indifferentes in individuo (4).

---

(1) Vide S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9.

(2) Hanc indifferentiam negavit Joannes Hus docens art. 16, damnato in Concilio Constantiensi sess. 15. „Divisio immediata humano„rum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si ho„mo est vitiosus, & agit quicquam, tunc agit vitiose; & si est vir„tuosus, & agit quicquam, tunc agit virtuose.“ Qua in re iis præivit, qui docent omnia opera infidelium, & peccatorum esse peccata.

(3) In hac sententia fuit Scotus in 2. d. 7. q. 1. & quodlib. 18. a. 1.

(4) Alias objectiones, earumque solutiones quære apud S. Thom. loc. cit. a. 8. sq. & q. 2. de malo a. 5.

Prop. I. *Dantur actus morales indifferentes secundum speciem.*
II. *Nullus vero datur actus moralis indifferens in individuo.*

226 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Actus humani desumunt speciem ex objectis relatis ad rationem, quæ est principium humanorum actuum, ut dictum est (2). Sunt autem quædam objecta, quæ seipsis sunt consona ordini rationis, ut Deum colere, operire nudos, largiri eleemosynam indigenti. Alia vero objecta seipsis dissona sunt, repugnantque ordini rationis, ut furari, mentiri, fornicari. Alia autem objecta sunt, quæ seipsis neque præseferunt quidpiam rationi conveniens, neque quidpiam à ratione discrepans, sicut deambulare, levare festucam de terra, lavare manus. Quemadmodum ergo humani actus respicientes objecta seipsis consona ordini rationis, sunt boni secundum speciem; & actus respicientes objecta seipsis dissona ab ordine rationis, sunt mali secundum speciem; ita actus qui seipsis nihil respiciunt rationi consonum, vel dissonum, sunt indifferentes secundum speciem (3). Dantur ergo actus humani indifferentes secundum speciem (4).

---

(1) §. 216.

(2) Notanda est hìc præclara S. Thomæ doctrina Quodl. 9. a. 15. ubi ait: » Actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam » enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter adnexam, ut » fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo bene » fieri possunt ... Quædam vero actiones, quæ de se indifferentes » sunt ad bonum, vel malum, ut levare festucam de terra ... Sunt ve» ro quædam actiones, quæ absolute consideratæ deformitatem, vel » inordinationem quamdam important; quæ tamen aliquibus circum» stantiis advenientibus bonæ efficiuntur: sicut occidere hominem, » vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; sed si ad» datur occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delin» quentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum."

(3) Videri potest Aristoteles l. 5. Metaph. c. 22. & Empiricus lib. 10. adv. Mathemat. & lib. 3. Pyrrhon. hypot. c. 20. & Stobæus in Eclogis Ethic. c. 4.

(4) Positioni nostræ quoad utramque partem subscribens P. Jacquier Phil. Mor. p. 1. c. 2. hanc statuit differentiam inter actiones bonas, aut malas, & actiones per se indifferentes, *quod actiones per se bonæ, aut malæ, tales demonstrentur ex ipsa actionis notione, seu ex determinationibus essentialibus*; (Explicare debuerat, quænam sint

227 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Actus humanus in individuo non solum bonitatem, vel malitiam habet ex objecto, sed etiam ex circumstantiis, ac præsertim ex fine. Non enim potest contingere, ut actus singularis, si est deliberatus, sine circumstantiis fiat, neque ad ullum finem ordinetur; unusquisque enim agit propter finem, & debet agere quando oportet, ubi oportet, & sicut oportet. Si ergo adsint debitæ circumstantiæ, & actus ad debitum finem ordinetur (2); convenit cum ordine rationis, ad quem pertinet, ut quisque operetur cum debitis circumstantiis, & cum intentione debiti finis; ideoque actus erit bonus. Si vero non adsint debitæ circumstantiæ, nec debitus finis; hoc ipso actus deficit ab ordine rationis, estque proinde inordinatus, & malus. Idcirco Matth. 12. v. 36. ait Christus: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum* (scilicet ex defectu debiti finis), *quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Fieri ergo non potest, ut detur actus moralis indifferens in individuo (3).

---

hæ determinationes essentiales: nam verba obscura sunt) »actiones »autem indifferentes bonæ, vel malæ demonstrentur ex determina»tionibus accidentalibus, quæ simul cum essentialibus actionem ipsam »constituunt.« Itaque fatetur ille, actiones per se bonas, aut malas tales demonstrari ex determinationibus essentialibus, sive ex ipsa actionis natura. Cur ergo ibid. docet, *omnem obligationem à divina voluntate emanare*? Qua in re videtur Puffendorfio consentire, qui omnem negat intrinsecam actionum moralitatem; licet ab ipso dissentiat sæpe, cum agit de lege naturali. Nam si omnis obligatio à divina voluntate emanat; in signo antecedente divinam voluntatem, nulla est actio bona, aut mala obligans ex determinationibus essentialibus; hæ siquidem antevertunt liberam Dei voluntatem, ut in Metaphysica demonstravimus §. 45. sq.

(1) 1. 2. q. 18. a. 9. & q. 2. de malo a. 5.

(2) Idem P. Jacquier ibid. docet, finem quem in singulis actibus intendere debemus, esse nostram statusque nostri perfectionem. Hæc ad Wolfianum systema videntur accedere. Finis proximus ad quem actiones nostræ debent referri, satis non est, ut sit bonum utile, aut delectabile, sed debet esse bonum honestum, id est bonum virtutis. »Omnis finis, inquit S. Thomas. 1. 2. q. 18. a. 9. ad 3. à ratione de»liberativa intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad ma»lum alicujus vitii. Nam hoc ipsum quod aliquis agit ordinate ad sus»tentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordina»tur in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.«

(3) In hanc rem S. Augustinus l. de utilit. cred. c. 12. »Omne »factum, *ait*, si recte factum non est, peccatum est; nec recte factum

228 Ad primum negamus cum S. Thoma (1), actum bonum, & actum malum secundum speciem nihil habere medium. Negamus quoque cum eodem Angelico (2), bonum, & malum in moralibus opponi secundum privationem, & habitum; opponuntur enim contrarie. Et licet malum dicatur esse privatio boni; non est tamen ex eo genere privationum, quæ totum oppositum auferunt, ut est cæcitas, & mors: & dicuntur à S. Thoma (3) consistere in *privatum esse*, & nihil relinquunt medium; sed est ex eo privationum genere, quæ dicuntur consistere in *privari*, ut est ægritudo, quæ non omnino privat hominem sanitate, sed est via ad omnimodam privationem. Sic autem malum morale dicitur privatio boni; non enim totum bonum aufert, sed aliquid relinquit. Itaque inter actus bonos, & malos secundum speciem possunt esse actus secundum speciem indifferentes. Subdit vero S. Thomas (4): „Bonum autem, & malum „ex circumstantia sunt immediata, quia distinguuntur secundum „oppositionem affirmationis, & negationis, scilicet per hoc „quod est secundum quod oportet, & non secundum quod „oportet secundum omnes circumstantias: hoc autem bonum, „& malum est proprium actus singularis.“ Et propterea inter actus diversos specie dari possunt actus indifferentes, secus vero inter actus diversos in individuo.

229 Ad secundum respondemus, objectum actionis indifferentis, ipsamque actionem neque esse conformia rectæ rationi, neque dissona, sed de illis nihil rectam rationem dictare secundum speciem, licet in individuo dictet, ut actus fiant cum debitis circumstantiis, & cum ordinatione ad debitum finem.

230 Ad tertium negamus, ullam esse actionem in individuo, de qua recta ratio, ideoque lex naturæ, non præcipiat, ut fiat quando, ubi, & sicut oportet, ac propter debitum finem.

231 Ad quartum respondemus, præceptum (5) referendi opera in Deum tunc solum obligare, cum urget præceptum eliciendi actum charitatis: nam per hunc actum homo totum

---

„ullum esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur.“ Vide eumdem S. August. l. 2. de pecc. meritis c. 18. & l. 4. cont. Julian. c. 3. & S. Hieronymum Dial. 1. cont. Pelagian.

(1) 1. 2. q. 18. a. 8. ad 1. (2) Q. 2. de malo a. 5. ad 3.

(3) 1. 2. q. 18. a. 8. ad 1. (4) Q. 2. de malo a. 5. in cor.

(5) *Præceptum* dicimus; non enim assentimur iis qui ajunt, id esse *consilii*: nam ordinatio operum in Deum est ex præcepto charitatis. Vide S. Thom. in c. 3. Epist. ad Colos. lect. 2.

seipsum ordinat in Deum ultimum finem (1). Præceptum autem eliciendi actum charitatis, cum sit affirmativum, obligat quidem *semper*, sed non *ad semper*; ideoque si quis, cum non urget præceptum eliciendi actum charitatis, efficiat opus moraliter bonum, nulla mala circumstantia vitiatum, non peccat, etiamsi illud opus non referat in Deum (2). Tunc enim actio ipsa ex fine proximo honesta, & consona rationi naturali, suapte natura ordinatur in Deum finem ultimum cujuscumque honestatis, ipsiusque rectæ rationis (3).

---

(1) S. Thomas in 2. d. 41. a. 2. ad 2. » Si quæratur, *ait*, quando » oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam » quærere, quando oporteat, habitum charitatis exire in actum; quia » quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius » hominis in finem ultimum, & per consequens omnium eorum, quæ » in ipsum ordinantur."

(2) Idem ibid. ad. 4. » Non obligamur ad hoc quod quilibet ac» tus actu referatur in finem illum, in quem non potest nisi Fides » dirigere; quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, quam» vis semper obligent; & ideo non oportet, ut actus infidelium, qui » in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum, sed solum » pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum » referre."

(3) Idem ibid. ad 2. » Fides dirigit intentionem in finem ulti» mum, sed ratio naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem » finem proximum. Et quia ille finis proximus est ordinabilis in finem » ultimum, etsi actu non ordinetur; ideo in infidelibus, quorum » actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt aliqui » actus esse boni." Consonat S. Augustinus in Psal. 34. Conc. 2. » Sug» gero remedium, *inquit*, unde tota die laudes Deum, si vis. Quid» quid egeris, bene age, & laudasti Deum... Quoties tu cessasti ab » hymno cantando, discedis, ut reficiaris: noli inebriari, & lau» dasti Deum. Discedis, ut dormias: noli surgere ad malefaciendum, & » laudasti Deum. Negotia agis: noli fraudem facere, & laudasti Deum... » In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota » die." Vide S. Thom. lect. 7. in c. 10. Epist. 1. ad Cor.

QUÆSTIO IV.

De Lege (1) *naturali.*

232 Moribus hominum certam rationem, moderationemque leges adhibent; lex enim est *regula, & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*, ut S. Thomas observat (2). Actus autem humani diriguntur præsertim per legem naturæ: nam, ut dictum est (3), humana ratio est regula propinqua voluntatis humanæ: rationis autem regula est ipsa lex naturæ; leges vero humanæ ideo sunt regulæ actuum humanorum, quia congruunt cum recta ratione. Itaque ad mores hominum componendos potissima est consideratio legis naturæ. De hac igitur quæremus 1. existentiam, 2. ejus cognoscendæ principia, 3. immutabilitatem, 4. evidentiam, & certitudinem.

---

(1) Legem cum jure confundunt recentiores Philosophi plerique omnes, qui de naturæ & gentium jure scripserunt. Verum S. Thomas ostendit 2. 2. q. 57. a. 1. jus proprie acceptum esse objectum justitiæ, & significare ipsam rem justam, seu id quod alteri debetur tamquam proprium ejus. Quare, ut observat Sotus l. 3. de just. & jure q. 1. *Græce* Δίκαιον *idem promiscue significat, quod justum, & jus.* Hinc δικαιοφύλαξ, *justitiæ custos*; δικαιοδότης, *juris dator*; δικαιοκριτης, *justus judex* dicitur. Fatemur tamen cum eodem Angelico loc. cit. ad 2. legem improprie dici posse jus: *lex*, inquit, *non est ipsum jus proprie loquendo, sed aliqualis ratio juris.* Est enim regula intellectus practici, atque adeo ratio justi, sive factiva, & constitutiva justi. Grotius autem l. 1. de jur. bel. & pac. §. 3. sqq. putat, jus quandoque accipi pro *lege*; quandoque pro *facultate aliquid faciendi, vel habendi*; quandoque pro *justo*, seu objecto justitiæ; quandoque pro *scientia legum*, quæ *jurisprudentia* dicitur. Sed hæ acceptiones, præter tertiam, & secundam quæ ad tertiam reducitur, minus propriæ sunt. Vide S. Thomam loc. cit. ad 1. Concedit tamen Grotius ib. §. 9. jus significare legem, *quoties vox legis largissime sumitur.*

(2) 1. 2. q. 71. a. 6. (3) §. 210.

ARTICULUS I.

Utrum lex naturalis existat.

233 Lex generatim accepta definitur à S. Thoma (1): *Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata* (2). Dicitur *ordinatio rationis*, quia ratio est regula, & mensura humanorum actuum: rationis autem est ordinare (3). Dicitur *ad bonum commune*, quia lex indicitur toti communitati, ejusque bonum præcipue respicit; atque ideo differt à præcepto, quod est de particulari opere, nec habet rationem legis, nisi quatenus ad bonum commune refertur (4). Dicitur *ab eo qui curam communitatis habet*, quippe ordinare ad bonum commune non nisi ad eum pertinet, qui totius multitudinis curam gerit (5). Dicitur *promulgata*, quia nisi regula innotescat, adhiberi minime potest (6). Accuratissima est hæc legis definitio, ut cuique expendenti perspicuum est. Quare non nisi odio in Scholasticos, id est, Catholicos percitus, scribere ineptissime Thomasius (7) potuit: *mire, & inepte* (in lege generatim definienda) *sudant Scholastici* (8).

---

(1) 1. 2. q. 90. a. 4.

(2) Lex, si etymon spectes, dicitur à ligando, ut advertit S. Thomas loc. cit. a. 1. quia *obligat ad agendum*. Ex ipsa autem ordinatione rationis ad bonum commune posita ab habente curam communitatis extat obligatio; quisque enim superiori tenetur obedire, præsertim cum ordinat in bonum commune, quod quisque debet præferre bono privato, cum omnis pars sit propter totum. Quare qui traditam definitionem carpunt ob reticitam obligationem, illius vim non attigerunt. S. Augustinus q. 20. in Levit. etymon legis à legendo, id est eligendo derivat.

(3) Loc. cit. a. 1.

(4) Ibid. a. 2. (5) Ibid. a. 3.

(6) Ibid. a. 4.

(7) L. 1. Jurisprud. Div. c. 1. §. 28.

(8) Multo verius de suis Protestantibus, ac de seipso ita scripsisset Thomasius. Ipse enim definit legem: » Lex est jussus imperantis obli» gans subjectos, ut secundum istum jussum actiones suas instituant.“ Hæc autem definitio 1. confundit causam cum effectu: etenim jubere est effectus legis. 2. nec omnes effectus explicat: nam lex non solum habet imperare actus bonos, sed & prohibere malos, & per-

234 Dividitur Lex in legem æternam, naturalem, Divi-

---

mittere actus ex genere suo indifferentes (Vide S. Thom. 1. 2. q. 92. a. 2.); jussio autem non exprimit nisi unum tantum legis effectum. 3. non secernit legem à præcepto: nam & præceptum est *jussus* imperantis. 4. non distinguit legem justam ab iniqua: nam homo imperans potest jubere aliquid impium. 5. de promulgatione silet, quæ necessaria omnino est, ut lex obliget. Puffendorfius autem à Thomasio non distat: nam l. 1. de jur. nat. & gent. cap. 6. §. 4. ait: „In „genere lex commodissime videtur definiri per decretum, quo su„perior sibi subjectum obligat, ut ad illius præscriptum actiones „suas componat." Hanc Puffendorfii definitionem reprehendit vel ipse Hubnerus *Essai sur l' histoire du droit nat. p.* 2. §. 7. eo quod neque promulgationis, neque legitimæ potestatis meminit; quasi lex possit obligare ex solo interno superioris decreto; aut tyranni usurpatoris jussio sit vera lex. Reprehendit etiam Barbeyracis definitionem Puffendorfii in not. ad cit. loc. Et sane Puffendorfiana definitio iisdem ac Thomasiana defectibus laborat. Ipse autem Barbeyracis nihilo meliorem definitionem tradit, cum ait ibid. „Lex est decretum „superioris quocumque modo sufficienter manifestatum, quo is sub„jectorum aut omnes in universum, aut saltem alicujus generis actio„nes dirigit; ita ut ratione illarum aut necessitatem certo modo „agendi, vel non agendi imponat; aut libertatem pro lubitu agen„di, vel non agendi relinquat." Hæc enim definitio eodem laborat vitio, quo Puffendorfiana: nam decretum superioris humani potest esse iniquum. Similiter peccat Heineccii definitio, quæ habetur in ejus Prælect. Acad. in Grotium de jur. bel. & pac. l. 1. c. 1. §. 9. ubi ait, „legem esse regulam actuum moralium à superiore præscriptam sub„ditis, & obligantem ad id, ut actiones secundum hanc legem insti„tuant." Hac eadem labe cumulata est definitio Wolfii p. 1. Phil. pract. univ. §. 131. „Lex est regula à superiore præscripta, juxta quam „subditi actiones suas determinare obligantur." Item Burlamaquii l. de princ. jur. nat. c. 8. §. 3. „Lex est regula à superiore communi„tatis præscripta subditis, sive ut eos obliget ad aliquid agendum „timore pœnæ: sive ut eis libertatem agendi, vel non agendi pro „lubitu relinquat." Ita hi qui dicuntur jurisprudentiæ primipili, erraverunt à janua, tradere nescientes vel ipsam legis definitionem. Pudere eos debuerat, Chalcidium in Timæum rectius legem definiisse: *Quid est lex, nisi jussum sciscens honesta, prohibens contraria?* Quod autem nuperus scriptor Guarinus diss. 2. jur. nat. & gent. §. 4. reprehendit in definitione S. Thomæ, ea scilicet confundi legem cum quolibet præcepto dato communitati ad determinatum tempus; demonstrat ipsum non intellexisse vim verborum definitionis: nam quod est ordinatum ad bonum commune, natura sua non est ad determinatum tempus. Si ergo præceptum detur ad determinatum

nam positivam (1), & humanam: hæc autem alia est Ecclesiastica, alia Civilis. De lege Divina positiva, quia non nisi per revelationem constare potest (libera enim Dei voluntas in præcipiendo, vel prohibendo quidpiam, non nisi Deo revelante innotescit), agere pertinet ad Theologos, qui de lege tam Veteris, quam Novi Fœderis fuse scripserunt (2). De legibus humanis infra. Nunc autem de lege naturali agentibus pauca sunt nobis dicenda de lege æterna.

235 Lex igitur æterna, ut eam S. Thomas definit (3), est *ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe universitatis existens*; totum enim Universum gubernatur ratione divina, & propterea Deus omnibus providet; non quod lex æterna nominet ipsam Dei providentiam, sed quia providentia consequitur legem æternam, uti S. Thomas animadvertit (4); eaque æterna in seipsa est, quamvis effectus ejus sit in tempore, qui tamen ab æterno fuit à Deo præcognitus, & præordinatus (5). Hanc legem S. Augustinus (6) appellat *summam rationem, & æternam, & incommutabilem legem.* Et rursus (7): *Lex*, inquit, *æterna est ratio divina, vel voluntas Dei or-*

---

tempus, non est lex. Et si detur ad bonum commune, hoc ipso non datur natura sua ad determinatum tempus; licet postea mutatis circumstantiis, possit non amplius conducere ad bonum commune; quo in casu cessabit esse lex. Vide S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 1.

(1) Grotius l. 1. de jur. bel. & pac. c. 1. §. 9. dividit jus, seu legem universim, in *naturale*, & *voluntarium.* Sed hæc divisio satis accurata non est: nam licet jus naturale non sit à libera Dei voluntate, quasi liberum fuerit Deo præcipere, vel non præcipere, prohibere, vel non prohibere quod est natura sua bonum, vel malum; est tamen voluntarium, cum nihil non voluntarium sit in Deo.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 98. sqq.

(3) Ibid. q. 91. a. 1. & q. 93. a. 1.

(4) Q. 5. de ver. a. 1. ad 6. » Providentia, *inquit*, in Deo pro» prie non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam » consequens; lex enim æterna est consideranda in Deo, sicut acci» piuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus » procedimus in consiliando, & eligendo, quod est prudentiæ, sive » providentiæ: unde hoc modo se habet lex intellectus nostri ad pru» dentiam, sicut principium in demonstratione. Et similiter etiam in » Deo lex æterna non est providentia, sed providentiæ quasi prin» cipium.«

(5) 1. 2. q. 91. a. 1. ad 1. (6) Lib. 1. de lib. arb. cap. 6.

(7) L. 22. cont. Faustum c. 27.

dinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. De hac Cicero (1): » Lex ratio est summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria" Et rursus (2) eam vocat *æternum quiddam, quod universum mundum regit, imperandi, prohibendique sapientiam.* Nihilominus Thomasius non dubitavit scribere (3), *legem æternam esse figmentum Scholasticorum* (4).

---

(1) L. 1. de Leg.

(2) L. 2. de Leg. (3) Jurisprud. Div. l. 1. c. 1. §. 31.

(4) Expendamus censoris animadversionem. Et ipse fatetur, se *non respicere rem hoc termino* (legis æternæ) *denotatam*: fortasse ne in crimen vocaretur negatæ Divinitatis; in cujus criminis suspicionem fuisse vocatum ipsemet dolet in Præfat. l. 1. cautel. Nam si negetur ratio divinæ gubernationis, quid erit reliquum præter casum, & fatalem materiæ necessitatem, quam Spinoza Tract. theol. polit. c. 4. vocat legem naturæ? Itaque Thomasius reprobat tantum denominationem *legis æternæ*, qua Scholastici usi sunt; & *maximam ἀχυρολογίαν in voce legis esse* pronunciat. Olim S. Hieronymus Apol. 2. adv. Ruffinum, ajebat: »Istiusmodi nugis, & acyrologiis omnis ejus scatet oratio." Cur non idem de Thomasii oratione, quæ undique nugis, & acyrologiis scatet? Nam quid ineptius, quam Scholasticis attribuere *vocem*, quæ tam multo ante & à S. Augustino, & à Tullio usurpata fuerat? Quod si maxima est *acyrologia*, sive *impropria loquutio* in voce *legis* attributa rei, quam Scholastici vocant legem æternam; explicet Thomasius rem illam voce propria. Sed potis non est, imo omnia mire perturbat. Ait enim, per legem æternam Scholasticos intelligere *totum naturæ ordinem divina voluntate, & decreto institutum.* Diceres, hominem hunc ne procul quidem quempiam Scholasticorum librum vidisse: nam si vidisset, animadvertisset utique, abs se confundi causam cum effectu, id est *ordinem* qui est effectus divinæ *rationis ordinantis*, cum ipsa ratione quæ est ordinis causa. Scholastici autem non ipsum *ordinem institutum*, sed *rationem divinam ordinantem* res in suos fines, vocant legem æternam. Hæc autem *ratio* quanam aptius voce significari poterat, quam *legis*? Nonne lex est quædam *rationis ordinatio*? Id ne ipse quidem Thomasius potest negare: nam legem definit, *jussus imperantis*: jubere autem, & imperare, sive ordinare pertinet ad rationem. Cur ergo summæ, æternæque Mentis ordinatio, sive jussio, & imperatio dici lex æterna *propriissime* nequit? Sed Thomasius subdit: hæc vocis usurpatio *habet aliquid analogum cum doctrina Gentilium de materia Deo coæterna, aut de fato.* Quænam (malum) hæc tua nugatoria accusatio, Thomasi! Negasne divinæ Mentis ordinationem, qua Deus creaturas, præsertim rationales, dirigit in fines? Si negas, doctrina

236 Ad legem naturalem propius accedentes, decernendum principio est, quid per eam intelligamus. Lex igitur naturalis, ut S. Thomas advertit (1), *nihil aliud est, quam participatio legis æternæ in rationali creatura* (2). Lege enim æterna non æquo modo diriguntur, & gubernantur à Deo creaturæ; sed quæ sunt rationis expertes, diriguntur tantum in proprios actus, & fines, quin seipsas dirigant; creaturæ vero rationales, quæ sibi, & aliis providenť, regulantur, & gubernantur à Deo per lumen rationis, quod nihil est aliud, quam impressio divini luminis in nobis: per hoc autem lumen discernimus, quid sit bonum, quid malum; quod pertinet ad naturalem legem (3).

---

tua non modo analoga, sed ipsissima est incredulorum doctrina; ita enim omnia casu evenirent, & ex materiæ necessitate, nec Deus rebus provideret. Si non negas, quid habet commune usurpatio Scholasticorum cum doctrina Gentilium? An oportebit, materiam esse Deo coæternam, ut Deus possit creaturas in ordinem redigere? an hæc ordinatio, quæ est à Deo primo libero, fatalem necessitatem inducet? Sed de nugis Thomasii plus quam satis.

(1) 1. 2. q. 91. a 2.

(2) Cicero l. 2. de Leg. loquens de lege naturali ex sapientissimorum sententia, ait: » Principem legem illam, & ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei.' 'Quæ non ita sunt intelligenda, ut Genuensis putat, cum Metaph. tom 4. c. 4. §. 3. inter proprietates essentiales legis primam enumerat, *ut sit ratio summa.* Nam licet omnes leges derivent à lege æterna, quæ est summa Dei ratio; non sunt tamen ipsa *ratio summa*, sed ejus participationes; sicut lumen intellectus non est ipsum lumen increatum, sed participatio luminis increati. Nec propterea lex naturalis debet esse *summa ratio*, ne indigeat alia regula; imo hoc ipso quod non est *summa ratio*, sed ejus participatio, est conformis summæ rationi, nec indiget alia regula nisi ipsa summa ratione, cujus est participatio.

(3) Ex hisce cognoscitis injustam Heineccii calumniam in S. Thomam, dum in Elem. Hist. Phil. p. 1. c. 4. §. 101. ei attribuit sententiam *peccati philosophici*, nempe actus humani dissoni à recta ratione, qui tamen non sit moralis transgressio divinæ legis, quæ transgressio dicitur *peccatum Theologicum.* Nam hoc ipso quod lex naturalis est participatio legis æternæ, actio humana nequit esse contra rectam rationem, quin simul sit contra legem æternam. Atque ideo idem S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. tradens definitionem peccati, quod sit *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*, docet, *dictum, vel factum, vel concupitum esse quasi materiale in pec-*

237 Porro quemadmodum ratio nostra, quæ *speculativa* dicitur, per divinum lumen menti participatum cognoscit principia theoretica per se nota, v. g. *quodlibet est, vel non est*; atque ex eis ad demonstrandum, aliasque propositiones concludendas procedit, ut in Logica diximus (1): ita ratio nostra, quæ *practica* nuncupatur propterea quod versatur circa operabilia, per lumen (2), quo fit particeps legis æternæ, tamquam regulata, & mensurata per ipsam, cognoscit principia practica honestatis per se nota, v. g. *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; atque ex eis procedit ad judicandum, & concludendum, quid in cæteris sit bonum, & faciendum; quid malum, & vitandum. Itaque principia universalia practica per se nota lumine rationis, quo sumus participes legis æternæ, & propositiones universales ex eis deductæ eodem rationis lumine, habent rationem legis naturalis (3), ut egregie S. Thomas observat (4).

---

cato; quod vero dicitur, *contra legem æternam, pertinere ad rationem mali, & esse quasi formale in peccato.* Fieri ergo nullo modo potest, ut actio deliberata sit contra rectam rationem, & non sit simul transgressio divinæ legis; quia *hoc ipso quod est inordinata, juri naturali repugnat*, ut S. Thomas ib. ait ad 4. Si autem repugnat juri naturali, repugnat legi æternæ, cujus lex naturæ est participatio. Vide quæ diximus Tom. 1. §. 47. not. *Heineccius* sq. in not. (1) §. 869.

(2) S. Thomas in Psal. 35. explicans verba illa v. 10. *in lumine tuo videbimus lumen*: „In lumine, inquit, tuo, quo scilicet tu luces, „quod est similitudo substantiæ tuæ. Istud lumen non participant „animalia bruta, sed rationalis creatura primo participat illud in cogni„tione naturali. Nihil enim est aliud ratio naturalis hominis, nisi re„fulgentia divinæ claritatis in anima, propter quam claritatem est ad imaginem Dei.“ Vide Lactantium l. de ira Dei c. 1.

(3) Montesquius ergo errat, cum l. 1. *de l' esprit des loix* c. 2. ait: „Avant toutes ces loix sont celles de la Nature, ainsi nommées parce „qu'elles dérivent uniquement de la constitution de notre etre.“ *Ante omnes istas leges sunt leges naturæ sic dictæ, quia unice derivant à constitutione entitatis nostræ.* Errat, inquam; etenim leges naturæ manant à lege Dei æterna, cujus sunt participationes; tantum abest, ut *unice* manent à nostra constitutione. Errat quoque Hobbesius, cum de Cive c. 3. §. 33. statuit, „naturæ leges nihil aliud esse, quam con„clusiones quasdam ratione intellectas, de agendis, & omittendis.“ Non enim lege naturæ comprehenduntur solum conclusiones ratione intellectæ, sed etiam principia; imo ipsa principia sunt leges naturæ, quatenus à lege æterna manant, per quam Deus hominibus imperat.

(4) 1. 2. q. 91. a. 2.

238 Sic autem lex naturalis differt à synderesi (1), & à conscientia: nam synderesis, ut Angelicus advertit (2), est specialis habitus naturalis principiorum practicorum, quemadmodum intelligentia dicitur habitus principiorum theoreticorum, ut in Logica diximus (3). Conscientia vero est applicatio scientiæ ad ea quæ facimus, aut fecimus, aut facere, vel non facere debemus, ut idem S. Thomas ostendit (4). Itaque lex naturalis hoc differt à synteresi, quod principia practica universalia, sive immediata, sive mediata, sunt ipsa lex naturalis; synderesis autem est habitus ejusmodi principiorum; differt vero à conscientia, quod hæc est applicatio eorumdem principiorum universalium ad id quod fit, vel factum, aut faciendum est (5).

---

(1) Græca vox est à συντηρέω, *conservo*; siquidem synteresi conservari videntur prima principia honestatis. Ideo, ut S. Thomas advertit 1. p. q. 79. a. 12. » Synderesis dicitur instigare ad bonum, & » murmurare de malo, inquantum per prima principia procedimus ad » invenienda, & judicamus inventa.«

(2) Loc. cit. (3) §. 184. (4) Loc. cit. a. 13.

(5) Plures conscientiæ status enumerantur, videlicet, *recta*, *prava*, *certa*, *probabilis*, *dubia*, *scrupulosa*, & *erronea*; quas tamen explicare Theologis moralibus relinquimus. Hic tantum animadvertimus, vehementer errasse Puffendorfium, dum l. 1. de jur. nat. & gent. c. 3. §. 4. scripsit, conscientiam esse normam actionum humanarum, quatenus est cognitione legum imbuta; norma enim debet esse recta, alioqui non est norma: conscientia autem multoties est erronea, etiam cum putatur cognitione legum imbuta; imo ideo est erronea, quia putat quis aliquid esse vel præceptum, vel prohibitum à lege, quod revera præceptum, aut prohibitum non est; vel quia putat esse præceptum quod est prohibitum, aut econtra. Audiendus est ergo S. Thomas, qui more suo hanc rem totam præclare explicat in 2. d. 24. q. 2. a. 4. » Ratio, *inquit*, in eligendis, & fugiendis, quibusdam syllogismis » utitur. In syllogismo autem est triplex consideratio, secundum tres » propositiones, ex quarum duabus tertia concluditur: ita etiam con» tingit in proposito, dum ratio in operandis ex universalibus prin» cipiis circa particularia judicium assumit. Et quia universalia prin» cipia juris ad synderesim pertinent: rationes autem magis appro» priate ad opus, pertinent ad habitus, quibus ratio superior, & in» ferior distinguuntur: synderesis in hoc syllogismo quasi majorem » ministrat, cujus consideratio est actus synderesis. Sed minorem mi» nistrat ratio superior, vel inferior, & ejus consideratio est ipsius » actus. Sed consideratio conclusionis elicitæ est consideratio con» scientiæ. V. g. synderesis hanc proponit: Omne malum est vitandum. » Ratio superior hanc assumit: adulterium est malum, quia lege Dei

239 Ex dictis autem palam est, quam merito S. Thomas scripsit in 4. d. 33. q. 1. a. 1. „Lex naturalis nihil est aliud, „quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad „convenienter agendum in actionibus propriis, sive competant „ei ex natura generis, ut generare, comedere, & hujusmodi; „sive ex natura speciei, ut ratiocinari, & similia. Omne autem „illud quod actionem inconvenientem reddit fini, quam na„tura ex opere aliquo intendit, contra legem naturæ esse „dicitur.“

240 Hisce animadversis: qui existentiam legis naturalis inficiantur (1), objiciunt I. Ut mores hominum ad normam di-

„prohibitum; sive ratio inferior asssumeret illam, quia ei est ma„lum, quia injustum, sive inhonestum. Conclusio autem quæ est, „adulterium hoc esse vitandum, ad conscientiam pertinet, & indif„ferenter, sive sit de præsenti, vel de præterito, vel de futuro, quia „conscientia & factis remurmurat, & faciendis contradicit: & inde „dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientia universa„lis ad actum particularem applicatur; vel etiam quia per eam ali„quis sibi conscius est eorum quæ fecit, vel facere intendit: & propter „hoc etiam dicitur sententia, vel dictamen rationis: & propter hoc „etiam contingit, conscientiam errare, non propter synderesis erro„rem, sed propter errorem rationis; sicut patet in hæretico, cui dictat „conscientia, quod prius permittat se comburi, quam juret, quia ra„tio superior perversa est in hoc, quod credit, juramentum simpli„citer esse prohibitum. Et secundum hunc modum patet, qualiter „differant synderesis, lex naturalis, & conscientia; quia lex natura„lis nominat ipsa principia universalia juris; synderesis vero no„minat habitum eorum, seu potentiam cum habitu; conscientia ve„ro nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquid facien„dum, per modum conclusionis cujusdam.“ Cum hac S. Thomæ doctrina conferantur ea, quæ Puffendorfius docet c. cit. & plane constabit, quam is humiliter imbecilleque, & falso, alte vero ille ac robuste, & omnino ad veritatem scripserit. Id effecit Puffendorfii contemptus Scholasticorum; à quibus tamen, nemine excepto, ait, primo introductum vocabulum conscientiæ hoc sensu, quod habeat vim dirigendi actiones, quæ à lege non dependeat, aut proveniat. Quo quid iniquius dici poterat de sanioribus saltem Scholasticis, ac præsertim de S. Thoma, ut ex ejus verbis perspicuum est?

(1) Legis naturalis existentiam licet verbis videantur admittere; revera tamen negant omnes ii qui docent, moralitatem actionum humanarum pendere ex hominum opinionibus, exve legibus dumtaxat humanis, de quibus dictum est §. 171. sqq. Negant etiam universi Athei, & Epicurei, qui omnia casui, & necessitati attribuunt, & ho-

rigantur, satis sunt voluptas, dolor, & amor sui; utilitas enim mensura est humanarum actionum, atque, ut Horatius ajebat: *ipsa utilitas justi prope mater, & æqui.* Nulla igitur extat naturæ lex (1).

241 II. Homines non sunt legis capaces, nisi ratione utantur. Sed cum primum homines à Deo creantur, non sunt rationis compotes. Ergo à Deo creantur *exleges*; dictata vero rationis non sunt nisi fructus sponte adolescentes ex natura rationali (2).

242 III. Si quæ esset lex naturalis, ea deberet habere adnexam sanctionem, nimirum præmium servantibus legem, pœnam, illam transgredientibus. Præmium autem nullum fingi potest, ut neque meritum; quippe omnium virtutum actus sunt omnino debiti, nec possumus quidpiam Deo tribuere, ut nobis retribuatur. Pœnæ autem inflictio in Deum cadere non potest, cum sit infinite bonus, & cujuscumque recipiendæ injuriæ, aut offensæ incapax (3).

243 IV. Qui ex Dei sanctitate, & justitia sanctionem pœnæ in delinquentes inferunt, ii hæc Dei attributa concipiunt instar perfectionum creatarum; incidunt proinde in errorem Anthropomorphitarum, sibique ipsis Deum velut hominem fingunt. Nulla igitur est sanctio, ideoque nulla lex naturalis (4).

244 V. Ratio sibi relicta nequit concipere Deum ut Regem aut Dominum, sed potius ipsum concipit ut Doctorem juris naturæ, quam ut Legislatorem; omnes enim pœnæ in transgressores juris naturæ sunt naturales, adeoque improprie dictæ. Pœna etiam ex natura sua est humana, & arbitraria, & visibiliter infertur: mala autem à Deo statuta in transgressores juris naturæ, occulte veniunt. Præcepta ergo moralia sunt potius monita paterna, quam leges (5).

245 VI. Philosophus sola ratione utens, ignorat publicationem juris naturalis, quod non nisi ex Divina revelatione

---

nestatem actionum ex utilitate, & voluptate repetunt. Quos inter præcipui sunt Helvetius, & qui ipsum excripsit Auctor systematis naturæ. Idipsum negat Auctor libri *Codicis naturæ*, adserens, punitionem peccati pugnare cum idea entis infinite perfecti, & benefici. Thomasius insuper, & Fleischerus tollere videntur leges naturales, dum eas habent loco consilii.

(1) Ita Helvetius *de l' Esprit, discours* 3. *c.* 4. & 9.

(2) Schmausius l. 3. c. 3. (3) Auctor l. *Code de la nat.*

(4) Auctor l. *Système de la nat.* par. 1. c. 3.

(5) Thomasius Fund. jur. nat. & gent. l. 1. c. 5. §. 37. sqq.

potest innotescere. Si ergo solam rationem consulamus, existentia legis naturæ constare nequit (1).

246 VII. Ea quæ legi naturæ adversantur, sunt prohibita, quia mala, ut dictum est (2). Ergo non habent à lege prohibente, ut mala sint. Ut quid ergo hæc lex, quæ nullam obligationem inducit?

247 VIII. Quod homines quædam honesta, quædam turpia judicent, pendet ab educatione. Nulla est igitur lex naturæ, honesta præcipiens, turpia vetans.

Prop. *Existit lex naturalis mentibus hominum à Deo per lumen rationis impressa.*

248 Demonst. 1. ex S. Thoma (3). Homo cum sit rationalis, ita fit particeps divinæ providentiæ, ut sibi etiam, & aliis possit providere. Est ergo particeps legis æternæ, quæ, ut dictum est (4), nihil est aliud, quam ratio gubernationis, & providentiæ in Deo. Ex dictis (5) autem lex naturalis est participatio legis æternæ in rationali creatura, per lumen rationis menti impressum, quo discernimus, quid sit bonum, quidve malum. Existit ergo lex naturalis mentibus hominum à Deo per lumen rationis impressa (6).

---

(1) Idem ibid. §. 40. (2) §. 192. sqq.

(3) 1. 2. q. 91. a. 2.

(4) §. 235. (5) §. 236.

(6) Hac vel una ratione funditus corruit quod impie scribit Spinoza in Tract. theol. polit. c. 16. » Per jus, & institutum naturæ nihil aliud in» telligo, quam regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum » quas unumquodque determinatum concipimus ad certo modo existen» dum, & operandum... Nec hic ullam agnoscimus differentiam in» ter homines, & reliqua naturæ individua, neque inter homines ra» tione præditos, & inter alios, qui veram rationem ignorant, ne» que inter fatuos, delirantes, & sanos. Quidquid enim unaquæque » res ex legibus suæ naturæ agit, id summo jure agit, nimirum quia » agit prout ex natura determinata est, nec aliud potest.“ Vere fatuus erat, delirabatque Spinoza, cum hæc scribebat: nam quid stultius non dici modo, sed fingi poterat, quam nullum aliud agnoscere jus naturæ præter illud, quod commune est universis naturæ individuis, nullo facto discrimine inter homines, belluas, cæterasque creaturas neque ratione, neque sensu præditas, nec inter homines ratione utentes, ac delirantes, & fatuos? Aguntur quidem universæ creaturæ, & regulantur lege divinæ providentiæ, cui subduntur,

249 Demonst. 2. ex eodem S. Thoma (1). Creatura rationalis multa cognoscit lumine naturali rectæ rationi consona, quia honesta; multa dissona, quia turpia, ut dictum est (2). Hæc autem vel cognoscit immediate absque ratiocinio; atque ejusmodi sunt prima principia universalia practica, quæ simplici intuitu, & ex sola perceptione terminorum cognoscuntur esse vera, ut virtutem esse prosequendam, vitium fugiendum, non esse alteri faciendum quod nobis fieri nolumus, &c. vel cognoscit ut deducta ex primis principiis practicis, ut bonum esse eleemosynam indigentibus elargiri; non furari; neminem lædere, &c. atque hæc, licet inferantur ut conclusiones ex primis principiis practicis, habent tamen rationem principiorum universalium proximorum respectu operationum. Jam vero principia universalia practica sunt ipsa lex naturalis, ex supra dictis (3): lumen autem rationis, quo innotescunt, est à Deo, cum sit impressio divini luminis in nobis, quo sumus participes legis æternæ, ut dictum est (4). Existit ergo lex naturalis mentibus hominum à Deo impressa per lumen rationis (5).

---

ideoque participant aliquo modo legem æternam; at vero, ut ait S. Thomas loco cit. »creatura rationalis excellentiori quodam modo »divinæ providentiæ subjacet, inquantum & ipsa fit providentiæ par»ticeps, sibi & aliis providens.“ Hanc excellentiam Spinoza minime agnovit; ideoque nullum aliud videre potuit jus, & institutum naturæ præter fatalem necessitatem ad existendum, & operandum certo modo, absque potestate ad aliquid aliud agendum, vel ad non agendum. Sed de ejusmodi deliriis satis; demonstravimus enim in Metaph. hominem esse libertate præditum. Vide S. Thom. loc. cit.

(1) 1. 2. q. 94. a. 2. (2) §. 197. sq. (3) §. 238. (4) §. 237.

(5) Hinc corruit positio Hobbesii; qui licet l. 1. de Civ. c. 2. §. 1. videatur legem naturalem definire ex *recta ratione*; nihilominus subdit ib. in not. »Per rectam rationem in statu hominis naturali in»telligo non ut multi facultatem infallibilem, sed ratiocinandi actum, »id est, ratiocinationem uniuscujusque propriam, & veram circa actio»nes suas, quæ in utilitatem, vel damnum cæterorum hominum »redundare possunt.“ Quibus verbis rectam rationem non ex honestate actionum, quæ sint rationi consonæ, sed unice ex utilitate derivat. Quod ipsum in definitione, quam ib. tradit, legis naturalis, clarius exponit, scribens: »Est igitur lex naturalis dictamen rectæ »rationis circa ea quæ agenda, vel omittenda sunt ad vitæ, mem»brorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam.“ Qua ex definitione sequitur, legem naturalem, & rectæ rationis dictamen, Hobbesio auctore, non respicere nisi vitam animalem, ad

250 Demonst. 3. ex ipsomet Angelico (1). Existit ordo naturalis à Deo lege æterna constitutus, ad quem quidem ordinem pertinet etiam ordo rationis in homine. *Homo* enim *in specie constituitur per animam rationalem*; *& ideo id quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, inquantum est homo: quod autem est secundum rationem, est secundum naturam hominis, inquantum est homo* (2). Is autem ordo lege naturali constituitur, quæ aliud non est quam participatio legis æternæ, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat. Conservatur autem is ordo, cum homo secundum rationem agit; perturbatur, cum agit contra rationem. Agit vero homo secundum rationem, cum operatur opera virtutis; agit contra rationem, cum in vitia diffluit. Nam *virtus intantum est secundum naturam hominis, inquantum convenit rationi: vitium autem intantum est contra naturam hominis, inquantum est contra ordinem rationis.* Ordo autem iste cognoscitur per lumen rationis à Deo menti humanæ impressum. Existit ergo lex naturalis impressa mentibus hominum per lumen rationis.

251 Demonst. 4. ex eodem S. Thoma (3). Lex nihil est aliud quam ratio operis. Ergo lex naturalis nihil est aliud

---

quam pertinet membrorum conservatio; nec esse circa honestatem actionum, quatenus consonæ sunt rectæ rationi, sed tantummodo circa propriam utilitatem, & finibus præsentis vitæ coarctari. Id quod Spinoza absque ambagibus docuerat loc. cit. » Jus naturale uniuscujus» que hominis non sana ratione, sed cupiditate, & potentia deter» minatur.“ Atque hinc manavit principium illud aliud Hobbesii, statum hominis naturalem esse statum belli omnium in omnes.

(1) 1. 2. q. 71. a. 2. & l. 3. cont. Gent. c. 29.

(2) Ordo naturalis est, ut homo sit subjectus Deo, & corpus animæ, & inferiores animæ vires rationi. *Ratio* (inquit S. Augustinus l. 1. de lib. arb. c. 8.) *cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam esse comperimus.* Hunc ordinem cognoscit quisquis est rationis compos; ex eoque manant universa officia hominum erga Deum, & seipsos. Et cum unus homo dicat ordinem ad alios homines, qui cum eo conveniunt in natura, sitque naturaliter animal sociale: inde manant etiam omnia officia erga alios homines, ut infra dicemus. Idem S. Augustinus Epist. 157. al. 89. n. 15. *Lex est*, inquit, *in ratione hominis, qui jam utitur arbitrio libertatis, naturaliter in corde conscripta, qua suggeritur, ne aliquid faciat quisque alteri, quod pati ipse non vult.* (3) L. 3. cont. Gent. c. 114.

quam ratio operum convenientium naturæ hominis, quatenus est homo. Cujuslibet autem operis ratio à fine sumitur. Ab eo igitur homo suscipit legem naturalem, à quo in finem perducitur. Homo autem finem suum in Deo, & à Deo consequitur. A Deo igitur accepit legem naturalem. Ideoque Psal. 4. v. 6. sq. dicitur: *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Jerem. 31. v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum.*

252 Addimus sensum intimum, quo quisque sui compos cognoscit, actiones quasdam esse rationi consonas, quasdam rationi dissonas: quod absque aliqua norma, & lege esse non potest (1).

253 Ad primum respondemus, normam illam, quam statuunt Helvetius, cæteriique Epicurei, non hominum ratione utentium, sed bestiarum normam esse, cum quibus homines *animalitatem*, ideoque sensum voluptatis, & doloris communem habent. Voluptas, dolor, amor sui non sunt hominis norma: nam dirigi debent secundum rationem, ut sint laude digna; alioqui vitia erunt, si sint contra rationem (2).

---

(1) Sensum hunc intimum exuere conabatur Spinoza, cum in Tract. theol. polit. c. 16. scribebat: » Jus, & institutum naturæ, sub quo » omnes nascuntur, & maxima ex parte vivunt, nihil nisi quod ne» mo cupit, & quod nemo potest, prohibere; non contentiones, non » odia, non iram, non dolos, non absolute aliquid quod appetitus » suadet, aversari.“ Itane vero natura iniqua est, ut nullum quamlibet improbum, scelestissimumque, aversetur opus? Homines ergo, si velint agere ex jure, & instituto naturæ, quodcumque volent malum, gravissimum licet sit, turpissimumque, perpetrare impune poterunt? Cujusmodi vero erit hujusce naturæ Auctor, qui tale institutum probet, nullumque malum prohibeat, & aversetur? Quod autem maxime mireris, homo is, qui omnem religionem, Deumque negavit, audet in suum perversum trahere sensum Apostoli verba Rom. 5. v. 13. *peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*; quasi Paulus nullum peccatum agnoverit, quamdiu homines ex naturæ imperio vixerunt: non intelligens, Apostolum loqui vel de lege Moysis, cujus transgressio certe non imputabatur, antequam esset à Deo Judæis lata; vel si intelligatur de lege naturali, sensus est de imputatione apud homines: nam idem Apostolus statim ante dixerat: *Usque ad legem peccatum erat in mundo,* & immediate post addit: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem.* Quod significat, peccata ante legem datam Moysi fuisse hominibus à Deo imputata. Vide S. Thom. in cit. c. lect. 4.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 91. a. 2. ad 3.

254 Ad secundum jampridem respondit S. Thomas (1), pueris ante annos discretionis inesse legem naturalem *habitualiter*. Et idem dicendum de aliis hominibus, qui propter aliquod impedimentum non habent actu rationis usum, vel actu præcepta legis naturalis non considerant. Hi omnes legem naturalem non actu quidem, sed habitu tenent; quare *exleges* dici non possunt. Falsum est autem, dictata rationis *sponte* adolescere ex natura rationali: nam profluunt ex lumine rationis, quo homo naturaliter est perfectus, participatque legem Dei æternam.

255 Ad tertium respondet idem Angelicus (2), *quod per actum hominis Deo secundum se nihil potest accrescere, vel deperire; sed tamen homo, quantum in se est, aliquid subtrahit Deo, vel ei exhibet, cum servat, vel non servat ordinem, quem Deus instituit.* Licet vero in omni eo quod facimus boni, non possimus reddere Deo quod ipsi debemus; non ideo tamen sequitur, nihil nos posse mereri: nam, ut idem S. Doctor advertit (3), *homo inquantum propria voluntate facit illud quod debet, meretur: alioquin actus justitiæ, quo quis reddit debitum, non esset meritorius.* Fatendum est tamen cum eodem S. Thoma (4), *meritum hominis apud Deum esse non posse nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis, ita scilicet, ut id homo consequatur à Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit* (5). Tantum vero abest, ut inflictio pœnarum pugnet cum Dei bonitate, quin Deus non esset bonus, nisi pœnas peccantibus infligeret: nam nisi peccantes puniret, non esset justus, ideoque nec bonus: bonitas enim cum injustitia compati nequit.

256 Ad quartum negamus, ullum esse periculum, ne in Anthropomorphitarum incidamus errorem, dum Deum ut sanctum, & justum adoramus, atque reveremur. Nam 1. sanctitas, & justitia non pertinent ad hominem qua ratione corporeus est: in quo sistebat Anthropomorphitarum error, qui figuram hominis corpoream Deo tribuebant. 2. Cum Deo attribuimus sanctitatem, & justitiam, eas expoliamus omnibus imperfectionibus cum qui-

---

(1) Ibid. q. 94. a. 1.
(2) Ibid. q. 21. a. 4. ad 1. (3) Ibid. q. 114. a. 1. ad 1.
(4) Ibid. in corp.
(5) Perspicitis jam, recentes impios nihil effecisse aliud, quam expilare veterum libros, & ex eis objectiones furari, quibus tamquam fulcris errores, quos ex orco reproducebant, niterentur.

bus in hominibus conjunctæ sunt; easque quoad possumus amplificantes, dicimus, & confitemur, Deum esse infinite sanctum, & justum. Non possumus equidem comprehendere hanc ejus infinitam sanctitatem, atque justitiam; sumus enim finiti. At hoc ipso quod finiti sumus, Deus vero est infinite perfectus; fateri debemus, ipsum esse infinite sanctum, & justum: nam quomodo esset infinite perfectus, si ei deessent sanctitas, & justitia?

257 Ad quintum negamus, rationem naturalem non posse concipere Deum ut Regem, & Dominum: nam ratio naturalis ostendit, Deum omnia creasse, & omnia regere providentia sua. Quod si omnia Dei sunt, quia ab ipso habent esse: si Deus omnia regit, potissimumque homines, cur non erit Rex, & Dominus universorum? cur non erit Legislator, cum lex aliud non sit, quam *dictamen practicæ rationis in Principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam*? ut S. Thomas animadvertit (1). At pœnæ, inquit Thomasius, statutæ in transgressores juris naturæ, sunt *naturales*. Nego esse naturales tantum, etsi pœnæ consistentes in privatione visionis supernaturalis beatificæ, solo lumine naturali ab homine cognosci nequeant. Nego item, pœnas naturales *improprie* dici pœnas. Quis enim dixerit, damnationem ad carceres, ad triremes, ad equuleum, ad suspendium esse *improprie* pœnas? Quod si Deus non esset naturæ Legislator, quia pœnæ in transgressores juris naturæ sunt *naturales*; nullus omnino esset in rebuspublicis legislator, nulla civilis legislatio, quia civiles legislatores in transgressores juris civilis pœnas *naturales* statuunt (2). Negamus denique, omnem pœnam *natura sua* esse *humanam*, & *arbitrariam*, ac *visibiliter* inferri (3); nam præter pœnas corporales, sunt etiam

(1) 1. 2. q. 91. a. 1.

(2) Paucis verbis omnem legislationem etiam civilem Thomasius tollit, non ob eam tantum rationem, quia pœnæ à legislatoribus civilibus statutæ, sunt *naturales*; sed etiam quia leges humanitus positæ derivantur à lege naturali, ut demonstrat S. Thomas 1. 2. q. 95. a. 2. ideoque sublata lege naturali, omnis humana legislatio corruit. Hi sunt præclari Juris publici adsertores.

(3) Vide quam sibi aperte Thomasius contradicat. Nam si omnis pœna *natura sua* est *humana*, *arbitraria*, & *visibilis*: cum talis, ipso auctore, esse nequeat nisi tantum pœna *naturalis*, omnis pœna *natura sua* erit *impropria*. Quod autem est *improprie* tale, non est tale *natura sua*; quid enim magis proprium unicuique rei, quam ipsa ejus natura? Pœna igitur erit simul *propria*, & *impropria*. O summi Philosophi Scholasticorum contemptores!

pœnæ spirituales, quæ certe saltem in seipsis visibiles non sunt (1). Non omnis quoque pœna est *humana*, nisi quis Deo potestatem puniendi improbos adimat. Nec omnis pœna est *arbitraria*: nam pœna respondere debet gravitati culpæ. Videtis quot falsitates Thomasius, & Fleischerus congesserint (2).

---

(1) Mala conscientia pœna est gravissima, ut ipsi Epicurei intellexere. Vide Lucretium l. 2. Et nihilominus non est pœna seipsa visibilis.

(2) Quænam hosce homines ad hæc absurda impulerit causa, conjici facile potest; ut nimirum specie illustrandi jus naturale, ipsum omnino everterent. Nam si opus habemus revelatione, ut Deum cognoscamus tamquam Legislatorem, & conditorem legis naturalis, jam eam cognoscere non possumus solo lumine rationis. Quid ergo erit de illis, qui doctrinam revelatam vel respuunt, vel ignorant etiam invincibiliter? Eruntne hi absoluti ab omni lege naturali? Mutuatus hunc errorem Thomasius fuit ex Hobbesio de Cive c. 3. §. 33. ubi de naturæ legibus ait: Non sunt illæ proprie loquendo leges, quate» nus à natura procedunt; quatenus tamen eædem à Deo in Scriptu» ris sacris latæ sunt, legum nomine propriissime appellantur." Vide autem Thomasii nequitiam: contendit, leges naturales vim legis habere ex una tantum revelatione, qua nobis Deus proponitur ut Legislator; & nihilominus, ut supra diximus §. 59. not. *Fund. jur.* præcipit Scriptoribus juris naturalis, ut abstrahant à revelatione, & à Scriptura sacra. Quid est hoc aliud, quam ludere in rebus gravissimis, jusque naturæ non modo labefactare, sed funditus evertere?

Si autem quæras, cur Deus voluerit legem naturalem in Scripturis etiam tradere? respondet S. Augustinus in Psal. 57. id Deum misericorditer effecisse, ut *legerent homines in tabulis, quod in corde legere nolebant.* Ut respondet quoque S. Thomas, cujus verba descripsimus supra §. 65. in not. Hinc vero intelliges sensum verborum Apostoli Rom. 7. v. 9. *Ego autem vivebam sive lege aliquando.* Non ut Genuensis vertit tom. 4. Metaph. c. 4. §. 7. in not. *Ego eram aliquando sine lege*, contra textum Græcum: Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ. Aliud est enim *esse sine lege*; aliud *vivere sine lege*: nam impii *vivunt sine lege*, quia legem transgrediuntur, & contemnunt; non *sunt* tamen *sine lege*, quia lege ipsa tenentur. Itaque Apostolus loquebatur ex persona eorum, qui ante legem scriptam obscuratam à vitiis habebant mentem, & *vivebant* sine lege, quamvis *non essent* sine lege. Vide S. Thom. cit. c. lect. 2.

Nec etiam adsentimur eidem Genuensi loc. cit. c. 6. §. 3. cum ait: » Evangelica, Mosaica, & naturæ lex, una eademque κατ' οὐσίαν sunt; » non enim substantia differunt, sed modis." Nam licet lex Decalogi, & naturæ (de qua lege loquitur Catechismus Romanus p. 3. c. 1. §. 3. cujus verba Genuensis describit in not.) una, eademque fuerit

258 Ad sextum respondet S. Thomas (1): »Promulgatio »legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus ho»minum inseruit naturaliter cognoscendam (2). "

259 Ad septimum dicimus cum eodem S. Doctore (3), ea quæ sunt intrinsece mala, ideo esse talia, quia repugnant legi æternæ, adeoque ordini, quem Deus in rebus constituit. Et cum lex naturalis sit participatio legis æternæ, proinde ea quæ prohibentur lege naturali, sunt intrinsece mala.

260 Ad octavum negamus, principia honestatis, & turpitudinis actionum humanarum proficisci ab educatione (4). Potest

---

tam ante, quam post legem Mosaicam, & Evangelicam; dici tamen non potest una, & eadem quoad substantiam cum lege Mosaica, & Evangelica; lex enim Mosaica, præter præcepta moralia Decalogi, complectebatur præcepta cæremonialia, & judicialia: & lex Evangelica præcepta continet Fidei & Sacramentorum, quæ præcepta cum sint supernaturalia, differunt plus quam substantia à præceptis legis naturæ. Genuensis autem omnia miscet.

(1) 1. 2. q. 90. a. 4. ad 1.

(2) Non subscribimus Seldeno *de jur. nat. & gent. secundum disciplinam Hebræorum*, neque Ansaldo in opere *de principiorum legis naturæ traditione*; si unice per traditionis viam pervenisse ad nos dicatur notitia legis naturalis; hæc enim maxime lumine rationis constat; cui quidem lumini si quis resistat, multo magis resistet traditioni illi, præsertim cum traditiones Noeticæ fuerint fœdissime deturpatæ inter gentes. Apostolus Rom. 2. v. 14. sq. ait: » Cum enim gentes, quæ »legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi »legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Qui ostendunt opus legis »scriptum in cordibus suis." Non ad traditionem, sed ad opus legis scriptum in cordibus appellat Paulus. Traditio utique potuit conferre ad confirmandam notitiam haustam ex lumine rationis; sed non ideo una tantum traditione nititur notitia illa. Sicut veritates naturales theoreticæ de Deo, & de anima confirmantur ex revelatione; ita & veritates practicæ. At in neutris doctrina revelata destruit naturalem rationem, sed illam perficit. Quare fallitur Henricus Coccejus in Com. ad Proleg. Grot. §. 3. ubi ait: » Errant Seldenus, Bodinus, aliique, qui »rationem obscuram nimis, indeque ex revelatione supplendam existi»mant." Non propterea errant, sed quia videntur affirmare, jus naturæ non posse vi rationis innotescere.

(3) 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4.

(4) Ab educatione, & assuetudine Puffendorfius l. 2. de jur. nat. & gent. c. 3. §. 13. in pueris, & vulgo repetit facilitatem discernendi inter justum, & injustum. » Quod, *inquit*, in pueris, & rudi vulgo »magna deprehenditur facilitas æquum ab iniquo discernendi, id ex

utique recta educatio plurimum conferre, ut facilius penetrentur, & exequutioni mandentur præcepta naturæ; sicut econtra potest educatio prava rationem tenebris obducere, ne videat quædam naturalia præcepta, & homo brutaliter vivat. At ingenerare educatio non valet prima præsertim honestatis principia, nec ea prorsus delere. Sicut enim prima principia theoretica non propter educationem nobis innotescunt, sed ex lumine naturali; ita & universalia principia practica, quæ sunt ipsa lex naturalis (1).

ARTICULUS II.

Utrum sit aliquod primum legis naturalis principium, & quodnam illud sit.

261 Inter principia universalia practica, quæ legem naturalem constituunt, primum aliquod inquirunt recentiores Philosophi de jure naturæ disserentes, quod sit veluti basis, & fun-

---

» adsuetudine provenit: dum à teneris annis, & statim atque usum » aliquem rationis exserunt, vident bona probari, mala improbari, & » illa laudem, hæc pœnam sequi. Quorum quotidianum exercitium, & » totius vitæ communis compages ad istum modum digesta, ita ani» mos disponit, ut paucis dubitare succurrat, an aliter ista fieri pos» sint." En paucis eversa tota lex naturalis. Nam si *ex adsuetudine*, & aliorum exemplis provenit, ut æquum ab iniquo discernatur, omnia referentur ad educationem, nec ulla erit norma in homine, qua justum ab injusto discernat. Præclari juris naturæ restitutores! Fatemur, prima principia juris naturæ non innasci. At sicut prima principia theoretica non innascuntur, quia lumine rationis statim, perceptis terminis, innotescunt; ita similiter prima principia practica.

(1) Genuensis de offic. l. 1. c. 3. §. 16. quid scriberet ignoravit, cum de lege naturæ quærens, an sit *ideâ inscripta*, *an potentia*, *an conscientia*? veteribus Peripateticis attribuit, quod putarint, eam esse *potentiam*. Quo dici nihil falsius poterat; omnes enim Peripatetici distinxerunt legem naturalem *à potentia* intellectiva: imo S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 1. negat, legem naturalem esse habitum *proprie*, & *essentialiter*. Quod vero ait idem Genuensis: *illa mihi opinio videtur verisimilior*, *conscientia persentiri naturæ legem*, nihil conficit; non enim conscientia est lex naturæ, sed conscientia eam supponit: nam quid persentiremus, si lex naturæ esset ipsa conscientia? Conscientia est applicatio legis tamquam conclusio; principium autem est lex naturæ, ut dictum est §. 238. not. *Plures*.

damentum universæ legis naturalis, ex quo cætera naturæ præcepta inferantur, cujusque ope dignosci possit, sitne aliquid lege naturæ præceptum, vel prohibitum; quodque proinde sit veluti *criterium*, *cynosura*, *lapis lydius*, & *statera*, ut Heineccius habet (1), ad dignoscendam bonitatem, vel malitiam actionum humanarum lumine rationis. Vix autem dici potest, quam illi inter sese differant in eo principio adsignando; quot enim sunt capita, tot sententiæ, ut Schwartzius ipse ait. Præcipuas attingemus.

262 Itaque Hobbesius (2): „Prima, *inquit*, & fundamen„talis lex naturæ est, quærendam esse pacem, ubi haberi „potest; ubi non potest, quæranda esse belli auxilia (3).“

263 Puffendorfius Hobbesii vestigiis inhærens: „Funda„mentalis, inquit (4), lex naturæ isthæc erit: *Cuilibet homini, „quantum in se est, colendam, & conservandam esse pacifi„cam adversus alios socialitatem, indoli, & scopo generis hu„mani universim congruentem* (5).“ Statuit ergo, primum

(1) In Prælect. ad l. Puffend. de offic. hom. & civis.

(2) *De Cive c.* 2. §. 2.

(3) Nimirum Hobbesius ex definitione legis naturalis, quam statuit, quod sit *dictamen rectæ rationis circa ea quæ agenda, vel omittenda sunt ad vitæ, membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam*, infert, conservationem sui esse primum legis naturæ præceptum. Et cum, ut ipse ait, in statu naturali omnes homines sint æquales, & jure naturali omnia sint communia; fit propterea, ut homines securitatem neque sibiipsis præstare, neque ab aliis expectare in statu naturali possint; quare ut seipsos conservent, debent auxilia belli quærere, si ab aliis impediantur, ne pacifice frui possint jure æqualitatis. Hinc docet, statum hominum extra societatem esse mutuum bellum: & cum bellum sit hominum conservationi adversum; idcirco, ut habeatur pax, & hominum conservatio, ait, quærendam esse *societatem*. Itaque principium illud quod statuit de pace quærenda, si fieri potest, in *socialitatem* resolvitur, & in propriam utilitatem, quæ ex socialitate consequitur.

(4) L. 2. de jur. nat. & gent. c. 3. § 15. sqq.

(5) Nullo negotio quisque videt, Puffendorfium excripsisse sententiam Hobbesii. Proinde mirum non est, si in ejus laudes effundatur in Præfat. præd. oper. de Hobbesio scribens, *tam profunde ipsum societatis humanæ, & civilis compagem rimatum fuisse, ut pauci priorum cum ipso hic comparari queant.* Vide fontem, unde Puffendorfius potavit. Quid boni ab hisce sperandum Auctoribus? Principium Hobbesianum, & Puffendorfianum *socialitatis* rejecerunt ipsi

legis naturalis principium esse *socialitatem* (1).

264 Thomasius, etsi aliquando subscripserit Puffendorfiano *socialitatis* principio, ipsumque acriter defenderit (2), mutata nihilominus sententia, aliud constituit (3) principium, nimirum, *Deum velle, ut homines faciant ea, quæ vitam humanam reddunt maxime diuturnam, & felicissimam; & evitent ea, quæ vitam reddunt infelicem, mortemque accelerant.*

265 Wolfius autem (4) hoc primum statuit legis naturæ principium cognoscitivum: *Determinatio actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diversas, est principium cognoscendi legem naturalem, omneque jus naturale.* Sive, ut alibi scribit (5): „Commit„tendæ sunt actiones, quæ ad perfectionem hominis, atque „status ejusdem tendunt: & eæ omittendæ, quæ ad imper„fectionem ipsius, & status ejusdem tendunt.“

266 Ne simus nimii, paucis cæterorum opiniones innuimus. Grotius (6) principium illud constituisse dicitur *in consensu omnium, vel fere omnium gentium.* Valentinus Alberti (7), *in statu pri-*

---

etiam Heterodoxi bene multi, Leibnitius, Heineccius, Samuel Coccejus, Gronningius, Huberus, aliique.

(1) Hoc *socialitatis* principium tamquam fontem ejus juris naturalis, quod proprie tali nomine appellatur, constituit Grotius de jur. bel. & pac. in Proleg. §. 8. Heineccius autem in Prælect. acad. ad d. §. Grotium excusat, quod in eo opere non tam jus naturæ, quam jus gentium Grotius tractet, agens de jure belli, & pacis, quæ societatem humanam supponunt. Nolumus hac de re disputare. Id aliis relinquimus, quibus arridet Grotium defendere. Hoc saltem constat, minus caute fuisse Grotium loquutum, explicationeque indigere, ut possit defendi à systemate Hobbesiano. Puffendorfius certe in Grotium impegit, & in Hobbesium, aliisque multis ut impingerent occasio fuit, Boëclero, Rysselio, Webero, Geilfusio, Bohemero, Ludovicio, &c.

(2) In Inst. jurispr. div. l. 1. c. 4.

(3) In Fund. jur. nat. & gent. l. 1. c. 6.

(4) In Phil. pract. univ. §. 179.

(5) Inst. jur. nat. & gent. §. 43.

(6) De jur. bel. & pac. Proleg. §. 40. Immerito tamen hæc sententia tribuitur Grotio: nam loc. cit. expresse ait, rectam illationem ex naturæ principiis procedentem indicare jus naturæ; communem vero consensum indicare jus gentium.

(7) Comp. jur. nat. orthod. Theol. conform. part. 1. c. 1. §. 14.

mævæ integritatis, quam habuit homo ante peccatum. Joannes Bodinus (1), *in ordine*, quem Deus in mundi conditione, & gubernatione intendit. Joannes Shute (2), in *Theocratia quadam morali*. Hemmingius (3) primum principium cognoscendi jus naturæ statuit, *quidquid convenit naturæ humanæ, & fini hominis quoad vitæ genus tum œconomicum, tum politicum, tum spirituale; & quidquid ad status illius conservationem pertinet.* Wachterus (4), *naturæ humanæ convenienter vivere.* Burlamaquius (5) tria agnovit juris naturalis principia, 1. *Religionem* erga Deum, 2. *amorem* erga nosipsos, 3. *socialitatem*, & *benevolentiam* erga alios. Wincklerus (6) principium juris naturæ cognoscendi reposuit *in amore Dei, & hominis.* Heineccius (7), *in amore Deo, sibi, & proximo naturaliter debito.* Joan. Franc. Buddeus (8), non esse quærendum, ait unum aliquod principium omnium hominis naturalium officiorum, sed tria statuit æque prima in suo genere; pro officiis erga Deum, *Deum cole*; pro officiis erga seipsum, *temperanter vive*; pro officiis erga alios, *socialiter vive.* Idem tenuit Barbeyracius (9). Ac denique (ne singulos commemoremus) Genuensis (10) officiorum omnium hoc statuit principium: *Jus strictum cuique suum integre tribue: si ullo modo læseris, labefactaveris, minueris, reficito. Ni feceris, parata ultio. Tum jus præsidii, quo hominem cum homine agas, præstato. Hæc summa est Universi lex.*

267 Videtur autem 1. frustra quæri de primo aliquo principio cognoscendi legem naturalem: nam vix sperari potest, unum tale assignatum iri, quod omnes proprietates habeat principii omnium primi, nimirum, ut sit non modo *certum*, sed etiam *evidens* in seipso, & quoad omnes homines ratione pollentes: 2. ut sit *omnino primum*, scilicet, ad quod cætera omnia principia reducantur: 3. ut sit *adæquatum*, nempe, ut ex eo omnia

(1) In Diss. de jure mundi.
(2) In Diss. edita Ultraject. an. 1697.
(3) De lege nat. apodictica methodo concinnata.
(4) In Orig. jur. nat.
(5) In l. Princ. jur. nat. p. 2. c. 4. §. 6.
(6) Apud Coccejum in Præf. op. Grotii.
(7) De jur. nat. & gent. l. 1. c. 3. §. 77. sqq.
(8) In Elem. phil. pract. part. 2. c. 4. sect. 1. §. 22.
(9) In not. ad Puffend. de offic. hom. & civ. l. 1. c. 3. §. 13.
(10) Lib. 1. de offic. c. 3. §. 15.

fluant officia, ad quæ præstanda homines lege naturali tenentur. Quod si eruditissimi quique viri in eo constituendo sunt hallucinati, quænam spes erit reliqua? Deinde, cum ex aliis principiis, licet non omnino primis, colligi possint naturalia hominum officia; quid erit opus inquirere in aliud omnino primum? Præsertim, quia etiam eo deprehenso, cum ex ipso veritates intermediæ inferri non possint nisi per longas ratiocinationes, errandi periculum in praxi non cavetur. Igitur inutilis est hujusce principii investigatio, planeque frustranea (1).

268 II. Videtur admittenda *socialitas* tamquam principium omnino primum legis naturæ. Nam, uti Puffendorfius animadvertit (2), nulla est aptior via ad investigandum jus naturale, quam contemplari ipsam hominis naturam, conditionem, & inclinationes. Si autem hæ considerentur, manifesto apparet „hominem esse animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine sui similium auxilio servari ineptum, ad mutua „commoda promovenda maxime idoneum, idem tamen sæpe „malitiosum, petulans, & facile irritabile, ac ad noxam inferendam promptum, ac validum. Ejusmodi animali, ut salvum sit, bonisque fruatur, quæ in ipsius conditionem hic „cadunt, necessarium est, ut sit sociabile, id est, ut conjungi „cum sui similibus velit, & adversus illos ita se gerat, ut „ne isti ansam accipiant eum lædendi, sed potius rationem „habeant ejusdem commoda servandi, aut promovendi (3).“ Socialitas ergo est fundamentum legis naturalis. Hinc Cicero (4) ait: *Non opinione, sed natura constitutum esse jus, patebit, si hominum inter ipsos societatem, conjunctionemque perspexeris.*

---

(1) Ita Loscanus Inst. phil. mor. sect. 1. a. 9. §. 97. Qui tamen ibid. §. 98. adsignat *pro principio ultimo infinitam Dei in gubernando mundo perfectionem.* Fallitur vero: nam infinita Dei perfectio in mundi gubernio splendet non modo in approbatione bonorum operum, sed etiam in permissione malorum, quibus Deus utitur, ut inde eliciat bona. Nequit proinde ea perfectio constitui principium ad discernendum, quænam actiones sint bonæ, & conformes legi naturæ; quænam malæ, & difformes. In eadem Loscani sententia est Finettus de princ. jur. nat. & gent. l. 7. c. 7. quamvis ipse ib. c. 6. ponat, ordinem esse juris naturalis principium.

(2) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 3. §. 15.

(3) Si quis hæc conferat cum iis, quæ scribit Hobbius de Cive c. 1. & 2. vix ullam diversitatem deprehendet.

(4) Lib. 1. de Leg.

Quod idem Jamblichus (1), Seneca (2), aliique fatentur.

269 III. Si omnes creaturæ rationales mutua sese benevolentia complectantur, felicitas habebitur, qua nullam sibi majorem præstare possunt; oportet enim, ut nullum sibi inferant malum, & omnem sibi invicem ferant opem; alioqui benevolentia non esset mutua. Atqui mutua benevolentia in *socialitate* consistit: lex vero naturæ felicitatem respicit nostram. *Socialitas* ergo primum est legis naturæ principium (3).

270 IV. Videtur admittendum Thomasianum principium: ut enim ille ait (4), principium legis naturæ debet esse ad omnium captum, & palatum. Universi autem vitam diuturnam, & felicissimam expetunt, & tale desiderium, nullo etiam docente magistro, quisque habet à natura. Hoc est igitur primum legis naturæ principium.

271 V. Ut Wolfius scribit, natura nos obligat ad ea efficienda, quæ nos perficiunt; ad vitanda vero, quæ nos imperfectiores reddunt: nam qui perfectionem curat suam, voluptate perfunditur; contra dolore, & miseria afficitur, qui suam, suique status perfectionem negligit. Homo autem natura felicitatem prosequitur, aversatur dolorem, & miseriam. Hæc est igitur prima, & generalis lex naturæ: *Quæ te, statumque tuum perfectiorem efficiunt, facito: ea autem, quæ te, statumque tuum reddunt imperfectiorem, caveto* (5).

272 VI. Ex Valentino Alberti. Homo in statu integritatis habuit imaginem Dei, inter cujus reliquias est jus naturæ. In statu igitur integritatis primævæ constitui debet principium, quo discernatur, sit necne aliquid lege naturæ præceptum, atque ad eum statum natura corrupta reformanda est.

273 VII. Lex naturalis versatur circa virtutes, & vitia. Virtus autem in ordinis custodia consistit, sicut vitium in ordi-

---

(1) In Protrept. c. 20. (2) L. 4. de Benef. c. 18.

(3) Ita Cumberlandus in Disquis. philos. de leg. nat. adversus Hobbesium. Ibi autem multa congerit, ac tandem in mutuam hominum inter sese benevolentiam, tamquam in præcipuum codicis naturæ fundamentum, dilabitur. Quare dum Hobbium impugnare videtur, in ejus fundamentum concedit. Quæ ratio, ut putamus, fuit quare Puffendorfius Cumberlandi libro fuerit mirifice delectatus, ejusque auctoritate sæpissime utatur.

(4) In Fund. jur. nat. & gent. l. 1. c. 6.

(5) Ita ex Wolfio Koëhlerus in opere *de jure naturæ in primis cogente*, quo in epitomen redegit doctrinam Wolfianam tomis octo comprehensam.

nis perversione. Insuper lege naturali ordo constituitur, ut supra dictum est (1). Ratio quoque, cui lex naturalis conformatur, in ordinis debiti conservatione consistit. Igitur primum legis naturalis principium est hoc: *naturalis ordo servandus est* (2).

274 VIII. Ut Heineccius ait (3), ipse Salvator noster Matth. 22. post memorata præcepta dilectionis Dei, & proximi: *In his*, inquit, *duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.* Et Apost. Rom. 13. v. 10. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et 1. ad Tim. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est charitas.* Primum ergo principium legis naturalis est amor Dei, & proximi.

Prop. I. *Statuendum necessario in moralibus est unum primum legis naturæ principium, sive præceptum, ad quod cætera reducantur. Illud autem non est repositum* II. *neque in pace, aut belli auxiliis quærendis ad vitæ, membrorum quæ conservationem*; III. *neque in socialitate*; IV. *neque in iis quæ vitam faciunt maxime diuturnam, & felicissimam*; V. *nec in quærenda nostri, statusque nostri perfectione ad Wolfii mentem*; VI. *neque in statu integritatis*; VII. *neque in ordinis custodia.* VIII. *Sed in eo quod statuit S. Thomas*, bonum est faciendum, & prosequendum, & malum vitandum; *ad quod omnia legis naturæ præcepta reducuntur.*

275 Demonstratur 1. p. ratione S. Thomæ (4). Præcepta legis naturæ hoc modo se habent ad rationem practicam, sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculativam; utraque enim sunt quædam principia per se nota (5). In his autem quæ pertinent ad rationem speculati-

(1) §. 250.

(2) Opinionem Bodini restituit Finettus de princ. jur. nat. & gent. lib. 7. cap. 6.

(3) De jur. nat. & gent. l. 1. c. 3. §. 79.

(4) 1. 2. q. 94. a. 2.

(5) *Per se*, inquit Angelicus: nam, ut ibidem advertit, *dicitur aliquid per se notum dupliciter, uno modo secundum se, alio modo quoad nos.* Vide quæ diximus in Log. §. 1111. not. *Quædam.* & quæ loc. cit. scribit S. Thomas. Omnia autem præcepta legis naturæ sunt

vam, invenitur necessario primum principium indemonstrabile, ad quod cætera reducuntur, nimirum principium *contradictionis*, ut in Metaphysica ostendimus (1). Igitur & in iis, quæ ad rationem practicam pertinent, inveniri necessario debet aliquod primum principium indemonstrabile, ad quod cætera reducantur.

276 Præterea, in iis quæ cadunt in apprehensione hominum, quidam ordo invenitur, idque, sive ratio speculativa sit, sive practica; rationis enim est ordinare. Ubicumque autem sunt plura ordinata, oportet, ut sit aliquod primum, ad quod cætera referantur: nam primum est ad medium, ut medium ad ultimum: atque hac ratione demonstravimus cum S. Thoma (2), in causis ordinatis debere esse unam primam causam, qua remota removerentur cæteræ. Si ergo in ratione practica est ordo plurium, necessario debet esse aliquod principium primum, ad quod cætera referantur (3).

277 Demonstratur 2. p. adversus Hobbesium. Lex illa, quam ut primam, & *fundamentalem* ipse statuit, *quærendam* nempe *esse pacem, si haberi potest; sin minus, quærenda belli auxilia ad*

---

per se nota *secundum se*, licet non omnia sint per se nota *quoad nos*, ut infra magis explicabimus.

(1) Tom. 5. §. 25. (2) Ibid. §. 1174.

(3) Ex his confutatæ manent opiniones cum eorum, qui plura principia legis naturalis æque prima statuenda putarunt, ut diximus §. 266. tum eorum, qui ajunt, necesse non esse unicum aliquod primum principium legis naturæ statuere, ut dictum est §. 267. & in not. subjecta. Finettus autem dum ait, satis esse in scientiis, ut omnia earum effata certo, & evidenter demonstrentur; nec requiri ut omnia theoremata ex unico principio deducantur; nec expedire, ut in omnibus moralibus veritatibus ea resolutio fiat: non videtur satis tenuisse vim, & efficaciam rationis S. Thomæ Non enim hic agitur de certa, & evidenti theorematum demonstratione, quæ haberi non possit, nisi ad unum aliquod principium omnino primum demonstrationes resolvantur; fatemur namque, id sine tali resolutione pluries haberi, si principia cætera sint nobis per se nota. Sed cardo difficultatis in eo est, an ulla essent principia moralia per se nota, si fingatur, nullum esse principium omnino primum? Id negat S. Thomas, & demonstrativa ratione probat. Ac certe intelligere minime possumus, ita Finettum scripsisse, postquam loc. cit. c. 6. subscripserat S. Thomæ docenti, *primum præceptum legis naturæ* esse illud, *bonum est prosequendum, malum vitandum.* Non erat ergo, cur eis subscriberet, qui multiplicia principia juris naturalis omnino prima constituerant.

vitæ, membrorumque conservationem: lex, inquam, illa neque *prima* est, & *fundamentalis* lex naturæ, neque, prout ab illo statuitur, ullo modo esse lex naturæ potest. Non est quidem *prima, & fundamentalis*: nam præsupponit legem naturæ de sui *conservatione*; ideo enim quærenda est pax, aut belli auxilium, auctore Hobbesio, ut quisque seipsum conservet; lex vero conservandi seipsum supponit legem amandi se. Neque etiam lex illa dici potest lex naturæ eo modo, quo ab Hobbesio constituitur. Licet enim lege naturæ teneamur conservare nos ipsos (1): non tamen ita tenemur, ut pro nostra conservatione omnia nobis liceant, nec quidquam liceat, si conservatio nostra periclitetur; ita enim non liceret, pro Deo, & pro Patria in discrimen vitæ venire; obstaret enim lex præcipiens sui conservationem; & quisque posset aliorum jura invadere, si semel putaret, ita requiri ad vitæ suæ, membrorumque conservationem (2).

278 Insuper proclivitas, quam Hobbesius in hominibus ponit ad mutuo sese lacessendum in statu naturali, ex qua infert, statum hominum extra societatem esse statum *belli omnium in omnes*, ideoque belli auxilia quæri debere, si pax cum aliis haberi nequeat: proclivitas, inquam, illa in eo qui invadit alium, ut ipsum privet jure, quod habet ad propriam conservationem, non est à natura ut à Deo constituta, sed est à naturæ depravatione: nam Deus naturæ auctor creavit homines, non ut mutuo sese lacesserent, sed ut se invicem amarent; nec bellum est ex primaria intentione naturæ, sed tantum in subsidium, si quis aliorum injuste invadat jura (3), ut infra magis declarabimus.

---

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7.

(2) Quam facile id eveniret in systemate Hobbesii! is enim de Cive c. 1. §. 12. ad naturalem hominum proclivitatem ad se mutuo lacessendum, addit in statu naturali *jus omnium in omnia, quo alter jure invadit, alter jure resistit*, unde infert, in eodem statu fuisse *bellum omnium in omnes*. Quod si talis erat status hominum naturalis, peto, an homines in societatem coeuntes exuerint, necne, statum illum? Si non exuerunt, igitur & in societate viget *jus omnium in omnia*, & potest alter *jure invadere*, alter *jure resistere*, vigetque *bellum omnium in omnes*. Si exuerunt, nulla igitur extat amplius lex naturalis, cum antiquatum jam fuerit primum, & fundamentale ejus præceptum. Hæc sane erat Hobbesii mens, qui nihil justum, aut injustum agnoscebat, ante civilis legislatoris imperium, ut supra dictum est §. 171.

(3) Vide not. super.

279 Ad hæc, cum Hobbesius conservationem vitæ, & membrorum agnoscat tamquam primum principium totius legis naturalis, ad quod cætera præcepta ejusdem legis referri debeant; in Epicureorum labitur systema, omnia concludentium hujus vitæ finibus, atque statuentium prosequutionem voluptatis, & doloris fugam tanquam criterium ad dijudicandum, quid prosequi, quidve aversari debeamus (1). Et sane quid aliud expectandum erat Hobbesio, qui animæ spiritualitatem, libertatemque negabat? Impium igitur est Hobbesianum systema de lege naturæ, ejusque *fundamentali* principio.

280 Demonstratur 3. p. adversus Puffendorfium. Ac I. qui-

(1) Confer Gassend. in Animadv. in Laert. de Canonic. Epic. tom. 1. pag. 258. ubi quatuor circa affectiones describit Epicuri canones: 1. *ea voluptas, quæ nullam habet adnexam molestiam, amplectenda est.* 2. *ea molestia, quæ nullam habet voluptatem adnexam, fugienda.* 3. *ea voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit, fugienda.* 4. *ea molestia, quæ aut majorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.* Genuensis, qui beatitudinem hujus vitæ in eo reposuit, *ut corpus sine dolore, & animus sine ægritudine sit*, Metaph. tom. 4. c. 10. §. 2. & l. 1. de jur. & offic. c. 1. §. 5. ut diximus §. 101. in not. *Multa* ut se purgaret ab Epicurismo, in §. 2. cit. notam apponit, atque ait: » Divexarunt quidam hanc naturalis felicitatis definitionem velut Epi» cuream. Imperite: nam felicitatem cum causa felicitatis efficiente » turbaverunt, quas res oportet esse secretas. Felicitas in conscientia » voluptatis posita est: quæ causa id efficiat, investigandum est philo» sopho perdiligenter. Sola enim vera virtute duce obtineri posse, in » 3. part. demonstravimus.“ Divexationem illam fuisse justam, quisque perspiciet, si animadvertat, & ipsos Epicureos non exclusisse virtutes, & quidem veras, à ratione causæ efficientis felicitatem. Id constat ex Epist. Epicuri ad Menœceum apud Laertium l. 10. ubi post enumerata ea, quæ ad vitam jucunde transigendam necessaria putabat: » Horum, inquit, omnium initium, maximumque bonum prudentia » est. Quocirca philosophiam quoque prudentia antecellit, ex qua re» liquæ virtutes omnes oriuntur . . . virtutes enim suavi, & jucundæ » vitæ conjunctæ sunt, jucundaque vita separari à virtutibus nequit.“ Quid ergo proficit Genuensis, ut definitionem suam ab Epicurismo purget? Jam diximus §. 72. not. *Epicurum* cum S. Thoma, Epicureos diligenter coluisse virtutes; sed quia illas colebant voluptatis percipiendæ causa, sive ne dolore corporis, aut animi molestia afficerentur, hoc ipso errabant, felicitatem, seu finem ultimum, ut & Genuensis facit, in voluptate reponentes. Ejus igitur definitio ne latum quidem unguem ab Epicurea distat.

dem *socialitas* lex naturæ *prima*, & *fundamentalis* esse non potest: nam ipse Puffendorfius de jur. nat. & gent. l. 7. c. 1. §. 2. subscribit Hobbesio docenti, homines ex amore sui in societatem coivisse; additque, voluntatem non ferri nisi in bonum, quod est ipsius objectum. *Socialitas* ergo, fatente Puffendorfio, nititur amore, quo homo amat seipsum, isque amor pendet ab alio principio naturali, quo voluntas fertur in bonum. Quomodo igitur *socialitas* est *prima*, & *fundamentalis* lex naturæ?

281 II. Si universa lex naturæ *socialitate* tamquam fundamento niteretur, *socialitas* deberet esse fons, & origo omnium officiorum, ad quæ homines lege naturæ tenentur. Fac vero, hominem aliquem extra societatem vivere, uti certe vixit Adamus, antequam Deus formaret Evam; itemque S. Joannes Baptista degens in deserto, aliique sancti viri Anachoretæ ab omni hominum consuetudine sejuncti; uti quoque plerique alii sylvestres, ac barbari vixerunt (1). Petimus, an hi lege naturali essent adstricti, vel ab ea soluti? Quis dixerit, eos à lege naturæ in eo statu fuisse solutos? Nam si id affirmetur, habebimus homines *exleges*, quos tamen Puffendorfius ipse non patitur (2), & recte quidem; si enim illi fuissent *exleges*, nihil non ipsis fuisset licitum, potuissentque impune in omne scelus contra Deum, & seipsos effundi: quod animus horret dicere, nisi ad principia Hobbesii sit conformatus, omne fas, & nefas ab una tantum civili lege derivantis. Erant igitur illi adstricti lege naturali. Vivebant autem extra societatem. Non ergo *socialitas* est lex naturæ *fundamentalis*; ablato enim fundamento, universa quæ eo nituntur, corruant necesse est (3).

---

(1) Vide S. Thom. 1. Polit. lect. 1. (2) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 1.

(3) Mire hoc argumentum vexabat Puffendorfium: utque suis responderet adversariis exprobrantibus à se in lege naturali explicanda, omissa fuisse præcipua hominum officia, nimirum erga Deum, & seipsos, de quibus officiis in opere de jur. nat. & gent. ut primum editum ab ipso fuerat, in nullo libro, aut capite agendum existimaverat; multa quæsivit effugia: ac 1. respondet in Specim. contr. c. 5. §. 25. sibi *præcipue propositum esse*, *officia hominum erga se invicem tradere*. Si *præcipue*, debebat saltem indicare, unde officia erga Deum, & seipsum manarent: nam hæc certe præcipua hominis officia sunt. Si vero intendebat tradere tantum *officia hominum erga se invicem*; cur opus suum inscripsit *de jure naturæ*, & *gentium*? nam qui agendum instituit de jure naturæ, & postea prætermittit ea, quæ in jure naturæ præcipua sunt, næ is primas ignorat Dialecticæ leges? Sed quid de Dialectica cum Puffendorfio, qui ne scho-

282 III. Si omnia officia ex socialitate fluunt, explicet

---

lasticus appareret, omnem ratiocinandi artem, methodumque contempsit? In eadem erat classe Barbeyracius, qui propterea in not. 5. ad cit. §. 15. c. 3. l. 2. Puffend. de jur. nat. & gent. irrito conatu tentat eum excusare, quamvis ab ipso in dogmate recedat.

Respondet 2. in cit. §. 25. Specim. caput de Religione naturali spectare ad Philosophiam primam, sive ad Theologiam naturalem. Mirum! primum hominis officium, cultus nempe Dei, ad Ethices tractationem non pertinet! Ne ipse quidem Epicurus ita deliravit: nam in Epist. ad Menœc. apud Laert. l. 10. inter elementa honeste vivendi, in primis recenset Dei cognitionem. Sane cultus Dei, & Religio ad justitiam pertinent: nam quid justius quam primo Enti summe præstanti, summeque benefico cultum exhibere? Consideratio autem justitiæ non ad Philosophiam primam, sed ad Ethicam pertinent.

Respondet 3. in l. 1. de offic. hom. & civ. c. 3. §. 13. præcepta adversus Deum, & seipsum non *directe* quidem, sed *indirecte* à socialitate fluere. Adverbia hæc *directe*, & *indirecte* in aliquo Scholasticorum barbara essent, in Puffendorfio Tullianæ sunt elegantiæ. At si officia erga Deum fluunt *indirecte* à socialitate, quæ est lex *fundamentalis*, quare Puffendorfius l. 2. de jur. nat. & gent. c. 4. §. 3. ait: »Inter sententias, quas *primitus* imbibisse omnes homines oportet, *princeps* est ea, quæ circa Deum tamquam Creatorem, & Rectorem »hujus universi versatur?« Eritne *indirecta* cognitio *princeps*, & *primitus* imbibita? Si officia erga nos ipsos *indirecte* fluunt à socialitate tamquam fundamento, cur idem Puffendorfius ib. c. 3. §. 24. scribit: »Distributio juris naturalis isthæc nobis videtur expeditissima, ut *primo loco* consideretur, quomodo ipsius jussu quis sese debeat gerere adversus *seipsum*; deinde quomodo adversus *alios homines*.« Fluetne à socialitate, quæ est cum *aliis hominibus*, id quod *primo loco* consideratur in distributione juris naturalis? Hi sunt egregii Philosophi, qui uno eodemque loco secum ipsi tam evidenter pugnant? Nihilominus Genuensis Metaph. tom. 4. l. 1. c. 9. §. 8. partes Puffendorfii suscipiens, ait: »Officia hominis adversus seipsum ex illo principio recte derivantur... Officia vero adversus »Deum præclare ex eodem principio deduxeris.« Præclare equidem: namque non Religioni socialitatem hujus vitæ, sed socialitati hujus vitæ Religionem facit inservire. Ita enim Puffendorfius de offic. hom. & civ. l. 1. c. 3. §. 13. »Sola ratio in Religione ulterius progredi nequit, quam quousque *illa inservit* promovendæ »tranquillitati, & socialitati hujus vitæ.« Quo dici indignius nihil potest; sed consectarium erat sententiæ Puffendorfianæ in Præfat. dicti oper. de offic. §. 6. *finis disciplinæ juris naturalis ambitu hujus vitæ includitur*. Quam sententiam & ipse Barbeyracius in not. ib. execratus est: nam Machiavellismum sapit.

Puffendorfius, unde fluat obligatio actuum internorum, ad quos efficiendos, aut vitandos lege naturæ tenemur (1). Explicet qua ratione ex socialitate fluat prohibitio matrimonii inter personas proxima necessitudine conjunctas, præsertim inter ascendentes, & descendentes in recta linea; quam prohibitionem esse juris naturæ, ipsemet Puffendorfius concedit (2). Explicet, quomodo investigationem juris naturalis non in alio, quam in ipsa hominis natura, conditione, & inclinationibus reposuerit, sive in amore, studioque omnibus modis seipsum conservandi (3). Explicet, quid factu opus sit, si officia erga nos cum iis, quæ erga alios homines habemus, collidantur. Sed quid explicationes ab eo requirimus, qui omnia hac in re præposteris verbis, perversis sententiis, perturbatoque ordine miscet?

283 Accedimus ad 4. prop. p. à qua paucis nos expedimus; quis enim, nisi qui futuram deneget vitam, concedet Thomasio, primam, & fundamentalem naturæ legem non excedere præsentem vitam, in iisque sistere, quæ eam faciunt maxime diuturnam, & felicissimam? Ad Epicureorum gustum hæc lex maxime est (4); illosque omnes reos habet violati juris naturæ, qui mortem potius oppetere maluerunt, quam transgredi divina mandata; non enim ii persequuti sunt ea, quæ vitam præsentem reddunt maxime diuturnam, nec vitarunt ea, quæ mortem accelerant, ut Thomasius vitanda præscribit (5).

284 Ad quintam prop. partem quod pertinet, etsi Wolfianum principium intellectum de vera perfectione posita in adsequutione debiti finis, præsertim ultimi, concors cum veritate sit; lex enim naturæ, cum sit à Deo menti nostræ impressa, ordinatissima est, & ad ipsum Deum ultimum finem nos du-

---

(1) De hisce actibus Puffendorfius non erat admodum solicitus. Vide quæ diximus §. 25.

(2) De jur nat. & gent. l. 6. c. 1. §. 32.

(3) Loc. cit. l. 2. c. 3. §. 14. late de his Puffendofius, ex quibus concludit: *Amorem proprium naturaliter homo prius sentit, quam aliorum curam, eo ipso quod naturaliter prius est sentire sui quam aliorum existentiam.* Si amor sui prior est aliorum cura, si lege naturæ tenemur amare nos ipsos, & proximum ut nos ipsos, non plus quam nos ipsos; quomodo socialitas est fundamentalis lex naturæ?

(4) Vide laudatam Epist. Epicuri ad Menœceum apud Laert. loc. cit.

(5) Non immerito Samuel Coccejus diss. 11. c. 4. §. 24. ait: *hoc systema Thomasii plures habuit sectatores*: nam stultorum infinitus est numerus, qui nihil magis amant, quam in hoc mundo diu, felicissimeque vivere.

cit, ad quem quo magis appropinquamus, eo magis perficimur; est enim ipse cujuscumque perfectionis fons (1): si tamen ad mentem Wolfii intelligatur, non solum non est *primum, & fundamentale legis* naturæ principium, neque absolute dici potest continere præceptum, sed ad Epicuri systema proxime accedit. Et quidem quod non sit *primum, & fundamentale* principium constat: nam *primum, & fundamentale* principium in unaquaque scientia debet esse per se notum, & indemonstrabile; si enim demonstratur, jam per aliud principium demonstratur; ideoque non est primum. Principium autem Wolfianum non est per se notum: nam ut intelligi possit, explicanda, probandaque est illa *determinatio actionum liberarum*, demonstranda libertas *actionum liberarum*, demonstranda existentia *rationum finalium, per quas determinantur naturales*, necnon *actionum tendentium ad perfectionem hominis ejusque status*. Hæc omnia & ipse Wolfius demonstranda censuit (2), probationeque certe indigent, cum non statim constent perceptis terminis. Non est igitur principium illud per se notum. Quare nec est indemonstrabile: nam quod non est notum per se, ut innotescat, indiget aliquo alio principio, per quod fiat notum. Deficit ergo Wolfianum prin-

(1) Hinc rursus falsum deprehenditur quod Puffendorfius docet in cit. Præfat. §. 6. »disciplinam juris naturalis hominem formare, prout »hanc vitam cum aliis sociabilem exigere debeat. Et juris naturalis »scita ad forum dumtaxat humanum adaptari, quod ultra hancce »vitam sese non extendit.“ Impiæ sane sententiæ, ut recte Leibnitius in Epist. ad Molanum.

(2) In Phil. pract. principium illud, de quo agimus, statuit §. 179. jamque præmiserat §. 154. *Lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales*. At vero §. 46. probaverat existentiam finium rerum naturalium. »Usus, inquit, facultatum animæ, & organorum corpo»ris sunt fines à Deo intenti; etenim usus rerum naturalium omnium »sunt fines à Deo intenti.“ Quæ propositio etiam probatione indiget. Ibid. §. 45. explicavit, ac probavit usus, quos habent facultates animi, & organa corporum. Perspicitis, quot, quantæque explicationes, & probationes necessariæ sunt, ut intelligatur Wolfianum illud principium, quod nihilominus obscurum remanet. Quomodo igitur esse potest per se notum, & indemonstrabile? Nec juvat respondere, Wolfium non pro vulgo, sed pro viris doctis scripsisse: nam 1. eæ notiones etiam viris doctissimis non sunt per se notæ. 2. primum principium legis naturalis debet esse omnibus notum, cum & ipsa lex naturalis sit omnibus nota.

cipium saltem à ratione principii *primi*, *& fundamentalis.*

285 Deficit etiam à ratione absoluti præcepti respectu singulorum hominum: nam si lex naturæ præciperet singulis omnes actiones, quamlibet perfectionem cum animi, tum corporis nostri, eorumque status respicientes quoquo modo; singuli teneremur lege naturæ universas scientias, artes, disciplinas, facultates, opes, commoda non solum acquirere, sed etiam augere, jugiterque perficere (1). Hæc siquidem ad perfectionem animi corporisque faciunt; consistunt enim in usibus facultatum anima, organorumve corporis, qui, Wolfio auctore, sunt fines naturales à Deo intenti, per quos determinari debent actiones liberæ. Omnia igitur respectu singulorum præcepto concluderentur, nec ulla essent opera consilii (2). Præterea, quisquis alicujus scientiæ, aut artis acquisitionem negligeret, statim reus esset violatæ legis naturalis; non enim uteretur facultatibus animi ad fines naturales à Deo intentos. Paradoxa hæc sunt Wolfiana, contraque omnium opinionem (3). Quis enim Philosophos v. g. condemnabit ob neglectam artis sutoriæ, pistoriæ, &c. acquisitionem? Quis artifices, ob neglectam Philosophiam?

---

(1) Ita quidem Wolfius affirmat loc. cit. §. 172. & §. 209. & §. 451. & §. 471.

(2) Demonstrat utique S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 3. omnes actus virtutum, *inquantum sunt virtuosi*, pertinere ad legem naturæ: nam ad ipsam pertinet omne illud, ad quod homo inclinatur secundum suam naturam: naturalis autem inclinatio hominis est ad agendum secundum rationem: quod est agere secundum virtutem. Sed aliud est, omnes actus virtutum, quatenus sunt virtuosi, esse de lege naturæ; aliud est, ad omnes quoscumque actus virtutum eliciendos, nos teneri ex lege naturæ. Omnes quidem actus virtutum sunt de lege naturæ, qua ratione sunt virtuosi, quia sunt secundum rationem; at non omnes sunt præcepti lege naturæ: nam opera consilii sunt quidem conformia legi naturæ, non tamen sunt præcepta lege naturæ. Subdit idem Angelicus: »Si loquamur de actibus virtuosis se» cundum seipsos, prout scilicet in propriis speciebus considerantur, » sic non omnes actus virtutum sunt de lege naturæ. Multa enim » secundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat; sed » per rationis inquisitionem ea homines adinvenerunt quasi utilia ad » bene vivendum.«

(3) Scimus, Daries Wolfii sectatorem docuisse, principium illud perinde valere apud Wolfium, ac illud aliud communiter receptum: *bonum est prosequendum*, *malum fugiendum.* Id quam sit falsum, mox videbimus. Nunc vero, si nihil aliud valebat principium illud

286 Ferri autem hæc utcumque possent, nisi Wolfianum principium ad Epicurismum planam sterneret viam. Ita autem esse, præter ea quæ supra tetigimus (1), propositiones ipsæ, quæ ex eo principio constituto Wolfius deducit, aperte ostendunt. Ne singulas persequamur (quod immensi esset tædii in tanta ejus operis obscuritate, atque prolixitate), satis erit principium ipsum expendere (2). Itaque ex Wolfiano principio, *determinatio actionum liberarum est per easdem rationes finales, per quas determinantur actiones naturales.* Ut igitur constet de rationibus finalibus actionum liberarum, expendendæ sunt rationes finales actionum naturalium. Petimus ergo, ecquænam sint hæ rationes finales actionum naturalium, per quas determinandæ sunt actiones liberæ? Equidem rationes finales actionum naturalium ad lineam moralem seipsis non pertinent: nam si pertinerent, jam essent rationes finales actionum liberarum, quæ solæ ad lineam moralem pertinent; ideoque determinatio actionum liberarum fieret per rationes finales actionum liberarum, non per rationes finales, per quas determinantur actiones naturales, ut Wolfius dicit: & foret petitio principii; explicaretur enim idem per idem, id est, determinatio actionum liberarum per determinationem earumdem liberarum actionum. Rationes igitur finales, per quas determinantur actiones naturales, de quibus loquitur Wolfius, ad lineam *physicam* dumtaxat pertinent (3). Si ergo determinatio actionum liberarum facienda est per easdem rationes finales, per quas determinantur actiones naturales; bonitas moralis actionum nihil est aliud quam bonitas *physica.* Hanc bonitatem *physicam* Epicurei non admitebant modo, sed in ea omnem honestatis ideam reponebant; statuebant enim summum hominis bonum in voluptate cum animi, tum corporis esse repositam. Wolfianum igitur principium recta ducit

---

Wolfianum, quid erat necesse rem involvere tot obscuris propositionibus, quæ Delio egent notatore?

(1) §. 27. & in notis subjectis.

(2) Vide quæ adversus Wolfium scripsit Finettus de princ. jur. nat. & gent. l. 7. c. 5. & Swiecickius de jur. nat. & gent. part. 1. c. 4. quibus in locis multas Wolfii propositiones expendunt.

(3) Revera Wolfius non aliam quam *physicam* actionis bonitatem videtur agnovisse: nam in Phil. pract. univ. §. 53. citat definitionem actionis bonæ traditam in Psychol. Empirica §. 554. *bona actio est, quæ nos, statumque nostrum externum perficit.* Ibi autem loquitur de sola perfectione *physica.* Videtur etiam de statu *interno* animi parum curare, cum virtutem definit ex perfectione status nostri *externi.*

ad Epicurismum, omnemque destruit bonitatem moralem.

287 Atque ut clarius hujusce rationis deprehendatur vis, & Wolfiana fraus tot ambagibus per longam propositionum seriem tecta, per quas multos decepit (1), uno veluti ictu oculi appareat; petimus, quænam sint rationes finales, per quas determinantur actiones naturales? Non aliæ sane nisi illæ, ad quas eædem actiones naturales sunt determinatæ à natura. Sic oculi determinati sunt à natura ad videndum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum, manus ad prehendendum, scribendum, &c. palatus ad gustandum, os ad loquendum, potentia generativa ad propagationem, &c. Si ergo determinatio actionum liberarum fieri debet per easdem rationes finales, per quas determinantur actiones naturales, atque hoc est primum, & fundamentale principium legis naturæ, quo uti debemus ad discernendum, quid honestum sit, & rectum, quid inhonestum, & turpe; possumus libere uti oculis ad videndum quodlibet objectum, licet visio occasionem proximam peccandi præbeat; possumus libere uti auribus ad audiendos quoscumque sermones, licet turpes sint, aut aliorum proscindant famam; possumus quocumque ire, etiam ad lupanaria; quodcumque prehendere, etiam rem alienam; quodcumque scribere, etiam contra bonos mores, & Religionem, & Fidem; possumus epulari non modo intra, sed contra legem; obscœnos etiam, iniquosque proferre sermones; generandi potentiam quocumque modo exercere, dummodo generatio non impediatur. Nam qui hæc facit, fines naturales horum sensuum, & potentiarum non prætergreditur; actiones enim illæ naturales sunt, nec peccati rationem induunt, qua ratione sunt naturales, sed quatenus sunt contra legem. Si ergo actiones liberæ determinandæ sunt per rationes finales actionum naturalium, in actionibus sensuum, & potentiarum corporearum numquam erunt peccata: & tunc solum peccabitur, cum impedientur actus, ad quos iidem sensus, & potentiæ sunt à natura determinatæ.

288 Nec respondere Wolfius pôsset, homines debere moderari actiones illas ad rectam rationem. Nam 1. si ita est,

(1) In hunc offendit scopulum Genuensis, si tamen velimus eum à Wolfianis absolvere erroribus. Nam tom. 4. Metaph. c. 14. §. 26. *Nemo*, inquit, *ante Wolfium leges, & jura hominum naturalia copiosius, & è suis fontibus penitius haustas docuit.* Vel Genuensis Wolfium non legit, vel ejus principia, & systema non penetravit, vel in eodem hærebat luto: quod propositiones indicare videntur, etsi sæpe sit varius.

erit recta ratio primum principium, ad quod expendi debeat honestas, vel turpitudo actionum liberarum; non erit conficta illa determinatio earum per rationes finales actionum naturalium. 2. Meminisse debuit Wolfius, à se mordicus fuisse defensum systema Leibnitianum harmoniæ præstabilitæ, qua ita anima est conjuncta corpori, ut motionibus corporis respondere debeant harmonicæ actiones animæ, & actionibus animæ harmonicæ motiones corporis, quin corpus in suis motionibus pendeat ab anima, & anima in suis actionibus pendeat à corpore (1). Quid ergo efficiet recta ratio respectu motionum sensuum, potentiarumque corporearum, si corpus in iis nullo modo pendet ab anima? Vide, quo pacto colligatum sit systema totum Wolfii, & quomodo harmonia ipsa præstabilita ducit ad Epicurismum. 3. Nota, Wolfium non dicere, actiones liberas esse à nobis determinandas per rationes finales actionum naturalium: id quod dicere non poterat de actionibus, quæ pendent ab organis corporis; statuerat enim, corpus in suis motionibus non pendere ab anima. Ait ergo: *determinatio actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, est principium cognoscendi legum naturalium*; ut non quidem determinatio, quæ à nobis fiat, sed determinatio jam prævisa à Deo ob harmoniam præstabilitam, ob quam hoc corpus fuit conjunctum huic animæ, quia actiones hujus animæ respondebant motionibus hujus corporis, & vicissim, est illa determinatio per easdem finales rationes, per quas determinantur actiones naturales, estque principium eas cognoscendi. Perspicuum ergo est, Wolfium revera in actionibus, quæ pendent à corpore, imo in actionibus ipsis, quæ ab anima pendent, nullam agnovisse, neque agnoscere potuisse determinationem, quæ à nobis fiat, nisi vale diceret harmoniæ præstabilitæ. Nam si aliqua determinatio in corporis motionibus fieri posset ab anima; & si aliquam determinationem anima posset facere in suis actionibus, quæ non esset harmonica motionibus corporis: jam tota corrueret harmonia præstabilita (2). Longius fortasse quam erat necesse, in

(1) Vide quæ diximus tom. 5. §. 989. sqq.

(2) Rationes, quas urgemus, tam prævalidæ videntur, ut vix patere exitus Wolfianis possit. Sed eas apprime confirmant ipsæmet propositiones Wolfii, quas descripsimus §. 27. »de evitanda quacumque »molestia quamtumlibet exigua; de obligatione ad vitam jucunde »transigendam; de pulchritudine naturali conservanda, quærendaque »etiam artificiali.« Addimus quod ille scribit in Præfat. Phil. pract.

Wolfii confutatione processimus; sed opportunum duximus, ut hujusce tenebrosi Philosophi ambages panderentur.

289 Brevibus à sexta prop. parte nos expedimus. Nam status integritatis, uti status naturæ lapsæ, nobis non innotescunt nisi per revelationem: nunc autem principium naturalis legis quærimus cognoscendæ lumine naturali.

290 Pari modo pauca dicimus de septima parte propositionis: nam ordinis custodia communis est omnibus rationis actibus cum speculativis, tum practicis; sicut enim peccata quæ adjunctum non habent speculativum mentis errorem, deordinationes sunt practicæ; ita mentis errores speculativi deordinationes sunt speculativæ. Ordo igitur, ejusque custodia non sunt proprium principium cognoscendæ legis naturalis; alioquin omnis error etiam speculativus violatio esset juris naturæ.

291 Postremam prop. partem iisdem S. Thomæ verbis probandam, explicandamque ducimus. Sic igitur habet (1): „Sicut „ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter; ita „bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ ra„tionis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter „finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium „in ratione practica est, quod fundatur supra rationem boni; „quæ est, *Bonum est quod omnia appetunt.* Hoc est ergo pri„mum præceptum legis, quod *bonum est faciendum, & pro„sequendum, & malum vitandum* (2); & super hoc fundan-

univ. „In hac fœcunda sparguntur semina, quæ *lætam segetem*, mes„sem uberrimam in sequentibus promittunt. Ampliorem demonstra„mus *libertatis* in actiones humanas influxum, quam vulgo agnosci„tur, præsertim quoad usum facultatum inferiorum, & operationes „intellectus.“ Quid illa *læta seges*? quid amplior ille *influxus libertatis*? Suntne hæc effata Christiano Philosopho digna, & non potius Epicureo?

(1) 1. 2. q. 94. a. 2.

(2) Finettus de princ. jur. nat. & gent. l. 7. c. 5. expendens hoc principium, quod vocat *Scholasticorum*, putat, esse non posse proprium & intrinsecum principium juris naturalis, propterea quod applicari potest, & reipsa applicatur actionibus nedum bonis, sed etiam malis: ac præterea, quia lex naturalis non obligat ad prosequenda omnia, & singula bona. Dum hæc scribit, in Angelicum Præceptorem scribit, quem tamen sequi se velle ostendit. Nam si principium illud non est proprium, & intrinsecum principium juris naturalis; erravit ergo S. Thomas docens, illud esse primum præceptum legis. Expendamus censoris animadversiones. Principium, *inquit*, illud appli-

»tur omnia alia præcepta legis naturæ, ut scilicet omnia illa »facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, »quæ ratio practica naturaliter apprehendit, esse bona humana. »Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem ratio»nem contrarii; inde est, quod omnia illa, ad quæ homo »habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit »ut bona, & per consequens ut opere prosequenda, & con»traria eorum ut mala, & vitanda (1). Secundum igiur or»dinem inclinationum naturalium est ordo præceptorum legis

---

catur etiam malis actionibus. Itane vero? Igitur Deus principium indidit nobis actionum malarum: nam quod principium illud sit inditum à Deo, abs dubio est; est enim per se notum lumine naturali intellectus, quo sumus à Deo perfusi. Nescivit Finettus distinguere inter id quod est à Deo auctore naturæ, & id quod est ab homine agente contra institutum naturæ. Ab eo qui peccat, non applicatur principium illud, quod inditum est à Deo; imo in hoc consistit peccatum, quod homo pervertit principium illud, & quod est malum, appetit tamquam bonum. Perstat ergo illud principium non solum ut proprium, & intrinsecum, sed ut primum legis naturalis præceptum. Vide S. Thom. Opusc. 4. c. 1. ubi distinguit legem naturæ à lege concupiscentiæ. De priori ait: »Hæc nihil aliud est, quam »lumen intellectus insitum nobis à Deo, per quod cognoscimus quid »agendum, & quid vitandum. Hoc lumen & hanc legem dedit Deus ho»mini in creatione." En bonum prosequendum, & malum vitandum, quod lumine intellectus innotescit. Quid hic bonum apparens, quod peccantes prosequuntur? De posteriori ait: »Licet Deus in creatio»ne dederit homini hanc legem, scilicet naturæ, diabolus tamen su»pe seminavit aliam legem, scilicet concupiscentiæ, qua caro concu»piscit adversus spiritum." Hæc non est lex naturæ à Deo conditæ, sed lex naturæ depravatæ à diabolo superseminata. Finettus utramque confundit. Sed lex naturæ, inquit Finettus, non obligat ad prosequenda omnia, & singula bona. Miseret animadversionis; quasi nempe S. Thomas in eo statuendo primo legis præcepto ad singula respexerit bona, & non ad finem ultimum, propter quem agens agit. Si Finettus diligentior fuisset in volvendis Scholasticorum, in primisque S. Thomæ libris, næ abstinuisset ab affingenda absurda opinione Angelico Præceptori.

(1) Loquitur S. Doctor de inclinatione naturali, qua ratione naturalis est, non qua corrupta, & depravata per peccatum præsertim originale. Quod autem id, ad quod homo habet naturalem inclinationem, quatenus hæc naturalis est, sit honestum, & rectum, evidens est: nam inclinationes naturales sunt immediate à Deo, qui solus est auctor naturæ, & omnium quæ naturam consequuntur naturaliter.

„naturæ. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secun„dum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, „prout scilicet quælibet substantia appetit conservationem sui „esse secundum suam naturam: & secundum hanc inclinationem „pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis con„servatur, & contrarium impeditur. Secundo inest homini in„clinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua „communicat cum cæteris animalibus: & secundum hoc di„cuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia „docuit, ut est commixtio maris, & fœminæ, & educatio li„berorum, & similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad „bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria; „sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veri„tatem cognoscat de Deo (1), & ad hoc quod in societate „vivat (2): & secundum hoc ad legem naturalem pertinent „ea, quæ ad hujusmodi inclinationem spectant, ut puta quod „homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum qui„bus debet conversari, & cætera hujusmodi, quæ ad hoc spe„ctant (3).“

Deus autem non potest inclinare ad malum, cum non sit auctor malorum.

(1) Ex Dei cognitione sequitur ejus cultus; si enim Deus infinite perfectus est, atque ab ipso habemus quidquid sumus, & quidquid boni desiderare possumus ab ipso nobis, & in ipso est; quis non eum colet?

(2) Locus est hic aptissimus pro socialitate ponenda inter naturæ leges; tantum enim abest, ut socialitas possit esse primum legis naturæ principium, quin præsupponat inclinationem & ad propriam conservationem, & ad conservationem speciei humanæ; homines enim ideo quærunt societatem, ut se conservent; & nisi conservaretur species humana, periret societas politica.

(3) Videant Philosophi recentiores, qui Grotios, Puffendorfios, Wolfios, &c. admirantur tamquam è cœlo delapsos ad restituendum jus naturæ, an apud ipsos reperire valeant sublimiorem, verioremque doctrinam? Paucis complexus est S. Thomas verissime, dilucidissimeque, quod illi attingere non valentes, in turpes impegerunt errores. Et quoniam in articulum *Aristotelisme* Encyclopediæ incidimus, qui facere ad rem videtur, nonnulla ex ipso describimus, quæ pro causa Scholasticorum faciunt, ut tandem, si fieri possit, erudituli nostri ab iis contemnendis supersedeant. „La Theologie Scholastique . . . a beaucoup contribué aux progrès de la Metaphysique: *Sur „tout la bone Morale a paru dans un nouveau jour.* Nos livres les

292 Constitutum igitur habemus tamquam primum, & universalissimum legis naturæ principium, illud practicum axioma, *bonum est prosequendum, malum fugiendum.* Ex quo tria manant naturalia hominis officia: primum, decenter vivendi erga seipsum *ad sui conservationem*; secundum, decenter vivendi in communicatione naturæ cum aliis ad conservationem speciei humanæ, & liberorum educationem; tertium, vivendi pie ad Deum, & juste ad alios homines, cum quibus versari debet. En plena, omnibusque numeris absoluta lex naturalis (1).

293 Ad primum respondemus, proprietates primi principii omnes reperiri in principio S. Thomæ: nam omnibus omnino hominibus certum exploratumque est, bonum esse prosequendum, malum fugiendum. Hoc etiam est omnium primum, & ex ipso

---

» plus communs sur la Morale valent mieux, que ceux du divin Pla» ton: & Bayle a eu raison de reprocher aux Protestants de ce, que » ils blamoient tant la Theologie Scholastique. L' Apologie de Bayle » en faveur de la Theologie Scholastique est le meilleur trait, qu' on » puisse lancer contre les heretiques, qui l'attaquent." *Theologia Scholastica multum contulit ad Metaphysicæ progressum, maxime vero ad Moralem rectam, quæ nova perfusa luce visa est. Communiores apud nos morales libri plus valent, quam illi divini Platonis. Bælius autem merito reprehendit Protestantes, quod tam acerbe in Scholasticam Theologiam insurrexerint. Bælii Apologia pro Theologia Scholastica nihil est melius, quod hæreticis eam impugnantibus possit opponi.* Opus non habemus Bælii Apologia, ubi libri ipsi Scholasticorum loquuntur, præsertim vero opera S. Thomæ sole clariora. Nihilominus & inimicorum attestatio maxime valet, cum edita fuerit veritate cogente.

(1) Ad hæc reducitur Theocratia moralis Shute: nam lex naturæ est à Deo, qui eam homini dedit in creatione per lumen naturale intellectus, & rursus per Scripturam, ut homo retraheretur à vitiis vigentibus contra legem naturæ per legem concupiscentiæ. Vide S. Thomam Opusc. cit. Ad hæc etiam reducitur principium Hemmingii, de quo diximus §. 266. Item principia Burlamaquii, Winckleri, Heineccii, Buddei, Barbeyracii, & Genuensis, quæ ib. indicavimus; nisi quod hi principia proxima juris naturæ tradiderunt, siluerunt de principio omnium primo; nec de principiis ipsis quæ tradebant, rationes aptas adsignarunt, ut S. Thomas fecit; cui proinde si comparentur in hoc etiam genere disciplinæ, balbutire videntur, ille vero loqui ut juris magister omnia aptissime è suis repetens fontibus. Præconia non conquirimus, quibus S. Doctor non eget, omnem laudem supergressus: doctrina ipsa, quam descripsimus, testimonium perhibet.

omnia præcepta legis naturæ, hominumque officia fluunt, ut demonstratum est (1). Quid autem ad nos de iis recentioribus Philosophis, qui sive inscitia, sive malitia cæcutierunt circa primum principium legis naturæ? An quia ipsi hallucinati sunt, revera nullum extat tale principium? Quod vero dicitur, posse hominum officia colligi ex principiis non omnino primis, nihil efficit: nam ideo ex principiis non omnino primis ea officia proxime colliguntur, quia datur primum principium, ex quo profluunt; nisi enim hoc daretur, nec illa darentur: ratio namque non procedit in infinitum, nec dari possunt principia proxima, & media, nisi detur & primum. Non negamus, periculum errandi non caveri, etiam post cognitum primum illud principium; sed hoc non provenit ex defectu ejusdem principii, sed ex defectu mentis nostræ, præsertim post vulnus ignorantiæ, non valentis inferre ex eo principio universas conclusiones, quæ inferri possunt; qui quidem defectus augetur multo magis per concupiscentias captivantes nos in lege peccati, ut loquitur Apostolus Rom. 7. Inepte autem ex defectu mentis nostræ infertur inutilitas quærendi principium illud, quasi adlaborare non debeamus, ut emergamus ex ignorantiæ tenebris, reducendo, quoad possumus, ea quæ facienda, aut vitanda se offerunt, ad principia practica per se nota, in quibus relucet veritas principii omnino primi.

294 Ad secundum dicimus, ea quæ ex Puffendorfio descripsimus, id unum probare, hominem esse naturaliter animal sociale; quod pridem adseruerat, egregieque probarat S. Thomas (2): nullatenus autem evincunt, socialitatem esse primam, & fundamentalem naturæ legem. Nec aliud probant Tullii, aliorumque auctoritates inductæ.

295 Ad tertium concedimus, felicitatem politicam haberi ex mutua benevolentia, non vero felicitatem quæ consistit in adsequutione finis ultimi, qui Deus est. Imo nisi homines se mutuo ament propter Deum, ut communicent in beatitudine, quæ in solo Deo est, amor non erit veræ benevolentiæ, sed potius concupiscentiæ ob propriam utilitatem.

296 Ad quartum dicendum, nos non excludere à lege naturæ desiderium vitæ, cum jam docuerimus, conservationem propriam esse ex lege naturæ. Neque etiam excludimus desiderium felicitatis, quod nobis est innatum. Id quod in Tho-

(1) §. 291. sq.
(2) 1. Polit. lect. 1. & Opusc. 20. l. 1. c. 1.

masio execramur, est Epicureismus, dum omnem naturæ legem in vita diuturna, & felicissima hic agenda concludit.

297 Ad quintum jam dictum est (1), principium Wolfianum intellectum de vera perfectione sistente in adsequutione debiti finis, præsertim ultimi, verum esse; ad id enim natura inclinat. Sed longe aliud Wolfius intellexit; nimirum de perfectione loquutus fuit ad Epicuri mentem repetentis perfectionem ex voluptate, ad quam hominem factum esse dicebat, ut in ea felicitatem, & beatitudinem consequeretur; & idcirco voluptatem quæreret, dolorem, & miseriam aversaretur. Objectio, quam ex Koëhlero, qui Wolfii epitomen dedit, describit Genuensis (2), ipsa per se loquitur.

298 Ad sextum negamus, hominem in statu tantum integritatis habuisse imaginem Dei, prout consistit in ipsa natura mentis, quæ est apta ad intelligendum, & amandum Deum. Ut enim advertit S. Thomas (3), triplex Dei imago considerari potest in homine: una quidem, quæ dicitur *creationis*, & consistit in ipsa natura mentis, quæ per intellectum, & voluntatem potest Deum imitari, ipsum cognoscendo, & amando; altera, quæ est *gratiæ*, prout homo justus in hac vita actu, vel habitu Deum cognoscit, & amat, licet imperfecte; tertia, quæ est *gloriæ*, prout homo Deum actu cognoscit, & amat perfecte. Adam in statu integritatis primam, & secundam Dei imaginem habuit. Cum vero peccavit, amisit secundam, non autem primam; non enim peccato perdidit naturam humanam; eamdemque primam imaginem servant universi homines, etiam ii qui peccant, quia etiam post peccatum retinent naturam humanam. In prima autem imagine reposita est lex naturæ, quæ est ipsum intellectus lumen, quo discernimus bonum, & malum. Non est igitur necesse, ut revocemur ad statum primævæ integritatis, ut cognoscamus legem naturæ; sed sat est, ut ipsam mentem nostram consideremus; in ea siquidem signatum est lumen vultus Dei, per quod in esse naturæ sumus ad imaginem Dei.

299 Ad septimum respondemus, nos non excludere ordinem à lege naturali; imo dicimus, per eam actus nostros ordinari, & peccata contra ipsam deviationes esse à recto ordine. Sed cum ordo sit etiam in actibus rationis speculativæ, haud possumus admittere tamquam primum legis naturæ principium, illud, *naturalis ordo servandus est.*

(1) §. 284. (2) Metaph. tom. 4. c. 14. §. 12.
(3) 1. p. q. 93. a. 4.

300 Ad octavum respondemus ex S. Thoma (1), verbis illis Christi Domini contineri legem charitatis, quæ propria est legis Evangelicæ, quæ profertur in auxilium legis naturalis. Utique lege naturali tenetur homo Deum super omnia diligere; sed lumine tantum rationis non potest Deum cognoscere nisi ut auctorem naturæ; quare nec potest eum amare nisi ut auctorem naturæ. Ut igitur Deum possit amare amore charitatis, quæ virtus supernaturalis est, prærequiritur lumen supernaturale Fidei, quo Deum cognoscat ut auctorem supernaturalem. In utraque autem lege tam naturali, quam Evangelica primum præceptum *ordine dignitatis*, seu *finis*, *& virtutis* est præceptum amandi Deum super omnia; dignitatis quidem, quia Deus est ultimus hominis finis; virtutis vero, quia per dilectionem Dei homo perducitur ad Deum finem ultimum, eique adhæret. At non est primum *ordine cognitionis*: nam præceditur ab aliis naturæ præceptis, ut dictum est (2). Christus autem loquebatur de præcepto charitatis, & de ordine dignitatis ac virtutis, ut ex Origene S. Thomas observat (3). De quo etiam ordine loquebatur Apostolus (4).

ARTICULUS III.

Utrum lex naturæ sit immutabilis.

301 Demonstrata existentia legis naturalis, primoque ejus cognoscendæ principio, ad ejusdem proprietates expendendas progredimur. Sunt autem hæ, *unitas*, *universalitas*, *evidentia*, *& immutabilitas*. De unitate non agimus: nam licet lex naturæ plura præcepta contineat, ea tamen omnia referuntur ad unum primum, ut dictum est (5), ideoque lex naturalis dicitur una (6). Similiter nec de ejus universalitate inquirimus; sat enim dictum est de illa ab Angelico Præceptore (7),

---

(1) Opusc. 4. & l. 3. cont. Gent. c. 116. sq. & 2. 2. q. 44. a. 1.
(2) §. 291. (3) In Catena ad v. 38. c. 22. Matth.
(4) Vide S. Thomam 1. 2. q. 99. a. 1. ad 2. & in c. 1. Epist. 1. ad Timoth. lect. 2. ubi ostendit, omnia præcepta virtutum ordinari ad charitatem, & disponere ad eam, quæ propterea dicitur finis præceptorum.
(5) §. 291. (6) Adeatur S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 2. ad 1.
(7) Ibid. a. 4. Nonnisi pauci Pseudopolitici, iique qui naturalem legem in opinione ponunt hominum, eamque pendere faciunt ab hu-

ad quem remittimus (1). Itaque de evidentia, atque immutabilitate disseremus. De immutabilitate vero primum dicemus, ut ejusdem S. Doctoris teneamus ordinem.

---

mana legislatione, ejusdem legis universalitatem negant. Sed hos jam supra §. 176. sqq. abunde refutavimus: nam ipsi humani legislatores etiam supremi agere debent secundum rectam rationem, legemque naturalem servare, quam si violant, rei sunt, & apud Deum pœna digni.

(1) Quærunt nonnulli, an sicut datur lex naturæ universalis, ita detur etiam lex aliqua Divina positiva universalis. Qua in re si sermo sit de lege Divina positiva pertinente ad ordinem supernaturalem, certissimum est, dari talem legem universalem. Nam Christus Marc. 16. v. 15. præcepit Apostolis, ut irent in mundum universum, & prædicarent Evangelium omni creaturæ. Atque hoc est discrimen inter legem Mosaicam, & Evangelicam, quod illa obligabat tantum Hebræos quoad præcepta cæremonialia, & judicialia; hæc obligat universos homines, ut ostendit S. Thomas 1. 2. q. 98. a. 5. Et licet iis qui nihil audire potuerunt de Evangelio, infidelitas non imputetur ad culpam, quia fides ex auditu, ut idem S. Thomas advertit 2. 2. q. 10. a. 1. tamen pro ipsis etiam data est lex Evangelica, & eam suscipere tenentur, ut primum ejus notitiam habere possunt. Utrum vero detur lex aliqua positiva Divina universalis ad ordinem tantum naturalem, & moralem pertinens: negative respondemus adversus Grotium l. 1. de jur. bel. & pac. c. 1. §. 15. & Thomasium de Jurispr. Div. l. 1. c. 3. §. 121. Nam licet Deus (ut ii objiciunt) præceperit Adæ, ne de ligno scientiæ comederet; hoc tamen præceptum non fuit vera lex; non enim fuit impositum nisi tantum Adæ; lex vero respicit hominum communitatem. Quod vero Deus prohibuerit Noe, ejusque filiis, ne comederent carnem cum sanguine, ut dicitur Gen. 9. v. 4. nec etiam habuit veram rationem legis, si litteraliter intelligatur; nam, ut interpretatur S. Augustinus l. 12. cont. Faustum c. 22. » Ejecto sanguine jubentur manducare: ne vita pristi» na quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeat tamquam ef» fusionem per confessionem"; sive, ut interpretatur Angelicus 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8. » prohibebatur eis usus sanguinis ad hoc, quod hor» rerent humani sanguinis effusionem: unde dicitur Gen. 9. *Car» nem cum sanguine non comedetis; sanguinem enim animarum » vestrarum requiram.*" Quare præceptum illud datum Noe, filiisque ejus non videtur fuisse distinctum à præcepto prohibente homicidium; quamvis postea in lege Mosaica fuerit verum præceptum distinctum qua ratione pertinebat ad cæremonias sacrificiorum. Et sane tale præceptum distinctum, si fuisset datum ante legem, obligaret etiam modo, nullibi enim legitur revocatum; nec pertinuisset proprie ad legem veterem Mosaicam. Quis autem dixerit, Christianos modo teneri præ-

302 Postquam Puffendorfius negavit omnem intrinsecam moralem actionum honestatem, vel turpitudinem, eamque repetiit à libera Dei voluntate, ut supra dictum est (1); consequens erat, ut absolutam legis naturalis immutabilitatem negaret. Itaque statuit (2), *in voluntate Divina quidem positum fuisse, tale animal, cui lex naturæ congrueret, producere, vel non. Sed jam postquam à Deo creatus est homo animal, quod citra observationem legis naturalis salvum esse nequit, inde haudquidquam fas est credere, eumdem velle legem naturæ tollere, aut immutare.* Sentit igitur, legem naturæ non esse quidem à Deo immutandam, non tamen esse absolute immutabilem.

303 Videtur autem ita dicendum, I. quia polygamia est prohibita jure naturæ (3), ut dictum est (4). Atqui veteribus Patribus fuit licitum habere plures uxores. Mutata igitur fuit hoc in genere lex naturæ.

304 II. Lex naturæ præcipit, ut aliena restituantur. Atqui lege præscriptionis sancitum est, ut certo elapso tempore, is qui bona fide possedit, restituere minime teneatur. Ergo & hæc lex naturæ fuit mutata.

---

cepto Divino ad abstinendum à sanguine animalium? Ne ipsi Protestantes quidem tale præceptum agnoscunt. Imo & ipsa prohibitio facta ab Apostolis in Concilio Jerosolymitano, ut Gentiles conversi ad fidem Christi abstinerent à sanguine, & suffocato, ut dicitur Act. 15. v. 29. fuit præceptum mere Apostolicum, » ut posset coalescere » unio Gentilium, & Judæorum insimul habitantium; Judæis enim » propter antiquam consuetudinem sanguis, & suffocatum erant abo» minabilia", ut advertit S. Thomas 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. qui ibid. q. 91. a. 5. legem Divinam positivam dividit in legem veterem Mosaicam, & novam Evangelicam. Quod denique additur de polygamia vetita Adæ, ejusque filiis, ad rem non facit; polygamia enim est contra legem naturæ quoad secunda ejus præcepta, licet non quoad prima, ut probat S. Thomas in 4. d. 33. q. 1. a. 1. sqq.

(1) §. 184. (2) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 3. §. 5.

(3) Loquens Grotius l. 1. de jur. bel. & pac. c. 2. §. 6. n. 2. de *concubinatu, divortio, & matrimonio cum pluribus fœminis*: » Sunt » quidem, inquit, hæc ejusmodi, ut eis abstinere honestius esse dictet » ipsa ratio: at non talia, ut absque lege Divina nefas in illis appa» reat." Coccejus in Proleg. ad Grot. §. 48. non subscribit Grotio; putat autem, polygamiam non prohiberi nec lege Moysis, nec lege Evangelii. Hi sunt restauratores juris naturæ, qui concubinatum, & polygamiam vel licita habent jure naturæ, vel non prohibita in Evangelio.

(4) Not. *Idem* §. 26.

305 III. Libertas est juris naturæ; omnes enim jure naturæ nascimur liberi. Hæc autem lex mutata fuit, inducta servitute, & politica subjectione. Ergo.

306 IV. Jure naturæ omnia sunt communia. Hoc tamen jus fuit mutatum, inducta rerum divisione. Ergo.

307 V. Matrimonium clandestinum validum est jure naturæ, & nihilominus est irritum lege Ecclesiæ. Similiter plures contractus, v. g. pupilli sine auctoritate tutoris, sunt validi jure naturæ, & nulli jure civili. Ergo.

308 VI. Elisæus Propheta dispensavit cum Naaman Syro, ut Rege adorante idolum in templo Remmon posset illud licite adorare, ut dicitur 4. Reg. c. 5. v. 18. sq. Summus etiam Pontifex, aliique Ecclesiæ Prælati in votis dispensant. Est autem idololatria prohibita jure naturæ: obligatio voti est etiam ex jure naturæ. Igitur lex naturæ non solum mutari potest, sed etiam pluries fuit mutata.

Prop. I. *Si mutatio legis naturalis intelligatur fieri per additionem, lex naturalis mutari potest.* II. *Secus, si mutatio intelligatur fieri per subtractionem*; III. *nisi forte sermo sit de mutatione improprie tali in secundis præceptis ob mutatas circumstantias.*

309 Ita S. Thomas (1). Prob. 1. p. Legi naturali multa addita sunt per legem Divinam positivam (2), & per leges hu-

(1) 1. 2. q. 94. a. 5.

(2) Jam supra §. 26. not. *Dogmata.* animadvertimus communem Lutheranorum errorem esse, Christum proprie dici non posse Legislatorem, nisi quatenus ut Deus dedit legem Moysi in Sina. Coccejus pro hoc errore scripsit in l. de Fœdere c. 12. n. 357. Grotius loc. cit. n. 3. id negavit; erat enim Arminianus, & Socinianis favebat, qui in hac parte cum Catholicis consentiebant. Gronovius autem in not. ad cit. loc. Grotii, Lutheranorum agens causam, negat Christum esse Legislatorem Novi Testamenti, propterea quod lex Dei perfecta est, nec ei quidquam addi, vel detrahi potest. Sophisma jampridem sibi objecerat, ac dissolverat S. Thom. 1. 2. q. 98. a. 2. ad 1. Equidem opera Dei in seipsis perfecta sunt: leges autem dantur hominibus, & eorum statui debent convenire. Lex igitur naturæ in suo genere perfecta est, prout convenit hominibus sola ratione naturali utentibus; at non potest eos ducere ad supernaturalia, quæ rationem naturalem excedunt. Lex Mosaica etiam in suo genere fuit

manas (1), ad hominum utilitatem. Si ergo ejus mutatio intelligatur fieri per additionem, lex naturalis fuit mutata; non quod in seipsa mutationem sit passa, sed ita, ut ea intrinsece immutata permanente, alia præcepta ei extrinseca addita sint vim legis habentia, quæ ante non erant, quæ tamen integram relinquunt legem naturæ, ejusque vim, immutata ejus essentia; ideoque mutatio non est intrinseca legi naturali, sed tantum extrinseca.

310 Prob. 2. p. Lex naturalis, ut supra dictum est (2), nominat principia universalia juris naturæ. Hæc autem sunt ut rerum essentiæ, quæ sunt intrinsece immutabiles, ut in Metaphysica diximus (3). Nituntur enim principia illa immutabilitate Divinæ æternæ Rationis, cujus lex naturalis est participatio, ex supra dictis (4). Lex igitur naturalis mutari non potest intrinsece. Mutaretur autem intrinsece, si in ea mutatio fieret per subtractionem. Mutari igitur per subtractionem lex naturalis non potest.

311 Prob. 3. p. Ad legem naturalem non solum pertinent prima principia practica, sed etiam secunda præcepta ex illis illata per conclusiones iisdem primis principiis propinquas. In his autem præceptis potest aliquando contingere aliqua mutatio, non quia præcepta ipsa mutantur, sed quia mutantur circumstantiæ, sive speciales quædam adsunt causæ, in aliquo particulari casu impedientes observantiam talium præceptorum.

312 Rem totam explicemus exemplis. Principium primum

---

perfecta, considerato statu hominum, quibus dabatur; erant enim instruendi sicut pueri; ideoque Apostolus ad Gal. 3. v. 24. ait: *Lex pædagogus noster fuit in Christo.* Sola Lex quam Christus dedit, est omnino perfecta, quia est lex charitatis, & gratiæ, per quam homo justificatur, & perducitur ad vitam æternam. Et licet etiam in lege Moysis, & ante ipsam homines justificarentur; id tamen non erat neque per legem naturalem, quæ vim habere non poterat in ordine supernaturali; neque per legem scriptam, quæ gratiam non conferebat; sed per fidem Christi venturi, qui in veterum sacrificiis, & sacramentis præfigurabatur; ideoque illi per hanc fidem pertinebant ad novam legem. Vide S. Thom. ibid. q. 107. a. 1. Cæterum si, quia lex Dei perfecta est, nihil ei addi potest; sola remanebit lex naturalis, quæ utique lex Dei est; & non solum nulla erit lex Divina sive Vetus, sive Nova, sed nullæ erunt leges humanæ.

(1) Vide S. Thom. loc. cit. q. 95. a. 2. ubi explicat, quomodo lex humana derivetur à lege naturali, & quid ei addat, determinando videlicet ea, quæ non sunt determinata per legem naturæ.

(2) §. 238. (3) Tom. 5. §. 4. sqq. (4) §. 236.

legis naturæ est, *bonum esse prosequendum, malum fugiendum.* Est hoc principium omnino immutabile, neque ullæ dari possunt circumstantiæ, in quibus liceat malum prosequi, odio habere bonum. Idem dicendum de aliis principiis universalibus juris naturæ, ut sunt illa: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: jus suum cuique est tribuendum: vivendum est secundum rectam rationem*, &c. Nullæ enim in his fingi possunt circumstantiæ, in quibus liceat oppositum facere. At vero in secundis præceptis circumstantiæ dari possunt, ob quas præcepta illa non obligant, ideoque licet oppositum facere. Honorandi equidem sunt parentes; si tamen hi à Deo se avertant, is qui eos deserit, ne Deum offendat, non transgreditur naturæ præceptum. Debet homo seipsum conservare ex naturæ instituto; si tamen pugnandum sit pro Religione, vel pro patria, non peccat qui se periculo mortis exponit. Præceptum naturæ est, ut propagetur species humana; sed non violarunt tale præceptum, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Præceptum naturæ est (ut S. Thomæ (1) utamur exemplo), ut depositum petenti restituatur; si tamen is illud petat ad impugnandam patriam, depositum non est reddendum. Homicidium quoque prohibitum est, si fiat privata auctoritate; non tamen, si fiat auctoritate publica, dummodo homo sit mortis reus. Innumera alia exempla afferri possunt. Sed quæ attulimus, satis sunt ad explicandum, quomodo videatur aliquando lex naturæ mutari, mutatis circumstantiis; quæ sane circumstantiarum mutatio non afficit intrinsece ipsam legem naturæ, sed efficit, ut id quod præcisis illis circumstantiis esset præceptum lege naturæ, præceptum non sit in iis circumstantiis (2). Quare mutatio est legi omnino extrinseca: nam lex in iis ipsis circumstantiis eamdem vim obligandi retinet; non enim vis ejus erat ad obligandum in illis circumstantiis.

---

(1) 1. 2. q. 94. a. 4.

(2) Ita demonstrat S. Thomas loc. cit. a. 5. ad 2. legem naturæ non fuisse mutatam, cum Deus præcepit Abrahæ, ut filium immolaret; neque cum præcepit Hebræis, ut vasa Ægyptiorum subriperent; neque cum præcepit Osee, ut uxorem fornicariam acciperet; etenim mors innocentis sub circumstantia præcepti Dei, qui est dominus vitæ, non est prohibita præcepto non occidendi. Et similiter ablatio rei alienæ, Deo præcipiente, qui est dominus omnium bonorum, sub circumstantia Divini præcepti non est comprehensa in præcepto non furandi. Quemadmodum nec in præcepto non fornicandi comprehenditur accessus ad mulierem fornicariam, Deo præcipiente; hoc ipso enim mulier fit ejus, qui ad ipsam accedit, ut diximus §. 205.

313 Ex quibus facillime explicatur *collisio*, ut vocant, *jurium*; sæpe enim jura secum invicem pugnare videntur, nec tamen revera pugnant; sed urgente potiori jure, aliud jus silet. Sic potiori jure tenetur homo conservare seipsum, quam alios homines. Hinc si quis eum invadat injuste, ut occidat, nec ulla sit spes evadendi; urget potius præceptum conservandi seipsum, nec erit homicidii reus, si aggressorem occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sic etiam potiori jure tenetur homo servare patriam, quam depositum reddere petenti: hinc non tenetur in hac circumstantia depositum reddere petenti contra patriam. Generatim vero præcepta, quæ respiciunt officia erga Deum, præponenda sunt præceptis respicientibus officia erga nos ipsos; & hæc præponenda præceptis, quæ respiciunt officia erga alios; ita enim exigit ordo charitatis, & rectæ rationis. Quare si urgeat præceptum officii erga Deum, & tales sunt circumstantiæ, ut servari nequeat cum præcepto respiciente officia erga nos ipsos, prævalet præceptum officii erga Deum, idque servandum est, etiam cum vitæ dispendio. Sancti Martyres ita se gesserunt. Si urgeat præceptum officii erga nos ipsos, & circumstantiæ sint tales, ut aut debeamus hoc officium omittere, aut omittere officium erga alios; prævalet officium erga nos ipsos, & omittendum est officium erga alios. Qui in extrema necessitate versatur, nec nisi unum habet panem, quo se conservet; non tenetur panem alteri tradere, ut eum servet à morte cum suæ vitæ dispendio, nisi forte vita illius necessaria sit ad bonum commune. Hæc S. Thomas (1) paucis complexus est, scribens: „Quantum ad secunda præcepta, quæ diximus esse quasi „quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, „sic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus sit rectum semper quod lex naturalis habet; potest tamen mutari „& in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas „speciales causas impedientes observantiam talium præcepto„rum“ (2).

---

(1) Art. cit.

(2) Genuensis l. 1. de offic. c. 7. §. 5. sqq. quinque statuit regulas, ut explicaret jurium collisionem. Prima est: *Minora jura, jura non sunt, cum potiora in eadem persona competunt.* Hæc regula falsa est: nam jura minora remanent jura, etiam cum potiora competunt; non enim qui deposuit, excidit absolute jure depositi repetendi, licet jus non habeat repetendi in patriæ perniciem. Altera est: *Jura perfectionis, strictæ obligationis juribus posthabeantur.* Hæc regula

314 Ad primum respondemus, polygamiam non esse contra prima præcepta legis naturæ, sed aliqua ratione contra secunda præcepta; non enim est contra finem principalem matrimonii, id est, prolis procreationem, & educationem, cum unus vir possit procreare, & educare filios natos ex pluribus uxoribus (1); impedit tamen finem secundarium matrimonii, id est, communicationem operum inter conjuges, cum facile non sit conservare pacem in familia, ubi unus vir plures habeat uxores. Dictum est autem (2), secunda præcepta legis naturæ posse aliquando mutari in aliquibus peculiaribus casibus, variatis circumstantiis. Potuit ergo Deus, qui est auctor præcepti de unitate uxoris, dispensare per internam inspirationem cum veteribus sanctis Patriarchis, ut plures haberent uxores, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Nec talis dispensatio data fuit contra rationes, quas Deus naturæ inse-

---

etiam deficit, si jura perfectionis in jura strictæ obligationis transierint. Vota monastica solemnia sunt jura perfectionis, & nihilominus postquam emissa sunt, induunt rationem strictæ obligationis. Tertia est: *Jura humanitatis, liberalitatis, charitatis & juribus strictæ obligationis, seu nostris, seu alienis concedunt, & æqualibus adversus nos juribus charitatis.* Jura humanitatis, & charitatis sunt strictæ obligationis; profluunt enim ex præcepto charitatis; quare si aliquando videntur confligere cum nostris, aut alienis juribus, id provenit ex eodem præcepto charitatis, quo tenemur ordinate diligere primum nos ipsos, deinde alios habita ratione necessitudinis eorum cum nobis ipsis. Quarta est: *Qui nullo jure, sed per libidinem, vel socordiam aut jura nostra attrectare contendit, aut violavit, in tantumdem jure suo excidit, quantum attrectat, aut læsit.* Hic nullus est conflictus jurium diversus à conflictu primæ regulæ: nam jura nostra potiora sunt. Quinta est: *Nemini licet jura aliena violando, sua servare, si aliunde premantur.* Hæc regula æquivoca est: nam si loquamur de eo, qui ut sua servet jura, invadit aliena injuste, vera est: si autem sermo sit de eo, qui injuste invaditur in suis juribus, is aliena non violat, si contra injustum invasorem sua jura servet.

(1) Non ita esset in polyandria, sive in matrimonio unius fœminæ cum pluribus viris; hæc enim est contra finem principalem matrimonii; redderetur namque incerta proles, & frustraretur debitum educationis ex parte patris. Hinc reprobamus Thomasii errorem, qui, ut diximus §. 26. putavit, polygamiam etiam virilem non esse interdictam jure naturæ. Quod & confirmavit in sua Jurispr. div. l. 3. c. 2. §. 211. scribens, *polyviriam infimum gradum licentiæ obtinere, & prohibitioni propiorem esse, quam præcepto.*

(2) §. 311.

ruit, sed præter eas; sicut etiam miracula non sunt contra naturam, sed præter ea, quæ frequenter solent evenire (1).

315 Ad secundum dicimus, lege naturæ præceptum esse, ut aliena restituantur, quamdiu manent aliena: posita autem lege præscriptionis, aliena non sunt ea, quæ quis legitime præscripsit. Nam sicut lege humana decretum est, quomodo, & quando acquirantur dominia rerum; ita lege humana statuta est præscriptio ad cavendas lites; quare qui legitime præscripsit, non aliena, sed sua possidet.

316 Ad tertium respondetur, libertatem non esse juris naturalis, nisi quia circa eam jus naturæ nihil contrarium statuit, quia natura nemo servus nascitur. Quod ergo inducta sit servitus, & subjectio politica, id non est contra jus naturæ, nec ulla fuit facta mutatio in lege naturæ; hæc enim æque permittit & libertatem, & servitutem, subjectionemque politicam (2).

317 Ad quartum & quintum eadem adhibenda responsio est: nam jus naturæ non præcipit neque rerum communitatem, neque rerum divisionem, sed neutri contradicit. Et similiter matrimonium clandestinum dicitur validum jure naturæ, quia jus naturæ non decrevit, illud esse invalidum. Idemque dicendum de contractibus pupillorum.

318 Ad sextum negamus, Elisæum dispensasse Naamano, ut posset licite adorare idolum. Verba autem Scripturæ: *quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero* (3) *in templo*

(1) Ita S. Thomas Suppl. 3. p. q. 65. a. 1. sq.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3.

(3) Augustinus Calmet in diss. quam super hac re edidit, subscribit sententiæ Bocharti, qui putat, legendum esse ad litteram juxta textum Hebraicum, non *si adoravero*, sed *si adoravi*; ita ut sensus sit, Naamanum fuisse deprecatum, ut Elisæus ei veniam impetraret pro adoratione præterita. Mirum est, plus à Calmeto fuisse intellectam vim textus Hebraici, quam à Septuaginta, & à S. Hieronymo, qui non *si adoravi*, sed *si adoravero* verterunt illud וְהִשְׁתַּחֲוֵיתִי. Non ignorabat certe Calmetus vim litteræ ו, quæ præposita præterito convertit illud in futurum, ut innumeris probare possemus exemplis. Cur ergo in hoc loco tantum legendum est non *adoravero*, sed *adoravi*? Sed ipse tandem Calmetus ibid. proniorem esse agnoscit rationem legendi, quam Septuaginta, & Vulgata prætulerunt. Quare ergo non solum non recessit à Bocharto, sed modis omnibus sententiam ejus, conquisitis etiam rationibus, approbare, & confirmare conatus fuit?

Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace; non ita sunt intelligenda, quasi Naaman deprecatus fuerit, ut ei dimitteretur futura idoli adoratio, vel adorationis simulatio, easque ipsi Elisæus permiserit; hæc enim de tanto Propheta sentire, iniquum est. Itaque Naaman, qui ex muneris necessitate Regem comitari cogebatur, eumque sustentare, cum ante idolum in genua procumbebat, id tantum sibi petebat ignosci, ne ei crimini verteretur, si impiis cæremoniis interesset, incurvarique videretur, Rege innitente super manum ejus: id quod ipsi licere Elisæus edixit; jam enim cunctis notum erat, Naamanum ab idoli cultu recessisse, & unum verum Deum, qui ipsum à lepra miraculose mundaverat, adorare (1).

319 Ad id quod additur de dispensatione in votis, respondet S. Thomas (2), in dispensatione votorum non dispensari in lege naturali; sed *auctoritate Superioris dispensantis fit, ut hoc quod continebatur sub voto, non contineatur, inquantum determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiam voti. Et ideo cum Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel divini; sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere.*

Imo de ea lectione, si retineatur, ait: *maluerim ego Naamanum criminis, atque Elisæum indebitæ indulgentiæ damnare.* Quæ sane postrema verba adversus sanctissimum Prophetam excidisse Calmeto, credendum est: nam quod ea lectio retineri debeat, Vulgatæ authenticitas certos nos reddit. Rationes autem illæ facillime solvuntur. Nam quod ait, Naamanum pessimum exemplum præbiturum ignaris, negandum est; divulgata enim erat ejus prodigiosa curatio, ejusque confessio unius veri Dei; cunctique videre poterant, abstinere illum à templo adeundo, nisi tantum occasione ministerii, quod præstare Regi debebat. Quod addit Calmetus, crimen à Naamano ipso fuisse agnitum, & damnatum, nihil probat: non enim Naamanus Elisæum deprecabatur, nisi ut ei ediceret, an illa muneris actione licite fungi posset. Denique quod ait, Naamano non licuisse sine crimine adesse sacrificio tamquam ministrum, id libenter concedimus; sed minister sacrificii non erat, cum Regem inclinantem manu sua sustentabat.

(1) Vide Natalem Alex. Hist. Vet. Test. tom. 2. diss. 7. ubi hæc ex Theodoreto, & Tertulliano confirmat. (2) 2. 2. q. 88. a. 10. ad 2.

ARTICULUS IV.

Utrum lex naturalis possit ignorari invincibiliter.

320 Præcepta legis naturæ in tres classes distribuit S. Thomas (1), atque in prima reponit principia universalia legis naturæ, de quibus dictum est (2); in altera, conclusiones iis principiis propinquas, quas vocat secunda præcepta, ut *non occides*, *non furtum facies*; in tertia, conclusiones magis remotas ab illis principiis, quæ indigent subtiliori sapientum consideratione (3); atque in his, quo magis ad particularia descenditur, eo magis rationem deficere posse, docet.

321 Videtur autem nulla dari posse invincibilis ignorantia juris naturæ, ne in ipsis quidem conclusionibus quamlibet remotis à primis principiis: I. quia si recte applicentur principia universalia, nullum est peccatum, nec ulla ignorantia. Si autem

---

(1) 1. 2. q. 94. a. 4. & q. 100. a. 1. (2) §. 312.

(3) Daniel Concina in Appar. diss. 2. c. 3. §. 52. » Primus, inquit, » quem ego scio, istius distinctionis vestigia Angelicus posuit. Por» ro Patres antiquiores omnes ignorantiam juris naturæ criminosam » asseruerunt, nulla distinctione facta.“ Angelicus ergo à Patribus dis» cessit, & quidem in re summi momenti? Si hoc verum esset, quomodo illius doctrina à summis Pontificibus, præsertimque ab Innocentio XI. Const. 16. tom. 6. Bull. Ord. Præd. pag. 360. laudata fuit ut *Sanctorum Patrum traditionibus conformis*? Quid vero? Nullusne inter antiquiores Patres triplicis illius distinctionis meminit? Sed peto, de quanam præceptorum classe loquebatur S. Augustinus l. 22. de Civ. c. 23. quem ipse Concina ib. citat. §. 51. cum ajebat: » Vi» giliis continuis excubamus, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat » sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod » bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur?“ Loquebaturne de primis universalissimis principiis juris, aut de conclusionibus, quæ per certas, & evidentes illationes ex illis deducuntur? Non est in utrisque ulla *opinio verisimilis*. Ipse P. Concina ex Patribus, & quidem recte, pluribus ostendit, in moralibus sequi nos debere opiniones probabiliores, quæ favent legi. Suntne opiniones ejusmodi aut prima principia universalia practica, aut conclusiones ex illis necessario illatæ? Si tales forent, non essent opiniones probabiliores, sed necessariæ certitudinis. Cur ergo novitatis accusat triplicem illam Angelici distinctionem? Cur eam vocat incognitam Patribus antiquioribus?

recte non applicentur, id evenit ex pravis affectionibus, opinionumque perversitate; tunc vero ignorantia est vincibilis. Nulla igitur datur ignorantia invincibilis legis naturæ.

322 II. Qui laborat ignorantia, quam potest dispellere, laborat ignorantia vincibili. Ignorantia autem circa conclusiones utut remotissimas à primis principiis, per Divinam gratiam dispelli potest. Si ergo quis Divinæ gratiæ, qua adjuvetur, resistit, ejus ignorantia erit vincibilis.

323 III. Peccata ignorantiæ negari nequeunt. At si quæ sunt ignorantiæ peccata, quæ minus excusari valeant, ea sunt quæ legi naturæ adversantur. Ignorantia ergo in lege naturæ non est invincibilis.

324 IV. Nulla Dei lex homini est observatu impossibilis; Deus enim impossibilia non jubet. Nulla igitur Dei lex potest invincibiliter ignorari: nam quod ignoratur invincibiliter, fugit humanam cognitionem, nec observari potest.

Prop. I. *Prima universalia legis naturæ principia à nemine ratione prædito possunt sive vincibiliter, sive invincibiliter ignorari.* II. *Conclusiones vero iis principiis propinquæ à nonnullis vincibiliter, à nemine invincibiliter ignorari queunt.* III. *Conclusiones autem aliquæ à primis principiis valde remotæ possunt aliquando invincibiliter ignorari.*

325 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ. (1) Ita se habent in ratione practica principia universalia legis naturæ, sicut in ratione speculativa principia theoretica. Sed nemo ratione præditus ignorare potest sive vincibiliter, sive invincibiliter prima principia theoretica. Ergo nemo quoque ignorare potest prima principia legis naturæ; utraque enim ita sunt evidentia, ut statim cognoscatur eorum veritas, perceptis terminis, & consensum mentis extorqueat (2).

---

(1) 1. 2. q. 94. a. 4. & 6.

(2) Contingit, & quidem sæpissime, ut homines in suis actionibus minime applicent principia universalia, quæ probe norunt; idque urgente concupiscentia, aliisve passionibus; sed nihilominus, cum ita operantur, non exuunt, nec possunt exuere principia universalia signata super eorum vultum per lumen rationis; indeque sunt conscientiæ latratus, meritoque Seneca dixit: *pœna peccantium est peccasse.* Vide S. Thom. a. 6. cit. ubi probat, legem naturalem quoad principia communia deleri non posse à cordibus hominum.

326 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Conclusiones, quæ propinquæ sunt primis principiis, necessariam connexionem cum ipsis habent, iisdemque principiis conceptis, statim sua sponte conclusiones illæ dimanant. Ejusmodi sunt præcepta Decalogi de colendo Deo, de honorandis parentibus, de non occidendo, de non furando, &c. Fieri ergo non potest, ut hæc secunda præcepta invincibiliter ignorentur. Quia tamen non ita ut principia illa prima, sunt menti insculpta, sed ex ipsis inferuntur, licet per necessariam, facilemque illationem; fieri potest, ut homines quidam ob ingruentes passiones, ob pravas consuetudines, ob malas persuasiones, corruptosque habitus aliqua ex hisce secundis præceptis ignorent, ut Ethnici olim licitum putabant polytheismum, aliique corruptorum morum populi licere sibi credebant nonnullas actiones contra præcepta Decalogi, ut supra dictum est (2). Ignorantia autem hæc oriebatur ex vitio voluntatis nolentis attendere ad prima juris naturæ præcepta. Quare vincibilis erat (3).

327 Prob. 3. p. Si nulla in conclusionibus à principiis valde remotis dari posset invincibilis ignorantia, non liceret in moralibus sequi sententiam vel inter probabiles probabilissimam, quæ est propositio ab Ecclesia proscripta: & merito quidem; quis enim in moralibus, cum agitur de particularibus actionibus, quarum circumstantiæ possunt variari in infinitum, absolutam, & omnimodam certitudinem quærat? „In rebus contingen„tibus, inquit S. Thomas (4), sicut sunt naturalia, & res hu„manæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in plu„ribus, licet interdum deficiat in paucioribus.“ Quod autem negata quacumque ignorantia invincibili in conclusionibus juris naturæ valde remotis à primis principiis, licitum non esset sequi sententiam etiam probabilissimam sic ostenditur: Nam sententia etiam probabilissima non est absolute, & omnibus modis certa, ita ut falsa nullo modo possit esse; si enim talis foret, non contineretur intra limites probabilitatis. Maxime igitur accedit ad veritatem, sed absolute, & omnibus modis vera dici nequit, sicut sunt veritates demonstratæ. Qui ergo sequitur sententiam probabilissimam, multoque magis qui sequitur probabiliorem, ignorat sententiam absolute certam, ac demonstratam; si enim eam sciret, non posset ipsam præterire, ut sequeretur sententiam etiam probabilissimam: nam hoc ipso deordinate ageret, &

(1) A. 4. & 6. cit. (2) §. 172. (3) S. Thomas a. cit.
(4) 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3.

contra rationem, qua tenemur sequi certum, relicto incerto. Nunc quærimus, utrum ignorantia illa sit vincibilis, vel invincibilis, sive utrum culpabilis sit, vel culpa vacet. Si est invincibilis; ergo in conclusionibus à primis principiis valde remotis potest dari invincibilis ignorantia. Si est vincibilis; non ergo licebit sequi sententiam vel probabilissimam. Licet autem non modo sequi sententiam probabilissimam, sed etiam probabiliorem. Datur igitur ignorantia invincibilis juris naturæ in aliquibus conclusionibus à primis principiis valde remotis (1).

328 Ad primum respondemus negando, semper ex pravis cupiditatibus, affectionibusque provenire, ut principia non ita applicentur, ut excludatur quæcumque ignorantia; id enim sæpissime evenit ex difficultate in ipsa applicatione. Exemplo rem explicemus. Peritus Medicus vocatur ad infirmum. Nullo adversus eum ducitur odio, aut prava affectione, imo omne remedium quærit ad eum curandum. Nihil prætermittit, quo morbi cognitionem acquirat. At morbi symptomata æquivoca sunt. Facit Medicus quod in se est; & nihilominus res optatum non habet exitum, quia Medicus non cognovit morbi naturam. Quis hunc damnabit Medicum violatæ legis naturæ? Præterea, in tanta moralium sententiarum diversitate prudens Confessarius eam amplectitur, quæ probabilior est: expendit circumstantias: nullo ducitur pravo affectu connivendi pœnitenti. Eritne talis Confessarius apud Deum reus ignorantiæ culpabilis, quod sententiam probabiliorem, quæ absolute potest esse falsa, sequutus sit? Possunt igitur minus recte applicari principia universalia absque omni culpa ejus qui applicat.

329 Ad secundum dicimus, neque expectandam, neque petendam à Deo esse gratiam, qua homo omnes omnino verita-

(1) Qui negant omnem invincibilem ignorantiam in conclusionibus, de quibus loquimur, videntur in rebus moralibus absolutam certitudinem requirere; quæ tamen nec in conclusionibus cæterarum scientiarum remotis à principiis requiri potest. In rebus autem moralibus quærere in omnibus absolutam certitudinem, & contentum non esse in multis certitudine tantum morali, stultitia videtur esse; quis enim, nisi stultus, id sibi promittat in tanta humanæ mentis imbecillitate? Quare S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 1.: *Quædam*, inquit, (præcepta moralia) *sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum.* Hæc autem docet ita esse de lege naturæ, *ut tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientioribus instruantur.*

tes morales certo, & demonstrative cognoscat; id enim est supra ordinariam conditionem mentis existentis in corpore. Ii autem, qui talem gratiam sibi pollicentur à Deo, Deum tentant, si ex animo id faciant (1).

330 Ad tertium respondemus, neque nos negare peccata ignorantiæ, neque excusare ignorantiæ peccata contra legem naturalem. Sed aliud est negare peccata ignorantiæ, si hæc vinci possit; aliud, negare prorsus ignorantiam quamcumque invincibilem in iis propositionibus, in quibus constare non potest omnimoda veritas.

331 Ad quartum respondemus, aliud esse loqui de ipsa lege naturæ, quæ posita est in principiis universalibus juris, ut supra dictum est (2); aliud, de conclusionibus remotioribus. Ut lex naturæ non sit observatu impossibilis, satis est, menti cujuslibet hominis patere principia illa practica universalia, quæ sane cuique patent, modo sit rationis particeps. Conclusiones autem remotiores pertinent quidem ad legem naturæ, sed ut consectaria eorumdem principiorum. In illis autem, si absoluta veritas perspici non possit, sequimur quod probabilius, sive verisimilius videtur, nec tenemur sequi quod absolute certum est, idque ob eamdem rationem, quia non tenemur ad id quod est impossibile.

QUÆSTIO V.

De naturali hominum statu.

332 Explicatis iis, quæ ad legem naturæ pertinere videbantur, sequitur, ut de statu hominum naturali inquiramus. Ut autem S. Thomas advertit (3), „Status, proprie loquendo, significat quamdam positionis differentiam secundum „modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate.“ Dicitur autem status à stando; ut enim idem Angelicus adnotat, „Est „naturale homini, ut caput ejus in superiora tendat, & pe-

(1) Si qui fuissent, qui hanc gratiam petere, & expectare à Deo potuissent, ii certe fuissent Sancti Ecclesiæ Doctores, aliique viri docti sanctitate præstantes. Tantum autem abfuit, ut hanc sibi gratiam fuerint polliciti, quin & ipsi in varias inter se sententias discesserint.

(2) §. 237. (3) 2. 2. q. 183. a. 1.

„des in terra firmentur, & membra media convenienti ordine „disponantur: quod quidem non accidit, si homo jaceat, vel „sedeat, vel accumbat, sed solum quando erectus stat.... „& inde est, quod etiam in ipsis actionibus humanis dicitur ne„gotium aliquem statum habere secundum ordinem propriæ dis„positionis cum quadam immobilitate, seu quiete. Unde & cir„ca homines ea, quæ de facili circa eos variantur, & extrin„seca sunt, non constituunt statum (1).“ Ex quibus Angelicus infert, statum in sui ratione præ se ferre conditionem libertatis, vel servitutis, *prout scilicet aliquis est sui juris, vel alieni, & hoc non ex aliqua causa levi, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente: & hoc est quod pertinet ad rationem libertatis, vel servitutis* (2). Status igitur hominis naturalis est conditio ejus, quatenus consideratur esse sui juris sive liber ab omni lege civili, & servus, sive subjectus sol, legi naturali (3). Multa de hoc statu absurdissime scripta sunt, præsertim à Rousseau, ab Hobbesio, à Thomasio, à Puffendor-

(1) Confer hanc S. Thomæ definitionem status cum definitione Wolfii Inst. jur. nat. & gent. §. 8. statum in genere definientis *coexistentiam mutabilium, hoc est eorum, quæ etiam aliter se habere possunt, cum iisdem fixis, quæ scilicet aliter se habere nequeunt.* Quam clara, profunda, & vera est illa prior, tam obscura, implexa, & falsa est hæc posterior. Nam si status est coexistentia mutabilium cum fixis, & immutabilibus, homo cum jacet, stat; jacere enim, quod est mutabile, coexistit cum capite, pedibus, & cæteris membris, quæ sunt fixa, & immutabilia secundum situm naturalem in corpore humano.

(2) Puffendorfius de jur. nat. & gent. l. 1. c. 1. §. 6. statum comparat cum spatio, indeque ait: „Natura status non incongrue expri„mi potest, quod sit ens morale *suppositivium*, ob analogiam, quam „habet cum spatio.“ Videte hominem, qui Scholasticis exprobrat obscuritatem, & barbariem. At quænam analogia inter spatium, quod permanet destructis corporibus, ut Puffendorfius dicit ib. §. 7. & statum, qui mutari potest, eodem etiam homine permanente? Quid, quod status intrinsecus est, spatium vero extrinsecum? Nisi Puffendorfius duplex cum Scholasticis distinguat *ubi*, intrinsecum, & extrinsecum; vix ullam reperire poterit analogiam. Non diffitemur tamen, quamdam esse similitudinem inter statum, & *ubi intrinsecum*, quod *ubicationem* vocant. Sed id jampridem animadverterat S. Thomas, cum statum definivit *per quamdam positionis differentiam.*

(3) Non hic consideratur status naturalis, prout distinguitur à supernaturali, sed prout distinguitur à politico, seu quem habuit homo in sua origine, & ante omnem legem civilem. Cæterum abs du-

fio; & idcirco operæ pretium est, ut hac in re paulisper immoremur. Quæremus igitur 1. an status naturalis sit status hominis sylvestris, & belluarum instar viventis? 2. an sit status belli omnium in omnes? 3. an sit status hominis utcumque in mundum projecti, sibique plane relicti? 4. an status hominis naturalis præstet statui civili? 5. an extiterint, aut extent homines in statu mere naturali?

ARTICULUS I.

Utrum status naturalis hominis sit sylvestris, & ad belluarum conditionem accedens.

333 Joannes Jacobus Rousseau nullius fidei, & religionis homo, inter cætera quæ vulgavit absurdissima opuscula, unum edidit *de origine, & fundamentis inæqualitatis inter homines* (1); ibique statum naturalem hominis primævum, & originarium quærens, ut fucum imperitis faceret, videtur concedere hominem in statu naturali, quem ipse fingit, numquam extitisse, si fides sacris Libris præstetur; imo ait (2), *negandum esse, homines etiam ante diluvium repertos umquam fuisse in puro naturæ statu, nisi forte in eum inciderint ob aliquem extraordinarium eventum: quod tamen putat esse paradoxum quod defendi vix, probari ne vix quidem possit* (3). Simulat ergo, velle se non historiam quidem, sed hypothesim tradere, aliorum

---

bio est, hominem fuisse ab initio elevatum à Deo ad ordinem supernaturalem; & statum ejus mere naturalem absque ulla elevatione ad ordinem supernaturalem esse tantum inter possibilia. Sed hac de re ad Theologos agere pertinet.

(1) *Discours sur l' origine, & les fondemens de l'inégalité parmi les hommes, tom.* 3. *opp.* editus occasione quæstionis propositæ ab Academia Divionensi super origine inæqualitatis inter homines.

(2) „Il faut nier que, même avant le déluge, les hommes se soient „jamais trouvés dans le pur état de nature, à moins qu'ils n'y soient „retombés par quelque évenement extraordinaire: paradoxe fort em„barrassant à défendre, & tout-à-fait impossible à prouver."

(3) Quibus verbis rejicitur Vici, & aliorum sententia, qui, ut diximus tom. 1. pag. 415. sqq. senserunt, Chamitidas, & Japhetidas in tantam post diluvium devenisse stupiditatem, ut omnem etiam rationis usum amiserint. Qua in sententia Genuensis etiam fuit; illamque ut certam habet nuperus Scriptor Hist. regni Neapolis, cujus primos habitatores veluti stupidos, ac pæne belluas fuisse dicit.

in hoc sequens incredulorum morem, qui aperte profiteri incredulitatem nolunt. Nam statim subdit (1): *O homo, cujuscumque sis regionis, opinionumque, audi; en tua historia, quam legere credidi non in libris tuorum similium, qui mendaces sunt, sed in natura, quæ numquam mentitur.* Quibus verbis mendacii accusat sacros etiam Scriptores, quos tamen paulo ante revereri se dixit: nam in eorum libris vera hominis primævi status historia describitur.

334 Itaque, si Rousseaum audimus, homines in primæva sui conditione, spectata eorum natura, perfectioribus quidem quam cætera animantia instructi fuere organis, sed longe illis imbecilliores extitere. Nihilominus ob agrestem, duriorem-que in nemoribus, & specubus, absque domibus ac tectis vivendi rationem magno comparato robore, & assidua cum bestiis inita pugna, ut se defenderent, feroces, truculentique effecti, vix ullis erant subjecti morbis, eamdemque roboris constitutionem in filios transfundebant. Primæ autem eorum operationes mere animales fuere, imo imitantes ipsi bestiarum industriam ad earum pervenerunt instinctum. Quare nihil egerunt homines illi, quo supra sensibiles animalesque motus assurgerent; adeoque nulla in eis erga Deum religio fuit; nulla erga alios homines benefaciendi voluntas, nisi belluarum more ad explendam libidinem; nulla honesti, vel inhonesti idea; imo nulla prorsus idea universalis; nullus sermo; nulla rerum futurarum cura; hoc tantum à bestiis differentes, quod hæ libertate careant, homines vero illi libertate uti poterant, & fieri rationis compotes; quod tamen non nisi post multa secula evenit.

335 His brevibus descripta impia fabula est, quam Rousseaus appellat historiam naturæ, conditionisque hominum primigeniæ (2).

---

(1) »O homme, de quelque contrée que tu sois, quelles que soient »tes opinions, écoute; voici ton histoire telle que j'ai cru la lire, non »dans les livres de tes semblables qui sont menteurs, mais dans la na»ture qui ne ment jamais.« Quis hanc in natura historiam legit? nemo unus præter Rousseaum. Eritne is solus videns, cæteri cæci? At quænam major cæcitas, quam putare, se unum in natura vidisse, quod nemo umquam tot tantorumque sapientissimorum virorum vidit? Audaciæ parens ipsa ignorantia est.

(2) Ipsemet Voltairius, quem Rousseaus in Epist. quæ extat in eod. tom. 3. opp. appellat factionis, ac sectæ *caput* (»vous rendre »un hommage que nous vous devons tous, comme à notre chef«): ipsemet, inquam, Voltairius in Epist. quæ ibid. refertur, libellum Rousseau vocat *nouveau livre contre le genre humain.* Additque: »On

Insanire certe hæc scribens videtur. Sed multo est magis à mente inops, cum hunc hominum statum ad brutorum conditionem dejectum, non modo extollit, & sociali, civilique statui præfert, optabilioremque esse dicit; sed ejus *perfectibilitatem*, ut vocat, sive capacitatem transeundi à statu illo stupiditatis ad statum socialem, deflet, ac deplorat tamquam *omnium malorum fontem.*

336 Quoniam multi sunt, qui in hoc impiissimo, stultoque homine ingenium acerrimum, acutissimumque suspiciunt, maximisque efferunt laudibus: sophismata describimus, quibus suam probare fabulam ille conatur. I. Nemo potest in cognitionem status naturalis hominis devenire, nisi eum exuat omnibus donis supernaturalibus, omnibusque facultatibus artificialibus. Si autem his omnibus homo exuatur, sylvestris erit, solitarius, & sensationibus tantum instructus. Is ergo est status hominis naturalis.

337 II. Usus sermonis non est homini naturalis. Homines igitur in statu naturali nullum habuerunt sermonis usum, ideoque nullas ideas universales; hæ siquidem non nisi verborum ope acquiri possunt, nec aliter percipi, quam per propositiones vocibus, ac terminis expressas.

338 III. Hisce nostris postremis seculis homines inventi sunt belluino more vitam ducentes, stupidi, sine religione, sine lege, sine fœdere, sine regulari, distinctoque idiomate, cujusmodi sunt Hurrones, Huttentoti, Iroquæi, Laponii, aliique Africæ, Americæ, & Locorum polarium incolæ. Hi sane ostendunt, quænam debuerit esse primigenia conditio humani generis.

» n'a jamais tant employé d'esprit à vouloir nous rendre bêtes.“ Nihilominus idem Voltairius secum ipse pugnans, ut perpetuo facit, in Philos. hist. c. 3. ait, genus humanum diu permansisse in brutorum statu: » Cet état de brutes où le genre humain a été long temps.“ Ita hi bruti homines de humano genere sunt promeriti, in eorum classe equidem reponendi, de quibus in Epist. Catholica S. Judæ v. 18. sq. dicitur: » In novissimo tempore venient illusores, secundum de» sideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant se» metipsos, animales, spiritum non habentes.“ Nam Rousseaus fuit societatis inimicus, Voltairius vero societatum pestis.

Prop. I. *Status primævus, & originarius hominis non fuit sylvester, ac belluinus, spectata ejus natura.* II. *Nec si talis fuisset, homo in eo statu constitutus dici potuisset felix; imo summe fuisset infelix, & miser.*

339 Probat. 1. p. ratione S. Thomæ (1), cujus verba describimus (2): »Naturale est homini, ut sit animal sociale: & »politicum, in multitudine vivens, magis etiam quam omnia »alia animalia; quod quidem naturalis necessitas declarat. »Aliis enim animalibus natura præparavit cibum, tegumenta »pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel »saltem velocitatem ad fugam. Homo autem institutus est »nullo horum sibi à natura præparato, sed loco omnium »data est ei ratio, per quam sibi hæc omnia officio manuum »posset præparare, ad quæ omnia præparanda unus homo non »sufficit. Nam unus homo per se sufficienter vitam transigere »non posset. Est igitur homini naturale, quod in societate »multorum vivat. Amplius aliis animalibus insita est naturalis »industria ad omnia ea, quæ sunt eis utilia, vel nociva, sicut »ovis naturaliter æstimat lupum inimicum. Quædam etiam »animalia ex naturali industria cognoscunt aliquas herbas me»dicinales, & alia eorum vitæ necessaria. Homo autem ho»rum, quæ sunt vitæ suæ necessaria, naturalem cognitionem »habet solum in communi, quasi eo per rationem valente ex »universalibus principiis ad cognitionem singulorum, quæ ne»cessaria sunt humanæ vitæ, pervenire. Non est autem pos»sibile, quod unus homo ad omnia hujusmodi per suam ratio»nem pertingat. Est igitur necessarium homini, quod in mul»titudine vivat, ut unus ab alio adjuvetur, & diversi diversis »inveniendis per rationem occupentur, puta unus in medicina, »alius in hoc, alius in alio. Hoc etiam evidentissime declara»tur per hoc, quod est proprium hominis loquutione uti, per quam

(1) Opusc. 20. de Regim. Princ. l. 1. Indubius est S. Thomæ fœtus hoc Opusculum ab initio usque ad illa verba c. 4. l. 2. *ut animi hominum recreentur*, ut demonstrat Echardus de Script. Ord. Præd. tom. 1. pag. 336. sq. Reliqua usque ad finem l. 4. addita fuerunt à Ptolomæo Lucensi Ord. Præd.

(2) Confer has S. Thomæ rationes cum iis, quas habet Puffendorfius de jur. nat. & gent. l. 2. c. 4. & l. 7. c. 1. comperiesque, quam is humilis sit, ac tenuis; ille sublimis, & profundus.

»unus homo aliis suum conceptum totaliter potest exprimere. »Alia quidem animalia exprimunt mutuo passiones suas in com»muni, ut canis in latratu iram, & alia animalia passiones »suas diversis modis. Magis igitur homo est communicativus »alteri, quam quodcumque aliud animal, quod gregale videa»tur, ut grus, formica, & apis. Hoc ergo considerans Sa»lomon in Ecclesiaste (4. v. 9.) ait: *Melius est duos esse* »*simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis* »*suæ* (1).«

340 Constat igitur, hominem naturaliter esse animal sociale plus quam cætera animalia. Quidquid ergo socialitati adversatur, non est homini naturale. Status autem primævus, & originarius hominis fuit ei naturalis: nam quid magis naturale potuit esse, quam status, in quo ab ipsa natura homo positus fuit? Naturalis ergo homini fuit socialitas in eo statu. Non fuisset autem homo socialis plus quam cætera animalia, si ad sylvestrem, & belluinam in eo statu vitam agendam fuisset à natura destinatus, ut in sylvis erraret, dispersusque inter bestias vagaretur absque domo, connubiis, familia, ut Rousseaus dicit. Status igitur hominis primævus, & orginarius non fuit sylvester, & belluinus, spectata ejus natura (2).

341 Præterea, si homines in statu primævo, & origina-

---

(1) Vide hanc postremam rationem ex eodem S. Thoma, cujus verba descripsimus tom. 1. hujus nostri operis §. 782. not. *Diximus.*

(2) Nec respondere Rousseaus potest, hominem in eo statu sociabile animal dici potuisse, quia libertatem habebat, ut se perficeret, societatemque cum aliis iniret. Non, inquam, ita respondere potest: nam loc. cit. diserte docet, hominem ex naturæ præscripto sic esse constitutum, ut *solitariam* agat vitam; & non nisi ex *fortuito concursu multarum causarum extranearum* in societatem convenisse. Et licet in homine *perfectibilitatem* agnoscat, & per eam differre ipsum à bestiis fateatur: »La nature commande a tout animal, »& la bête obéit. L'homme éprouve la même impression, mais il se »reconnoît libre d' acquiescer ou de résister, & c' est sur tout dans la »conscience de cette liberté, que se montre la spiritualité de son »ame.« *Natura imperat cuilibet animali, & bestia obtemperat. Homo eamdem experitur impressionem; at se cognoscit liberum ad acquiescendum, aut resistendum; atque hujusce libertatis conscientia potissimum demonstratur ejus animæ spiritualitas*; in hoc tamen ipso secum pugnat. Nam si homo etiam in statu primigenio libertatem habebat ad acquiescendum, aut resistendum, proindeque poterat libere seipsum perficere, aut non perficere, ac societatem cum aliis

rio vitam sylvestrem, belluarum more duxerunt; petimus, an fuerint à Deo in tali statu positi, an casu aliquo in eam inciderint calamitatem? Si casu; igitur non ita exigente natura, ut Rousseaus dicit: nam quod casu evenit, non est ex natura. Fieri autem non potuit, ut Deus, qui hominem ad imaginem, & similitudinem suam creavit, hominem ipsum poneret in statu adverso humanæ naturæ, ut scilicet vitam tantummodo animalem duceret, absque ulla cognitione ipsius Dei, & legis naturæ, quam Deus ipse cordi ejus impresserat; ita enim Deus egisset contra naturam hominis, quam ipse condiderat (1). Fictitius est ergo status ille primævus, & originarius hominis sylvestris, & pecudum vitam agentis.

342 Insuper, homo duplici constat parte, animali scilicet, & rationali, & utraque ad ejus naturam pertinet, ita tamen ut pars animalis sit ei communis cum bestiis, pars rationalis sit propria ejus differentia constitutiva (2). Magis ergo fuisset contra naturam hominis, si in primigenio statu, nullo in ejus organis existente impedimento, nullum habuisset rationis usum, quam si caruisset quacumque sensatione, & animali operatione. Atqui

---

hominibus inire, vel non inire; idque ejus postulabat animæ spiritualitas, qua differebat à brutis; quomodo operationes universæ ejus erant mere sensibiles, & animales? Anne animales tantum sunt actiones liberæ? At si tales essent, quomodo ex eis demonstraretur animæ humanæ spiritualitas?

(1) Loquimur de homine, quem Deus ipse immediate formavit: nam de cæteris, qui ex eo, exque ejus posteris nati sunt, non negamus, initia eorum fuisse per generationem; ideoque ipsos, ut cæteri pueri, non statim habuisse usum rationis, ob impedimenta in viribus sensitivis; qua ratione S. Thomas 1. p. q. 101. a. 2. demonstrat, pueros etiam in statu innocentiæ, si perdurasset, non statim post natos, habituros fuisse perfectum usum rationis. Sed pueri, sublatis impedimentis, habent rationis usum; ideoque Deum, & prima saltem principia moralitatis cognoscunt; neque ulli fuerunt umquam, ut Rousseaus fingit, homines perfectæ ætatis, sui compotes, omni intellectuali cognitione destituti, & animales tantum operationes habentes. Nemo enim extra infantiam constitutus, nisi forte sit phreneticus, laborare potest ignorantia invincibili existentiæ Dei, & primorum saltem principiorum juris naturæ, ut demonstratum est tom. 5. §. 1191. & supra §. 325.

(2) Non potuit vel ipse Rousseaus hanc differentiam negare: si enim eam negasset, nullum agnovisset discrimen essentiale inter homines, & belluas; nec potuisset hominis adserere libertatem: libertas enim in electione posita est; eligere autem est rationis opus.

fatente Genevensi Philosopho (si hoc sit nomine dignus) natura hominis non patiebatur, ut in statu illo nullam homo haberet sensationem, operationemque animalem; imo, ut ipse ait, considerato homine, prout *è manu naturæ prodire debuit*, universæ ejus operationes animales fuerunt. Multo igitur minus patiebatur natura hominis, ut is in eo statu omni destitueretur rationis usu. Considerato igitur homine, prout è manu naturæ debui prodire, necesse omnino erat, ut non solum operationes animales haberet, sed multo magis rationales.

343 Ad hæc, naturalis dici non potest status, qui est contra finem, ad quem homo ordinatur; natura enim, quæ operatur propter finem, numquam agit contra finem. Homo autem ordinatur ad Deum ultimum finem, in quo ejus vera felicitas est reposita, ut supra ostendimus (1). Non potest vero ad Deum ordinari ut ultimum finem, prout homini convenit, nimirum dirigendo se in finem, nisi Deum cognoscat. Si autem homo in statu primigenio quacumque fuisset intellectuali cognitione privatus, non potuisset Deum cognoscere. Fuisset ergo frustratus suo ultimo fine ex ipsa conditione status, in quo positus fuisset à Deo. Non igitur status ille fuisset naturalis (2), & Deus egisset contra finem, ad quem hominem ordinaverat: quæ gravissima sunt absurda.

344 Rursus, si homines ea habuerunt primordia, quæ Rousseaus confingit, ut inter sylvas, & antra belluarum more viverent sine religione, sine societate, sine lege, sine rationis usu; eorum primam quæremus originem. Dicetne Rousseaus, de hac non esse inquirendum, quod mundus fuerit ab æterno? Non putamus, in hac ipsum fuisse sententia, præsertim cum agnoscere se dicat primum hominum parentem. Admissa etiam mundi æternitate, perpetuaque generationum successione, explicandum esset, cur homines ea olim habuissent primordia, à quibus postea recessissent? Dicendumne erit, eos veluti ranas, aut fungos de terra olim prodiisse? Ita sane comminiscebantur veteres Ægyptii, teste Diodoro Siculo (3); atque ita placuit Hobbe-

(1) §. 87.

(2) Unus ex finibus intermediis, ad quos homo, sicut & cætera animalia, destinatus fuit, est propagatio speciei. Quis diceret, hominem in statu primigenio ita fuisse à natura comparatum, ut non nisi post multa secula hunc adsequi finem posset? Si ita de fine intermedio, quanto magis de fine ultimo?

(3) L. 1. Vide ejus verba, quæ descripsimus tom. 1. not. 3. §. 778.

sio (1) hominem in statu naturali consideranti. Quis vero, nisi plane stultus, hanc generi humano originem tribuet? Fatendum est ergo, universos homines processisse ab uno primo Parente. De hoc igitur quærendum est, an talis fuerit, quales Rousseaus primos homines describit: nam si is belluarum more non vixit, sed ratione usus fuit, Deumque agnovit, & jura honestatis; quæ ratio erit, ut dicamus, filios, nepotesque ejus nihil ejusmodi ex ipso rescisse, & in summam stupiditatem fuisse lapsos?

345 Quod autem primus Parens omni fuerit scientia perfusus, demonstratum à nobis fuit (2), & ab Angelico hac efficaci ratione ostenditur (3): »Naturali ordine perfectum præcedit imper»fectum, sicut & actus potentiam; quia ea quæ sunt in po»tentia, non reducuntur ad actum nisi per aliquod ens actu: »& quia res primitus à Deo institutæ sunt, non solum ut »in seipsis essent, sed etiam ut essent aliorum principia; ideo »productæ sunt in statu perfecto, in quo possent esse »principia aliorum. Homo autem potest esse principium »alterius, non solum per generationem corporalem, sed etiam »per instructionem, & gubernationem. Et ideo, sicut primus »homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut »statim posset generare; ita etiam institutus est in statu per»fecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, & »gubernare.“ Commentitius est ergo status ille primævus, quem Rousseaus fingit: nam si posteri Adæ ab ipso fuerunt instructi, & gubernati, isque erat omni scientia à Deo donatus, tantum abfuit ut status ille stupiditatis fuerit, & vitæ mere animalis, & belluinæ, quin fuerit maxime perfectus (4).

Vide etiam quæ ibidem dedimus ex Lucretio, Horatio, & Vitruvio; comperiesque, hypothesim Rousseau iisdem ferme terminis ex veteribus illis fuisse acceptam; nihilque aliud ipsum egisse, quam renovare veterum illorum fabulam, qui sane commiseratione digni erant, cum expertes essent doctrinæ revelatæ; qua commiseratione indignus Rousseaus est, qui sacras Litteras legerat, fabulamque illam reproduxit vel ostentationis, vel fovendæ incredulitatis causa; minime advertens, vel non animadvertisse simulans, vetustissimam à se doceri fabulam.

(1) De Cive c. 8. §. 1.

(2) Tom. 1. hujus nostri oper. §. 22.

(3) 1. p. q. 94. a. 3.

(4) Non loquimur de perfectionibus quibusdam accessoriis, quæ addi progressu temporis potuerunt ex artium præsidiis, quas tamen

346 Pro altera prop. parte ita breviter. Ac 1. quam difficile fuisset homini perfectam, continuatamque corporis sanitatem tueri, si belluarum instar vixisset! Nec ipsæ belluæ continua fruuntur sanitate; quanto minus homines illi, qui utut ponerentur induruisse, numquam ad duritiem sive ursorum, sive leonum, sive elephantum pervenissent? 2. Quot modis lædi potuisset hominum sanitas, morsibus, veneno, rabie belluarum, nisi ipsi quoque homines, ut totidem sylvarum bestiæ, inter sese dimicassent, seque confecissent! 3. Qui felix esse poterat homo ad brutorum conditionem dejectus, eorumdem magisterio indigens, Creatoremque suum ignorans? 4. Si felicem in hac conditione hominem dixeris, quod ea ignoraret, nec tamen nosceret quidpiam, quo perturbari posset; non esset, cur dementes & fatuos non etiam felices diceres, quia rationis usu destituuntur. Cætera, quæ addi possent, omittimus (1): nam dicta plus quam satis ostendunt, quam turpiter Rousseaus desipuerit.

347 Ad primum negamus, hominem exutum donis supernaturalibus, & artificialibus facultatibus, non nisi sensationibus esse instructum; quot enim alia dona naturalia sunt ad lineam intellectivam pertinentia, quibus homo est locupletatus! Negamus etiam, non posse statum hominis naturalem cognosci, nisi homo exuatur omnibus donis supernaturalibus: nam dona supernaturalia non destruunt, sed perficiunt naturam; & cum in eodem subjecto reperiantur, idem potest considerari in statu naturali, prout est affectum donis naturalibus, & in statu supernaturali cum donis supernaturalibus. Non exuitur homo donis supernaturalibus, si consideretur cum præcisione ab illis; sicut non exuitur rationalitate, cum consideratur in ipso animalitas, præscindendo à rationalitate. Denique negamus, hominem in statu naturali primævo fuisse exutum donis supernaturalibus, & facultatibus artificialibus. Fuit enim plenus scientia, & creatus in gratia, ut S. Thomas ostendit (2).

348 Ad secundum negamus, usum sermonis universim ac-

---

omnes Adamus perfecte calebat. Sed loquimur de perfectionibus præcipuis humanam naturam exornantibus in veritatum cognitione, atque in officiis hominis erga Deum, erga seipsum, & erga alios homines.

(1) Multis Rousseau opellam confutaverunt inter cæteros Castillonus, & Castellus, quarum refutationum epitome habetur cit. tom. 3. Opp. Rousseau.

(2) 1. p. q. 94. a. 3. & q. 95. a. 1.

cepti non esse homini naturalem; proprium est enim hminis loquutione uti, cum sit animal naturaliter sociale, ut dictum est (1), quamquam naturale homini non sit hoc, vel illo idiomate uti. Negamus præterea, absque usu sermonis nullas acquiri posse ideas universales: nam voces sunt signa idearum, nec nisi ad exprimendas ideas adsumuntur; quare non ideæ ab ipsis, sed ipsæ ab ideis pendent. Experiendo constat, surdos à nativitate, qui idcirco & muti sunt, multa cognoscere, & addiscere, quæ absque ratiocinio cognosci, & addisci nequeunt (2).

349 Ad tertium respondemus, mirandum valde esse, Philosophos hosce, qui scepticismum profitentur, contemnuntque sacram Moysis narrationem, quam, nisi velint divinitus inspiratam admittere, negare non possunt esse vetutissimæ antiquitatis supra cæteros libros; absque ulla dubitatione se fidei committere nonnullorum recentium Viatorum, qui nisi in eadem incredulitatis remigarint navi, saltem decipi potuerunt, vel quia eorum populorum mores non satis exploratos habebant, vel quia eorum intelligere nesciebant loquutionem. Jam supra ostendimus (3), quam illi à veritate aberrarint, dum ab eis barbaris Divinitatem nullam agnosci dixerunt. Sed incitemus acrius, vehementiusque. Quis umquam regionem aliquam vidit, in qua homines extarent ita stupidi, ut nullum rationis exhibuerint signum, nullam inter se habuerint societatem (4), nullum sermonis usum (5)? Fuerit quispiam inter feras enutritus, & loqui nescius; quænam horumce Philo-

(1) §. 341.

(2) Christianus Thomasius Introd. in Log. c. 3. §. 24. in eo fuit errore, surdum scilicet à nativitate nullo modo posse cogitare, *eo quod cogitare non aliud est, quam sibimetipsi loqui: qui autem surdus natura est, loqui nullo modo potest.* Imperitus nescivit distinguere inter internam, & externam loquutionem: inter verbum mentis, & verbum oris.

(3) Tom. 5. §. 1205. sq.

(4) Mira est ejusmodi Philosophorum solertia: nam Scriptores citant, qui pessime de populis barbaris loquuti sunt; de illis silent, qui plus æquo eorum indolem, probosque mores commendarunt; inter quos est Andersonius in *Groenlandiæ descriptione*, & de la Hontan in *descriptione Americæ Septentrionalis.*

(5) Ne putent scioli nostri, in barbaras regiones se tantum penetrasse, eos mittimus ad Angelicum Præceptorem, qui 1. Polit. lect. 1. (Sunt hæc commentaria genuina S. Thomæ, qui, ut Veteres omnes ejus opera recensentes testantur, super quatuor priores libros

sophorum dialectica est, ex uno, aut altero, qui uti monstra humanitatis haberi possunt, inferre, universos homines in primævo, & originario statu naturali tales fuisse? Sed finem imponamus: nam hi Philosophi nihil norunt minus, quam Logicæ regulas: & cum libros edunt, verbis quidem, quæ eloquentiam quamdam præ se ferre videntur, paginas implent, ne unam vero rationem concludentem proferre sciunt. Quæ quidem ratio est, quare Scholasticos insectentur, qui non verbis, sed rationibus dimicant, quas illi ne declinare quidem sciunt.

Politicorum scripsit, licet quatuor posteriores sint S. Thomæ abjudicandi, ut ostendit Echardus de Script. Ord. Præd. tom. 1. pag. 286.) inquit: » Potest autem hic esse dubium, qui dicantur barba» ri. Dicunt enim quidam, omnem hominem barbarum esse ei, qui » linguam ejus non intelligit. Unde & Apostolus dicit (1. Cor. 14. » v. 11.) *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquar, barbarus, & » qui loquitur mihi, barbarus.* Quibusdam autem videtur, illos bar» baros dici, qui non habent litteralem loquutionem in suo vulgari idio» mate. Unde & Beda dicitur in linguam Anglicam liberales artes transtu» lisse, ne Anglici barbari reputarentur. Quibusdam autem videtur, » barbaros esse eos, qui ab aliquibus cujuslibet legibus non reguntur. » Et quidem omnia aliqualiter ad veritatem accedunt. In nomine enim » barbari extraneum aliquod intelligitur. Potest autem aliquis homo » extraneus dici vel simpliciter, vel quoad aliquem. Simpliciter qui» dem extraneus videtur ab humano genere, qui deficit ratione, se» cundum quam homo dicitur, & ideo simpliciter barbari nominan» tur illi, qui ratione deficiunt vel propter regionem cœli, quam in» temperatam sortiuntur, ut ex ipsa dispositione regionis hebetes ut » plurimum inveniantur (*tales sunt Laponi, & Groenlandi*); vel » etiam propter aliquam malam consuetudinem in aliquibus terris » existentem, ex qua provenit, ut homines irrationales, & quasi bru» tales reddantur.“ Et in cit. c. Epist. 1. ad Cor. *Barbari proprie dicuntur illi, qui in virtute corporis vigent, in virtute rationis deficiunt, & sunt quasi extra leges, & sine regimine juris.* Vides ergo, posse quidem dari homines hebetes propter soli conditionem, aut perversos moribus ob pravas consuetudines: sed longe hæc sunt à primævo hominum naturali statu, si ejus natura consideretur.

ARTICULUS II.

Utrum status naturalis hominis sit status belli omnium in omnes.

350 Ita esse docet Hobbesius (1), multoque jam ante docuerat Clinias Cretensis (2), ut Puffendorfius (3) observat (4). Videtur autem ita dicendum, I. quia in statu naturali omnia erant communia, & omnes viribus æquales (5). Posita autem communitate rerum, & virium æqualitate, sequitur voluntas lædendi ob appetitum plurium, ut eadem re fruantur, quia sæpissime neque ea frui communiter, neque eam dividere poterant; unde sequitur, fortiori dandam fuisse: quis autem sit fortior, pugna est judicandum. Status igitur naturalis hominum est status belli omnium in omnes (6).

351 II. In statu naturali homines vel sunt modesti, vires suas recte æstimantes, ac permittentes cæteris eadem omnia, quæ sibi; vel sunt ferocis ingenii, omnia sibi solis licere arbitrantes. Atqui his quidem inest voluntas lædendi, illis vero necessitas suam libertatem, resque suas defendendi. Inter utrosque igitur est mutuum bellum (7).

352 III. Ingeniorum maximum est certamen: ex ea autem contentione maximas oriri discordias necesse est: nam ipsum non consentire odiosum est, ac contemptus, & exprobratio erroris adversus eum, qui non consentit (8). Fieri autem nequit, ut odium, & contemptus non pariant lædendi libidinem. Omnibus

---

(1) In l. de Cive c. 1. sq. & c. 8. & 13. & in Leviathane.

(2) Apud Platonem l. 1. de Leg.

(3) De jure nat. & gent. l. 2. c. 2. §. 5.

(4) Parum ab Hobbesio distat Thomasius, qui in Fund. jur. nat. & gent. l. 10. c. 3. §. 55. docet, statum hominis naturalem esse confusum chaos ex bello, & pace, magis tamen participans de statu belli, quam pacis.

(5) Putat Hobbesius, omnes homines æqualium esse virium, ut se mutuo lædant; quia quod aliqui robore non possunt, malitia possunt, & per insidias.

(6) Hobb. de Cive, c. 1. §. 3. & 6. (7) Ibid. §. 4.

(8) Exemplum ponit Hobbesius ibid. §. 5. „quod nulla acrius gerantur bella, quam inter ejusdem religionis sectas.“ Principio negamus, hæreticorum sectas pertinere ad eamdem religionem. Nam, ut recte Tertullianus l. de Præscript. c. 37. *Si hæretici sunt, Christia-*

igitur inest mutua lædendi voluntas, ex qua mutuum sequitur bellum.

353 IV. Experiendo compertum est, *naturam homines dissociasse, & ad mutuam cædem aptos, inclinatosque produxisse.* Cur enim iter agentes quærimus comites, & arma gestamus? cur fores claudimus, cum imus dormitum? cur supremæ Potestates militias instruunt, speculatores in statione ponunt, arces muniunt, nisi quia hostes timent, & alii aliis suspecti sunt (1)?

354 V. Americani, etsi per familias congregati sint, & in iis concorditer vivant similitudine sola cupiditatum, tamen cum cæteris ita se habent, ut inter eos sit bellum omnium in omnes (2).

Prop. I. *Status mutui belli omnium in omnes naturalis esse non potest, spectata conditione naturæ humanæ in seipsa, prout est à Deo condita.* II. *Potest tamen mutuum bellum esse inter privatos* (3) *homines ex corruptione naturæ;* III. *non tamen omnium in omnes.*

355 Demonstratur 1. pars. Ac primum quidem homo est

---

ni esse non possunt, non à Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Deinde, quis vel modice historiæ Ecclesiasticæ gnarus nescit, turbas ab hæreticis primum in Catholicos Principes fuisse motas, imo in ipsos Principes heterodoxos? Exemplum Caroli I. Angliæ Regis à *Parlamentariis*, ut vocant, & à Cromuello impiæ factionis auctore, capite plexi in publico foro per summam injustitiam, erat recens, cum librum de Cive Hobbius scribebat, & propterea scribebat. Hi autem non de doctrinis certabant: nam quid de doctrinis cum Carolo I. qui in hæresi Calviniana infelix obiit? Ducebantur ergo alio principio, quo nimirum detrectabant subjici legitimæ Potestati, ejusque optabant jugum excutere. Hæc causa fuit, cur tam sæpe heterodoxi arma sumpserint adversus Reges, eosque bellis fatigarint.

(1) Hobb. in Leviath. c. 13. (2) Loc. cit.

(3) Non loquimur de publicis Potestatibus: nam, ut recte S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 1. „Cum cura reipublicæ commissa sit Principibus, „ad eos pertinet rempublicam civitatis, vel regni, seu provinciæ si„bi subditæ tueri. Et sicut licite defendunt ea materiali gladio con„tra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt... „ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab ex„terioribus hostibus.“ Sed hac de re infra.

naturaliter animal sociale, ut demonstratum est (1). Repugnat autem socialitas cum bello omnium in omnes: nam quæ societas esse potest inter hostes, qui se invicem conficere, destruereque student (2)? II. Status belli est violentus; qui enim adversus alium præliatur, vim ei infert. Fieri autem nequit, ut status violentus sit naturalis: nam ipsa vis est contra naturam (3). III. Homines sunt similes in natura, sunt enim omnes ejusdem naturæ. Similitudo autem est causa amoris; unio vero est amoris effectus (4). Ubi autem est unio, quæ animos conjungit, non potest esse bellum, quod animos separat (5). IV. Status perpetui belli omnium in omnes cum recta ratione pugnat, cujus est in officio continere, atque compescere avaritiam, libidinem, superbiam, aliosque perversos animi motus, ac fovere cum proximo pacem, & cum Deo amicitiam. Recta siquidem ratio suadet, ut voluntas subjiciatur Deo, & pars hominis inferior subjiciatur superiori (6): cum hac autem subjectione stare nequit perpetuum bellum omnium in omnes, quod non nisi ex passionum tumultu oriretur (7), ut Hobbesius ipse fate-

(1) §. 341.

(2) Vide S. Thom. 1. Polit. lect. 1.

(3) Vide S. Thom. 2. 2. q. 175. a. 1.

(4) Confer eumdem 1. 2. q. 27. a. 3. & q. 28. a. 1. & Opusc. 4. c. 6. ubi ait: » Ad dilectionem proximi nos inducit . . . . naturæ com-» municatio. Sic enim dicitur Eccl. 13. *Omne animal diligit simile sibi.* » Unde cum omnes homines sint similes in natura, invicem se dili-» gere debent; & ideo odisse proximum non solum est contra divi-» nam legem, sed etiam contra legem naturæ."

(5) Si aliter esset, deterior foret conditio hominis, quam brutorum, de quibus Juvenalis Satyra 15.

Parcit cognatis maculis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris alit rabida cum tigride pacem
Perpetuam, sævis inter se convenit ursis.

(6) Vide S. Thom. 1. 2. q. 82. a. 3.

(7) Ut idem S. Thomas ostendit 2. 2. q. 40. a. 1. ut bellum sit licitum, requiritur 1. auctoritas in eo, qui bellum indicit, 2. justa causa, 3. recta intentio bellantium, ut infra ostendemus. Hæ autem conditiones inveniri non possent in bello omnium in omnes, ut per se constat. Itaque bellum illud saltem ex parte inferentium esset iniquum. Impium est autem dicere, hominem ita fuisse à Deo constitutum, ut ex conditione status naturalis, in quo Deus ipsum posuerat, inclinatus esset ad bellum iniquum.

tur (1). V. Ut S. Thomas ostendit (2), omnia pacem appetunt, idque adeo verum est, ut *pacis intentione gerantur & bella*, ut S. Augustinus animadvertit (3). VI. Non alia ratione voluit Deus, ut ex uno omnes homines propagarentur, nisi ut eis commendaret concordiæ vinculum (4). Spectata igitur conditione humanæ naturæ, prout condita à Deo est, naturalis status, hominis non potest esse belli omnium in omnes (5). Hinc autem satis refutata remanet Thomasii (6) sententia (7).

356 Accedimus ad secundam prop. partem, eamque pro-

---

(1) De Cive c. 1. §. 2. sqq. (2) 2. 2. q. 29. a. 2.

(3) Lib. 19. de Civ. c. 21. ubi multis hanc veritatem confirmat: atque inter cætera: » Latrones ipsi, *inquit*, ut vehementius, ac tutius » infesti sint paci cæterorum, pacem volunt habere sociorum.“ Vide Platonem l. 1. de Leg. & Aristotelem l. 7. Polit. c. 14.

(4) Idem S. Augustinus l. 12. de Civ. c. 12. » Unum, *ait*, & sin- » gulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, » sed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis uni- » tas, vinculumque concordiæ, si non tantum inter se naturæ simi- » litudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur.“

(5) Ex hisce autem manifeste apparet, quam immerito Bælius in Dict. art. *Hobbes* lit. D. systema Hobbesianum excusare tentaverit, quasi bene sit colligatum, aptumque ad muniendum regnum, quod in statu turbationis reperiatur, ut erat tunc Angliæ regnum ob cædem Caroli I. Videtur potius Hobbesii systema homines impellere ad seditiones: nam si semel verum esset, ita homines naturaliter esse constitutos, ut mutua inter sese, perpetuaque bella gererent, quis eos continere posset, ut statui politico, & supremæ Potestati naturalem illam inclinationem coercenti, se subjicerent?

(6) Nam status naturalis hominum *per se* pacificus est, & solum *per accidens* bellicus; naturalis enim ratio dictat, appetendam esse pacem, quæ per se bona est; bellum vero suscipiendum ad pacem obtinendam. Quare fieri non potest, ut status naturalis plus participet de bello, quam de pace, ut Thomasius dicit: nam quod est *per se*, est intentum *per se*, & *absolute* à natura; quod vero est *per accidens*, non est ex primaria intentione naturæ.

(7) Heineccius in Prælect. Acad. ad Puffend. l. 1. c. 5. §. 8. sq. accedere videtur ad Hobbesii, & Thomasii errores, cum docet, in statu naturali, quia deest judex, seu magistratus, reputandum esse ut hostem eum, qui injuria aliquem affecerit, & satisfacere nolit; idque etiamsi injuria sit levis; atque idcirco injuriam passo omnia in infinitum contra ipsum licere. Si hæc admittantur, incidimus pæne in Hobbesianum errorem: nam quot reputari, aut fingi ab hominibus injuriæ possunt! Quis autem dixerit, Deum voluisse homini jus con-

bamus ex S. Thoma (1), 1. quidem quia inter homines nonnulli sunt ita corrupti moribus, ut contineri non possint neque vinculo amicitiæ, neque sub jugo legis, neque sub regula rationis. *Qui autem est talis secundum naturam*, (id est, ex corruptione naturæ) *simul cum hoc oportet quod habeat, quod sit cupidus belli, quasi litigiosus, & sine jugo existens. Sicut videmus quod volatilia, quæ non sunt socialia, sunt rapacia.* Inter ejusmodi homines potest esse mutuum bellum non ex conditione, sed ex corruptione naturæ. II. » Homo est optimum animalium, si perficiatur in eo virtus, ad quam habet inclinationem naturalem. Sed si sit sine lege, & justitia, homo est pessimum omnium animalium; quia injustitia tanto est severior, quanto plura habet arma, id est adjumenta ad male faciendum. Homini autem secundum suam naturam convenit prudentia, & virtus, quæ de se sunt ordinatæ ad bonum; sed quando homo est malus, utitur eis quasi quibusdam armis ad male faciendum, sicut per astutiam cogitat diversas fraudes, & per abstinentiam potens fit ad tolerandam famem, & sitim, ut magis in malitia perseveret, & similiter de aliis: & inde est, quod homo sine virtute quantum ad corruptionem irascibilis est maxime scelestus, & sylvestris, utpote crudelis, & sine affectione (2). Et quantum ad corruptionem concupiscibilis est pessimus quantum ad venerea (3), & quantum ad voracitatem ciborum (4)." III. Quia, ut idem S. Thomas advertit (5), »Est hominis lex, quam sortitur ex ordinatione

---

cedere, quod in humanæ societatis perturbationem vergeret? Ex hac Heineccii doctrina manavit quarta earum propositionum, quas confixit Benedictus XIV. die 10. Novemb. 1752. *Licitum est in statu naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.* Et similiter quinta: *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.*

(1) 1. Polit. lect. 1.

(2) Tales erant ii populi, qui parentes senio confectos occidebant, quique carnibus humanis vescebantur. Vide Plinium Hist. nat. l. 6. c. 30.

(3) In hunc veniebant censum, qui cum matribus, & sororibus commiscebantur, & communitatem admittebant uxorum. Vide quæ diximus §. 172 & 179.

(4) De ejusmodi barbaris hominibus conferri possunt, quæ scribit Plinius Hist. nat. l. 5. c. 8. & l. 7. c. 2.

(5) 1. 2. q. 91. a. 6.

»divina secundum propriam conditionem, ut secundum ratio»nem operetur; quæ quidem lex fuit tam valida in primo sta»tu, ut nihil vel præter rationem, vel contra rationem pos»set subrepere homini. Sed dum homo à Deo recessit, incur»rit in hoc, quod feratur secundum impetum sensualitatis. »Et unicuique etiam particulari hoc contingit, quanto magis »à ratione recesserit, ut sic quodammodo bestiis assimiletur, »quæ sensualitatis impetu feruntur, secundum illud Psal. 48. » *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est »jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*" Si ergo in hominibus attendatur corruptio naturæ, & declinatio eorum à ratione ob morum pravitatem, possunt homines esse similes, imo & aliquando bestiis pejores, nec possunt tantum esse, sed multi revera sunt ita truces, ut absque ulla affectione esse videantur. Inter hos autem quod sit mutuum bellum, mirum esse non debet, præsertim si nulla civili lege contineantur. Id vero non provenit ex conditione naturæ humanæ, quæ ex ordinatione Divina inclinata est ad agendum secundum rationem, ideoque ad pacem, & ad mutuum amorem; sed provenit ex corruptione naturæ adhuc amplius depravatæ per malas consuetudines (1).

357 Quamquam vero (estque ex S. Thoma (2) tertiæ prop. partis probatio) natura in omnibus hominibus depravata sit (3); non omnes tamen sequuntur pravas inclinationes naturæ (4); imo in iis ipsis, qui secundum impetum earum inclinationum feruntur, natura non est adeo depravata, ut nullum in ea extet

---

(1) Hinc extitit necessitas legis civilis, ut ii nempe, qui contineri nesciunt amore virtutis, contineantur timore pœnæ. Quod videtur innuere Apostolus 1. ad Tim. 1. v. 9. cum ait: *Lex justo non est posita, sed injustis.* Id est, ut interpretatur S. Thom. ib. lect. 3. »Si omnes essent justi, nulla necessitas esset dandi legem", *coactivam* scilicet metu pœnarum, ut ibid. S. Doctor exponit.

(2) 1. 2. q. 71. a. 2. ad. 3.

(3) Hæc depravatio perspecta fuit & ipsis Ethnicis Philosophis, quamvis ignoraverint veram ejus causam, id est peccatum originale. Inclinatio enim ad malum non potest esse à Deo auctore naturæ, qui est ipsa bonitas.

(4) S. Thomas loc. cit. rationem reddens, cur plures ex hominibus vitia sequantur, licet vitium sit contra naturam: »In homine, »*inquit*, est duplex natura. Scilicet rationalis, & sensitiva. Et quia »per operationem sensus homo pervenit ad actum rationis, ideo »plures sequuntur inclinationes naturæ sensitivæ, quam ordinem ra-

rectæ rationis vestigium ; lex enim naturalis, saltem quoad prima principia omnibus nota, deleri prorsus à cordibus hominum nequit, ut dictum est (1). Inter hæc autem principia recensetur illud, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* ; quo quidem perstante, contingere non potest, ut & ipsi homines corruptissimi non animadvertant saltem aliquando, non esse aliis inferendum bellum, quod ipsi ab aliis sibi inferri nolunt. Fieri erog non potest, ut in statu etiam naturæ corruptæ sit inter homines bellum omnium in omnes.

358 Ad primum negamus, in statu naturali omnes omnino res fuisse communes, & unicuique homini fuisse jus in omnes, & omnia, ut Hobbesius dicit (2). Quis enim affirmabit, cuique tunc fuisse jus non solum in alterius bona quæ fortunæ dicuntur, sed etiam in ejus corpus, in vitam, in uxorem, in filios, in famam, in animam denique ipsam (3)? Non negamus, tunc

---

» tionis. Plures enim sunt, qui assequuntur principium rei, quam qui ad » consummationem perveniunt. Ex hoc autem vitia & peccata in hominibus proveniunt, quod sequuntur inclinationes naturæ sensitivæ contra » ordinem rationis.“ Plures igitur sunt, qui ab ordine rationis deflectunt ; at multi etiam sunt, qui ordinem rationis servant : & inter ipsos corruptos homines nemo unus est, qui non aliquando aliquid faciat boni moraliter ; non enim est in eis omnino vitiata natura, quin possit aliquid boni facere.

(1) §. 325. sq. (2) De Cive c. 1. §. 10.

(3) Hoc jus omnium in omnes, & in omnia absurdum visum est & ipsi Puffendorfio : nam l. 1. de jur. nat. & gent. c. 2. §. 3. illud jus reprobat in Spinoza : & merito sane ; si enim unicuique fuisset jus in omnes, & in omnia, jus unius cæterorum jura exhausisset ; igitur cæteri nullum habuissent jus. Quale etiam jus esse potest, cui alter pari jure possit resistere ? Insuper, si omnia fuissent communia, nullius juri fuissent addicta. Et si unusquisque jus habebat ad propriam conservationem, quomodo alter poterat habere jus ipsum lædendi, privandique eo, quod ille acceperat, ut se conservaret ? Conatus quidem Pufendorfius ibid. fuit Hobbesium excusare, propterea quod is hominem in eo statu subjecerit legum naturalium, & sanæ rationis regimini. Sed quænam lex naturalis dictare poterat jus omnium in omnes, & in omnia ? Quænam sana ratio præscribere bellum omnium in omnes ? Si, Hobbesio fatente, nihil ante legem civilem est justum, vel injustum, honestum, vel turpe, neque ulli in statu naturali fieri potest injuria ; quænam in eo statu potest esse lex naturalis, quænam recta ratio, nisi ad mentem Spinozæ, à qua, ut Mascovius in cit. Puffendorfii §. animadvertit, parum recedit Hobbesii sententia ?

bona fortunæ fuisse communia hoc sensu, quia antequam occuparentur, cuique licebat illa apprehendere: at postquam unus illa occupavit, jam eorum acquisivit dominium, à quo absque injuria deturbari non poterat; jam enim ex ipsa occupatione bona illa fecerat sua, habebatque justum possidendi titulum. Non erat igitur, cur ex hoc capite justum oriri posset mutuum bellum. Multoque minus ex virium æqualitate; videmus enim, eos qui imbecilles sunt viribus, timidos esse, licet quandoque aliis per insidias machinentur mortem; quam tamen marchinari neque omnes sciunt, neque omnibus per opportunitatem datur. Potius ergo ex inæqualitate virium sequi debuisset, non ausuros homines imbelles aliis fortioribus bellum indicere; ideoque saltem ex parte illorum non fuisset bellum omnium in omnes (1).

359 Ad secundum respondemus, Hobbesium contra seipsum pugnare. Nam si modesti homines cæteris permisissent, quæ sibi; non ergo inter modestos homines fuisset bellum; ideoque bellum non fuisset omnium in omnes. Ad summum bellum fuisset cum hominibus ferocis ingenii. Sed, ipso Hobbesio fatente, non omnes homines ingenii fuissent ferocis. Non ergo bellum fuisset mutuum inter omnes homines. Dato etiam, quod omnes fuissent ferocis ingenii, & mutua inter sese bella gessissent; an tales fuissent ex conditione status naturalis, & non potius ex coruptione naturæ? Quid ergo concludit Hobbesianum sophisma?

360 Ad tertium miramur, tantum judicii non suppetiisse Hobbesio, ut videret ingeniorum certamina esse paucorum (2). Quomodo autem ex certaminibus paucorum inferri potest bellum omnium in omnes? Ipsimet Dialecticæ tyrones paralogismum vident. Præterea, quot certamina sunt inter sapientes viros, quæ in bellum non exardescunt! nisi forte bella dicantur ipsa litteraria certamina, quæ cum diversitate sententiarum servant unitatem charitatis, nec pacem lædunt. Nam quod Hobbesius ait,

---

(1) Hæc dicimus, ut innotescat imbecillitas argumenti Hobbesiani: nam justitia belli non desumitur ex æqualitate, vel inæqualitate virium, sed ex justa causa, quæ si desit, bellum est injustum. In mutuo autem bello, quod Hobbesius fingit in statu naturali, non poterat utrimque esse justa causa.

(2) Videte ejusmodi hominum inconstantiam: nunc ajunt, homines in statu naturali barbaros esse, sylvestres, & ferme belluas; nunc vero eorum extollunt ingenia, & in medium producunt certamina ingeniorum. Fingine potest contradictio crassior?

ipsum non consentire odiosum esse, & veluti contemptum, qui parit lædendi libidinem, generatim falsum est: & si nonnulli sunt ita affecti, non recta ratione ducuntur, sed pravis affectionibus suis, quæ longe distant à statu naturali.

361 Ad quartum respondemus quærendo ex Hobbesio, an ii, qui iter agentes sibi comites adjungunt, armaque gestant, & qui fores claudunt, cum eunt dormitum, sint in statu mere naturali? Non affirmabit; sunt enim in civitatibus, & in statu publico. Nihil ergo inde concluditur. Quærimus item, à quibusnam caveamus, dum ita sumus cauti? à domesticisne, à fratribus, ab amicis? Nihilo minus: à furibus certe, à latronibus, à grassatoribus. Suntne hi tales ex naturæ instituto? Non concedet Hobbesius, nisi delicta adscribat naturæ institutioni. Quænam est igitur consequutio: Cavemus nobis à furibus, à latronibus, à grassatoribus; igitur natura homines dissociavit, & ad mutuam cædem aptos, inclinatosque produxit? Naturane inclinavit homines, aptosque reddidit ad furta, ad latrocinia, ad grassationes, ad cædes? O Philosophi in primis acuti, qui ejusmodi inferunt consequentias! Quod vero supremæ Potestates militias habeant instructas, arcesque munitas, caute ac prudenter faciunt, non quod universos homines timeant ut hostes, sed ne ab hostibus, si qui sunt, incauti deprehendantur.

362 Ad quintum respondemus 1. Americanos, ut Hobbesius concedit, cum suis contribulibus concorditer vivere, ideoque ex eis frustra infertur status belli omnium in omnes. 2. Etiamsi Americani omnes cum omnibus bella inirent, id non esset ex instituto naturæ, sed ex morum perversitate; quare rursus insipienter concluderetur, bellum omnium in omnes esse ex inclinatione naturæ. 3. Falsum est, Americanos, saltem omnes, ita se habere cum cæteris, ut perpetuum cum eis bellum gerant; idque tam certum est, ut quisque testari queat, qui Americanas regiones invisit, acceptumque habemus ab iisdem Americanis, & ab eis, qui in America nati, vel educati sunt, quorum consuetudine plurimum usi sumus.

ARTICULUS III.

Utrum status naturalis sit hominis utcumque in mundum projecti, sibique soli relicti.

363 Ita statum hominis naturalem confingere placuit Puffendorfio (1). Videtur autem ita dicendum, 1. quia homo in statu naturali consideratur extra societatem. Atqui extra societatem non potest aliter considerari, quam ut in mundum utcumque projectus, & sibi plane relictus. Ergo.

364 II. Si quis omnia velit circumspicere, quibus ad vitam utimur, & quam difficile cuivis futurum fuerit omnia ista proprio marte invenire, comperiet sane, hominem extra societatem debere vitam miserrimam agere, ac fere belluinam, donec ad aliquem vitæ cultum proficiat. In statu igitur naturali homo considerandus est utcumque in mundum projectus, sibique plane relictus.

Prop. *Imperite status naturalis definitur fingendo hominem undecumque in mundum projectum, sibique soli plane relictum citra omne humanum subsidium, miserrimam, & ferme belluinam agentem vitam.*

365 Demonst. 1. Status naturalis hominis societatem non excludit; est enim homo naturaliter animal sociale, ut ostensum est (2); idque negare Puffendorfius nequit, qui ex dictis (3) primum legis naturalis principium, quod sane ad statum hominis naturalem pertinere debet, in socialitate reponit.

---

(1) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 2. §. 2. » Ut, *inquit*, status naturalis faciem animo concipere queamus, qualis is citra ulla subsidia, & inventa humana, aut divinitus homini suggesta futurus fuerat, fingendus nobis est homo undecumque in huncce mundum projectus, ac sibi soli plane relictus citra omne subsidium humanum post nativitatem ipsi accidens, & quidem ut non amplioribus animi corporisque dotibus sit instructus, quam nunc nulla prævia cultura deprehenduntur, neque eumdem peculiari Numinis cura foveri.“ Pergit, ac miserrimam ejusmodi hominis conditionem describit, parum à conditione belluarum discrepantem, sive infans ille ponatur esse, sive justa jam statura, & robore præditus.

(2) §. 339. (3) §. 263.

Homo autem socialis inepte consideratur tamquam in mundum utcumque projectus, sibique soli plane relictus. Ergo.

366 Demonst. 2. Status naturalis non excludit statum domesticum, quo uxores maritis, & filii parentibus subjiciuntur; imo educationem filiorum, & familiæ curam præscribit: hæc enim sunt ex instituto naturæ, ut ipse Puffendorfius testatur (1). Sed homines in statu domestico viventes non sunt utcumque in hunc mundum projecti, sibique solis plane relicti. Ergo.

367 Demonst. 3. Status naturalis à Philosophis junioribus non consideratur nisi ut contradistinctus à statu civili, ita ut homo, qui in statu civili est subjectus legibus positivis reipublicæ, in qua degit, in statu naturali consideretur ut subjectus tantum legibus naturæ. Sed homines considerati ut subjecti tantum legibus naturæ, nullisque legibus civilibus obstricti, non sunt homines utcumque in mundum projecti, sibique solis plane relicti; possunt enim, imo debent se invicem juvare ex ipsa institutione naturæ, quæ mutuum amorem præcipit. Ergo.

368 Demonst. 4. ex S. Thoma (2), qui primum quidem ostendit, communicationem inter virum, & mulierem ad generandum, & ad officia domestica esse naturalem, eo quod natura *non solum intendit generationem, sed etiam quod generata salventur.* Ex hac autem communicatione habetur communitas domus *constituta ex pluribus communicationibus personalibus*; ideoque communitas domus est naturalis, & ad statum hominis naturalem pertinet. Ostendit deinde, communitatem vici, sive viciniam domorum maxime esse secundum naturam. *Nihil enim est magis naturale, quam propagatio multorum ex uno, & hoc facit viciniam domorum... quæ ex hoc primo processit, quod filii, & nepotes multiplicati instituerunt diversas domos juxta se habitantes. Unde cum multiplicatio prolis sit naturalis, sequitur, quod communitas vici sit naturalis.* Utraque ergo communitas & domus, & vici pertinet ad statum hominis naturalem, estque à natura intenta. Hinc vero Angelicus infert, etiam communitatem civitatis esse naturalem: quod sic ostendit: »Finis rerum naturalium est natura ipsarum. Sed civitas est »finis prædictarum communitatum, de quibus ostensum est, »quod sunt naturales. Ergo civitas est naturalis.“ Et ipsa igitur civitas spectat ad statum hominis naturalem, quatenus scilicet natura ipsa dictat, ut multiplicatis hominibus, multiplica-

(1) De jur. nat. & gent. l. 6. c. 1. §. 11.
(2) 1. Polit. lect. 1.

tisque domibus, ac pagis, constituatur civitas constans ex prædictis communitatibus. Tantum igitur abest, ut homo in statu naturali considerari possit ut projectus utcumque in hunc mundum, & sibi soli relictus; quin necesse omnino sit ipsum considerare tamquam destinatum naturaliter ad generandum filios, domumque primum, deinde pagos, postea civitatem constituendam. Hæc est vera consideratio status naturalis hominis, non illa quam fingit Puffendorfius, aliique Recentiores commenti sunt, non valentes tam alte spectare. Et licet quidam non civiliter vivant, id non efficit, quominus status naturalis hominis non sit civilis; ut enim idem S. Doctor animadvertit, accidit statui naturali hominis, ut quidam extra civitates vivant vel propter nequitiam, vel quod perfectiores sunt aliis hominibus communiter, *ita ut per se sibi possint sufficere absque hominum societate, sicut fuit in Joanne Baptista, & B. Antonio Eremita.* Id tamen quod est per accidens, non officit ei quod competit per se statui naturali hominis, *quia & alia naturalia aliquando deficiunt propter fortunam, puta, cum alicui amputantur manus, vel cum privatur oculo.*

369 Ad primum negamus ex dictis (1), hominem in statu naturali considerari debere ut existentem extra societatem. Quod si etiam consideraretur extra societatem; non ideo tamen oporteret eum esse miserum, ut Puffendorfius fingit, imo posset esse omnium mortalium felicissimus, uti fuere Sancti Anachoretæ in locis desertis vitam solitariam agentes, ab omni aliorum hominum consortio sejuncti (2).

---

(1) §. præced.

(2) Scimus, hæc non placere Puffendorfio, qui de Orig. jur. c. 5. §. 25. scribit: „Vita solitaria, ni ob commodum humanæ societatis sit suscepta, legi naturali repugnat. Nam ad hoc, ut quis absque impedimentis tanto majori studio pietati, ac precibus ad „Deum incumbat, opus non est, à consortio hominum, & impii hujus mundi segregare se, vitamque solitariam societati anteferre. Quasi non in vita maxime sociali locus sit. precibus fundendis, aut „quasi pietas commodius inter feras sylvestres, quam homines exerceatur." En paucis verbis Puffendorfius Sanctos Anachoretas è cœtu Sanctorum exturbat, & inter violatores legis naturalis reponit. Quin & ipsum sanctissimum Christi Domini Præcursorem in eodem censu habet: nam de ipso dicitur Luc. 1. v. 80. *& erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel*; quo tempore satis diuturno, si Puffendorfium audimus, Joannes legi naturali repugnavit; nam poterat æque commode pietatem exercere inter homines, quin vitam solitariam societati anteferret. Animalis homo erat Puffendor-

370 Ad secundum dicimus, rationem naturalem ostendere, hominem non à seipso esse, sed Deum habere auctorem, ac provisorem. Ad Deum autem provisorem pertinebat hominem quem creaverat, instruere de iis quæ necessaria erant ad vitæ conservationem, & profectum; alioqui non satis homini providisset: quod pugnat cum summa Dei sapientia, & providentia. Non erat igitur necesse, ut quivis homo proprio marte inveniret ea, de quibus jam primus homo fuerat à Deo instructus, ut ad vitam uteretur. Quapropter consideratio Puffendorfiana de statu naturali hominis miserrimo, & ad belluinam vitam accedente, non modo est contra sacras Litteras, quæ primum hominem omni scientiarum cognitione à Deo perfusum tradunt, sed est contra ipsam rationem naturalem.

ARTICULUS IV.

Utrum status naturalis præstet civili.

371 Statum naturalem hominis præ civili summe felicem esse Rousseaus contendit (1), ut supra dictum est (2); contra vero Puffendorfius (3) docet, eum statum esse miserrimum, si cum statu civili comparetur. Heineccius autem (4) videtur statum naturalem statui civili æquare. Barbeyracius vero (5), & Mascovius (6) plus videntur favere statui naturali, quam civili.

372 Videtur autem status naturalis præstare statui civili, I. quia status civilis majoribus subest incommodis, quam naturalis, si imperans sit impius, ut Nero; is enim rempublicam vexabit, & bona, ac vitam subjectorum populorum pessime habebit.

373 II. In statu naturali fructus industriæ cuique satis certi sunt; in statu civili sæpe à Principibus pessundantur.

---

fius, qui audire nesciebat vocem Domini dicentis Osee 2. v. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Absolute necesse non est se ab hominum consortio segregare, ut precibus, pietatique quis insistat. At nonne stultitia est negare, solitudinem ad id magis conferre? Vide S. Thom. 2.2. q. 182. a. 1. & 1. Polit. lect. 1.

(1) In cit. lib. *sur l'origine, & les fondem. de l'inégalité.*
(2) §. 335. (3) Vide not. *de jur. nat.* §. 363.
(4) Elem. jur. nat. & gent. l. 2. §. 12.
(5) In not. ad Puffend. de jur. nat. & gent. l. 2. c. 2. §. 2.
(6) Ib. not. 7. sqq.

374 III. Timor pœnarum satis potest continere plebem in statu civili; sed parum prodest ad continendos Proceres, & amicos Principum, qui soliti sunt leges eludere.

375 IV. Bella in statu naturali non necessario sequerentur, ut ostensum est (1). In statu autem civili frequentissima sunt, ita ut integræ devastentur provinciæ, & regna.

376 V. Barbaries, & ignorantia in plurimis etiam regnis vigent; multoque magis ambitio, avaritia, voluptas, injustitia, crudelitas, quæ aulas in primis occupant, & in cæteros serpunt.

377 VI. Nec majores in statu civili, quam in naturali divitias esse, ostendunt tot mendici in civitatibus obvii.

378 VII. Vita perpolita artibus, & scientiis, quæ in statu civili esse videtur, sæpe vanitati, stultitiæ, vitiisque fovendis inservit, nec regnat nisi in urbibus; alibi vero non nisi squaloris, & rusticitatis signa videntur (2).

379 VIII. In statu naturali omnes essent liberi, & à quovis imperante independentes: in statu autem civili hac libertate spoliati homines sunt.

380 IX. In naturali statu non tot essent irritamenta passionum, ut sunt in statu civili; hominesque proinde innocentius viverent; quemadmodum innocentius vivunt habitatores pagorum, & agrorum, quam incolæ civitatum.

381 X. Vita civilis intolerabilior est quam naturalis; multi enim in civitatibus sibi mortem adsciscunt: quod de hominibus sylvestribus nusquam legitur.

382 XI. Homo est naturaliter bonus. Quod ergo malus fiat, id provenit ex aliorum societate in statu civili.

383 XII. non potest decerni de præstantia status civilis supra naturalem, nisi constet, plus esse virtutis quam vitii in hominibus cultis; aut saltem eorum virtutes plus adferre utilitatis, quam damni eorum vitia. Quæ sane constare non possunt; imo potius constat oppositum (3).

(1) §. 355.

(2) Sunt hæc argumenta desumpta ex Mascovio loc. cit. qui ea desumpsit ex Titio, & Barbeyracio. Perspicitis vero ex illis, quam ii fuerint supremis Potestatibus addicti, adversus quas nullum non movent lapidem, ut earum deprimant dignitatem.

(3) Ita objicit Rousseaus sylvestrium hominum agens causam.

Prop. I. *Status civilis simpliciter præstat statui naturali,*
II. *licet secundum aliquid sit è converso.*

384 Prob. 1. p. ex S. Thoma (1). Status, ad quem natura ipsa inclinat, debet *simpliciter* præstare statui, ad quem natura non inclinat; inclinatio enim naturalis est à Deo auctore naturæ, qui vult id quod melius est, spectata rerum universitate & earum ordine. Atqui natura inclinat ad statum civilem; dictum est enim (2), hominem esse naturaliter animal civile, & civitatem esse ex intentione naturæ; quæ propterea non potest inclinare ad statum mere naturalem absque ulla civili forma. Status ergo civilis simpliciter præstat statui naturali.

385 Præterea, homo est naturaliter animal sociale, ut demonstratum est (3). » Si ergo (inquit (4) S. Thomas) natura»le est homini, quod in societate multorum vivat, necesse est »in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Multis enim »existentibus, & unoquoque id quod est sibi congruum pro»vidente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset »aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam »habens; sicut & corpus hominis, & cujuslibet animalis de»flueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, »quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod considerans Salomon dicit (Prov. 11. v. 14.): *Ubi non »est gubernator, dissipabitur populus* (sive, ut Vulgata habet, *»populus corruet*). Hoc autem rationabiliter accidit; non enim »idem quod proprium, & quod commune. Secundum propria »quidem differunt, secundum autem commune uniuntur. Diver»sorum autem diversæ sunt causæ. Oportet igitur, præter id »quod movet ad proprium bonum uniuscujusque, esse aliquid, »quod movet ad bonum commune multorum. Propter quod & »in omnibus, quæ in unum ordinantur, aliquid invenitur al»terius regitivum.... In uno etiam homine anima regit cor»pus, atque inter animæ partes irascibilis, & concupiscibilis »ratione reguntur. Itemque inter membra corporis unum est »principale quod omnia movet, aut cor, aut caput. Opor»tet igitur esse in omni multitudine aliquod regitivum (5). «

(1) 1 Polit. lect. 1. (2) §. 368.
(3) §. 339. (4) Opusc. 20. l. 1. c. 1.
(5) Tam id verum est, ut etiam in statu innocentiæ, si per-

Itaque in statu civili multitudo per unum regitur (1), ad quem pertinet curare bonum commune, ne multitudo in diversa dispergatur: in statu autem mere naturali nemo præesset multitudini, curaretque de communi bono. Jam vero status, in quo multitudo in diversa dispergeretur, & nemo intenderet bono communi, non potest *simpliciter* præstare statui, in quo unus de bono communi multitudinis curam habet, eamdemque multitudinem regit, ne in diversa dispergatur; perfectio enim *simpliciter* uniuscujusque rei maxime ab unitate pendet: nam quod magis de unitate participat, magis habet de ratione entis, ideoque magis de ratione boni: unumquodque autem dicitur bonum, quatenus est perfectum, ut in Metaphysica diximus (2). Status ergo naturalis non potest *simpliciter* præstare statui civili.

386 Insuper, *perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis*, ut advertit S. Thomas (3); ideoque illud dicitur perfectius, cui minus deest suæ perfectionis. Quis autem dixerit, homini in statu civili plus deesse suæ perfectionis, quam in statu mere naturali? Nonne artes, & scientiæ ad hominis perfectionem pertinent? hæ autem in statu civili maxime promoventur. Virtutes quoque morales ad perfectionem hominis in primis spectant; ipsæ vero foventur per leges civiles, per quas præmiis virtutes afficiuntur, & coercentur vitia. Hæc autem ad majorem perfectionem *simpliciter* pertinent.

387 Ordo item superiorum, & inferiorum, qui in statu ci-

---

durasset, aliquis multitudini hominum debuisset præesse, curaturus de bono communi, ut idem S. Thomas ostendit 1. p. q. 96. a. 4. ubi quærens, utrum homo in statu innocentiæ homini dominaretur, excluso dominio, prout opponitur servituti, ait: » Tunc vero dominatur aliquis alteri ut libero, quando dirigit ipsum ad proprium bonum ejus, qui dirigitur, vel ad bonum commune: & tale dominium hominis ad hominem in statu innocentiæ fuisset.... quia homo naturaliter est animal sociale; unde homines in statu innocentiæ socialiter vixissent. Socialis autem vita multorum esse non posset, nisi aliquis præsideret, qui ad bonum commune intenderet. Multi enim per se intendunt ad multa, unus vero ad unum."

(1) Id omnino requiritur, etiamsi respublica regatur per multos: nam, ut S. Thomas recte ait Opusc. 20. l. 1. c. 2. » Requiritur etiam in pluribus quædam unio ad hoc quod quoquo modo regere possint, quia nec multi navim in unam partem traherent nisi aliquomodo conjuncti. Uniri autem dicuntur plura per appropinquationem ad unum."

(2) §. 680. (3) 1. p. q. 4. a. 1.

vili habetur, abesset à statu mere naturali, in quo, ut Philosophi cum quibus agimus, ajunt, omnes, & singuli forent æquales. Atqui in eo ordine mire elucet perfectio, & pulchritudo; sic enim suprema illa naturæ lex à Deo posita servatur, ut ultima per media perficiantur, & media per prima. Ubi autem servatur hæc lex, habetur major perfectio *simpliciter*; habetur enim major imitatio perfectionis Divinæ, non solum ut est in se, verum etiam ut aliis influit (1). Status ergo civilis est *simpliciter* perfectior statu mere naturali.

388 Alteram prop. partem ita breviter ostendimus. Nihil est in hoc mundo adeo perfectum, quod reddi imperfectum nequeat ex hominum malitia, qui libertate abutentes sua, & ipsis abutuntur sanctissimis rebus. Nemini igitur debet esse mirum, quod multa sint mala in statu civili, quorum fortasse aliqua abfuissent à statu mere naturali; hæc enim mala non eveniunt ex conditione, ac natura status civilis, sed ex depravata hominum natura. Atque per hæc jam remanent soluta universa, quæ contra objiciuntur. Nihilominus ad singula respondemus.

389 Ad primum igitur dicendum, non esse ex conditione status civilis, quod aliquando imperans sit iniquus, & rempublicam, ac subditos injuste vexet, cujusmodi fuit Nero. Nam, ut optime S. Thomas (2) ait: »Contingit in quibusdam quæ »ordinantur ad finem, & recte, & non recte procedere. Quare »& in regimine multitudinis & rectum, & non rectum inve»nitur.“ Quamvis vero possit contingere, ut imperans sit iniquus, non propterea tamen status civilis, etiam hac facta hypothesi, omnino corruit. Ut enim idem S. Thomas ibid. observat: »Si liberorum multitudo ad bonum commune ordinetur, erit »regimen rectum, & justum, quale convenit liberis. Si vero

(1) »Deus (inquit S. Thomas in 4. d. 24. q. 1. a. 1. q. 1.) sua opera »in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut »perfecta essent, & per ea cognosci posset: & ideo ut in suis ope»ribus repræsentaretur non solum quod in se est, sed etiam secun»dum quod aliis influit, hanc legem naturalem posuit omnibus, ut ul»tima per media perficerentur, & media per prima.“ Hæc ratio, qua S. Doctor ostendit, in Ecclesia debere esse ordinum diversitatem, ostendit quoque, diversitatem ordinum debere esse in Politicis, ut multitudo hominum bene regatur. Qui diversitatem ordinum in Ecclesia negant, uti sunt hæretici Protestantes; ii negare quoque debent diversitatem ordinum in Politicis, ut faciunt Quakeri, qui nullam inæqualitatem inter homines agnoscunt.

(2) Opusc. 20. l. 1. c. 1.

„non ad bonum commune multitudinis, sed ad bonum priva„tum regentis regimen ordinetur, erit regimen injustum, at„que perversum.“ Quis autem fingere poterit imperantem ita iniquum, ut omnia omnino referat ad suum privatum bonum, nihilque prorsus relinquat ad bonum commune multitudinis? Nam si ita esset, ne ipsa quidem amplius subsisteret respublica, quæ absque aliquo saltem communi bono esse nequit. Sub ipso Nerone Romana viguit respublica, licet ejus crudelitate vexata. Hæc ad uberiorem doctrinam dicta sunt. Quam raro enim contingit, ut aliquis imperans Neronis sævitiam æquet, eamque adhibeat in vitam, & bona subjectorum populorum! Quæ est autem hæc statum civilem, summasque Potestates carpendi libido, ex eo quod unus, vel alter fecit, universos lacerare, ac maledicere? cum tamen Imperantes præsertim Catholici nihil magis cordi habeant, studioseque curent, quam subjectorum populorum felicitatem.

390 Ad secundum respondemus, putidum esse mendacium, & non nisi seditiosissime dici, fructus industriæ sæpe à Principibus pessundari; nihil enim tale à nostris patimur Principibus, qui tantum abest ut subditorum fructus industriæ pessundent, quin vectigalibus sint passim contenti, nisi quæpiam peculiaris justa, ac publica urgeat causa. Vectigalia vero eis ex justitia debentur, dicente Apostolo Rom. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Pro publico autem bono boni cives libenter debent suas impendere facultates: ni faciant, perverse acturi, privatum commodum anteponentes reipublicæ utilitati. Quod si quis vero Princeps aliquando contra faceret, quænam esset iniquitas, ex facto unius universos proscindere!

391 Ad tertium negamus pariter, timorem pœnarum non satis esse ad continendos Proceres, & amicos Principum (1).

---

(1) Genuensis l. 2. de Offic. c. 6. §. 11. „Monarchiæ, *inquit*, veræ, ac genuinæ (Democraticæ) in Europa ad XVI. usque seculum præ„valuere: nam res graves in totius nationis conciliis (*Status* appel„lant) disceptabantur, condebantur leges, & majores Magistratus „aristocratice procreabantur. Per id tempus vis legum, ac justi, ac „æqui, licet non sine tempestate, viguit. Verum munia comitiorum „paullatim in Senatus tracta, mox in aulas Principum. Tum infracta „legum auctoritate, domesticis decretis, ac nihil pene publici juris re„liquum fuit: nam & Magistratus ex arbitrio regere; & præpotentium, „ubi non aperta, occulta prævaluit iniquitas. Quo florida illa regna „conciderunt, populique in duas divisi partes, ut alii serviant misere,

Hi enim cum plus habeant quod amittant, atque in primis amicitiam Principum, plus habent etiam quod timeant, quam plebs. Et si aliquando leges frangant, id oritur non ex constitutione status civilis, sed ex propria eorum malitia.

392 Ad quartum dicimus, non negasse nos bella in statu naturali futura, sed negasse dumtaxat bellum omnium in omnes, idque ex instituto naturæ. Quod autem in statu civili frequentia sint bella, mirum esse non debet; non enim aliter jura regnantium defendi queunt. Affirmare vero, bella suscipi ab ipsis absque justa causa, injustum est; non enim eæ causæ, quæ multiplices esse possunt, nobis innotescunt. Injustum autem est, de injustitia non dicam Reges, & Respublicas, sed privatos quosque accusare, cum de injustitia causæ non constat.

393 Ad quintum concedimus, in quibusdam regnis præsertim Asiæ, & Africæ barbariem, & ignorantiam vigere; id tamen non oritur ex ipsa natura status civilis, sed potissimum ex impia Mahometi secta, quæ bellum scientiis indicit. Similiter si quæ sunt vitia in aulas irruentia, corruptioni hominum sunt adscribenda, non influxui status civilis.

394 Ad sextum respondemus, mendicos plerosque in civitatibus obvios (si cæcos, claudos, aliosque invalidos excipias, qui etiam in statu naturali fuissent) mendicitatem multoties amare, ut à labore sint integri. Nihilominus & ad mendicos se extendit cura status civilis, tum ad eorum coercendam improbitatem, tum ad sublevandam eorum miseriam in tam multis nosocomiis, orphanotrophiis, aliisque publicis misericordiæ domibus destinatis ad pueros nutriendos, educandosque; ad mulieres pauperes sustentandas, protegendasque; ad alendos invalidos, & cu-

---

» alii superbe, avareque luxurientur.“ En quibus coloribus regna Monarchica Genuensis describit. Neapoli degebat, publicusque erat Professor cathedræ Œconomices. In eo regno vel numquam obtinuerunt concilia totius nationis, vel certe à seculo XVI. cessavere. Leges in eo ferebantur, atque feruntur in aula Regis ex consilio supremi Magistratus. In regno igitur Neapolitano, Genuensi auctore, jamdiu *infracta* fuit *legum auctoritas*; *nihil pene est reliquum publici juris*; *Magistratus ex arbitrio regunt*; *præpotentium prævaluit*, *ac prævalet iniquitas*; *concidit illud regnum*; *ex populo alii misere serviunt*, *alii superbe*, *avareque luxuriantur*. Quænam atrocior, injustiorque evomi contumelia poterat in piissimos Reges, integerrimosque Magistratus? Idem de cæteris regnis Monarchicis, in quibus non vigent concilia illa nationis. Et tamen Genuensis audebat ita scribere, & typis edere, etsi regiis aleretur impensis.

randos infirmos, ne exceptis ipsis mente captis: quæ sane maximæ sunt utilitates, quæ à statu mere naturali abfuissent.

395 Ad septimum responsio patet ex dictis; non enim artes, scientiæ, sed abusus earum influunt in vanitatem, stultitiam, & vitia. Falsum est autem, alibi quam in urbibus non nisi squalorem vigere: nam etsi ruri liberales artes non vigent, vigent tamen artes vitæ magis necessariæ, agricultura nempe, & pastoritia.

396 Ad octavum negamus, homines in statu civili esse spoliatos libertate. Ut enim profunde S. Thomas (1): "Dominium accipitur dupliciter: uno modo secundum quod opponitur servituti; & sic dominus dicitur cui aliquis subditur "ut servus. Alio modo accipitur dominium, secundum quod "communiter refertur ad subjectum qualitercumque; & sic etiam "ille, qui habet officium gubernandi, & dirigendi liberos, "dominus dici potest... Servus in hoc differt à libero, quod "liber est causa sui... servus autem ordinatur ad alium. Tunc "ergo aliquis dominatur alicui ut servo, quando eum cui do"minatur, ad propriam utilitatem sui, scilicet dominantis, re"fert. Et quia unicuique est appetibile proprium bonum, & "per consequens contristabile unicuique, quod illud bonum, "quod deberet esse suum, cedat alteri tantum; ideo tale do"minium non potest esse sine pœna subjectorum... Tunc ve"ro dominatur aliquis alteri ut libero, quando dirigit ipsum "ad proprium bonum ejus, qui dirigitur, vel ad bonum com"mune." Falsum est igitur quod Rousseaus adsumit, in statu scilicet civili homines amittere libertatem, fierique servos; sunt enim homines etiam in civili statu sui juris, cum ab imperante pendeant tamquam à domino eos referente non ad propriam sui utilitatem, sed ad proprium eorum bonum, quod resultat ex bono communi. Et licet imperanti subdantur, non subduntur tamen *despotice*, ut servi, sed *politice*, ut liberi. Non sunt quidem liberi à lege civili, & à subjectione imperanti debita, sed neque in statu naturali fuissent liberi à lege naturæ, & à subjectione Dei. Erravit igitur Rousseaus putans libertatem à lege esse veram libertatem; alioquin impii tantum essent vere liberi. Vera libertas est libertas à peccato, & servitus justitiæ, quæ est maxime expetenda servitus. Et quia leges civiles sunt peccatoribus fræna, illis subjici libertas est (2). Non negamus,

(1) 1. p. q. 96. a. 4.
(2) Vide S. Thomam in c. 6. Epist. ad Rom. lect. 3.

aliquos esse sub lege quasi coactos, eos nempe qui propter timorem coguntur ad legis observationem; sed hi peccatores sunt, qui amant esse à lege liberi, ne sint servi justitiæ. Ii vero qui voluntarie legis observationi subjiciuntur, sunt quidem servi justitiæ, sed sunt liberi à peccato, quæ est vera libertas (1).

397 Ad nonum respondemus, irritamenta passionum in statu civili duplicis esse generis: quædam sunt tantum à lege tolerata, ut lupanaria, theatra, luxus nimii; quædam sunt à lege constituta, ut varia officia, gradus, dignitates, quæ solent multoties ambitionem, aliaque vitia fovere. Priora illa irritamenta sunt quidem in statu civili; sed à statu civili non manant, cum à lege non probentur, sed dumtaxat tolerentur ad majora mala impedienda. Quare immerito statui civili attribuuntur, cum debeant adscribi pravis hominum moribus, & consuetudinibus. Posteriora non sunt *per se* irritamenta passionum; quot enim reperiuntur etiam sanctitate illustres, etsi primis dignitatibus, gradibus, & honoribus aucti! Quod ergo passiones irritent, est *per accidens*, ex depravata scilicet hominum natura, qui dignitatibus, gradibus, & honoribus abutuntur. Velle autem statui civili tamquam effectum *per se* adscribere id quod est *per se* depravationis humanæ effectus, sophisma est, quod à Dialecticis dicitur *non causæ pro causa*, & *accidentis*, ut dictum est (2). Fatemur, nonnullos habitatores pagorum, & agrorum innocentius vivere, quam multi incolæ civitatum. Sed primum quidem & illi sunt in statu civili, non in statu mere naturali. Id ergo ad summum poterit inferri, in statu civili colonos remotiores esse ab occasionibus etiam *per accidens* passiones irritantibus; qua de re modo non quærimus (3). Dein-

(1) Vide ibid. lect. 4. ubi S. Doctor mirifice hæc exponit.

(2) Tom. 1. §§. 1231. & 1236.

(3) Si qui virtutis causa solitariam elegerunt vitam, hac potissima ratione permoti sunt, ut scilicet occasiones etiam remotas fugerent, quibus passiones irritarentur. » Si aliquis homo (inquit S. Thomas 1. Po» lit. lect. 1.) habeat quod non sit civilis propter naturam, aut nequam » est, utpote cum hoc contingit ex corruptione naturæ humanæ, aut est » melior quam homo, inquantum scilicet habet naturam perfectiorem » aliis hominibus communiter «. Major autem perfectio horum singularium non officit perfectioni status civilis supra statum naturalem. Cum enim comparamus utrumque statum, consideramus hominum universitatem, non singulos conferimus cum singulis. Habita autem ratione universorum hominum, certum est, statum civilem præstare naturali, ut demonstratum est.

dè quis dixerit, propter mala quæ ex bonis sequuntur *per accidens* ob hominum pravitatem, tollenda esse bona *per se*? Homo tam sæpe abutitur sensibus, tam sæpe abutitur facultatibus animæ, & libero arbitrio. Tollantur igitur ab homine & sensus, & animæ facultates, & liberum arbitrium, ne iis abutatur. Similis est Rousseau illatio: honores, officia, dignitates plurimis sunt irritamenta passionum, ne innocenter vivant, quia illis abutuntur; removenda igitur sunt officia, dignitates, honores. Denique quis dabit Rousseau, homines in statu mere naturali, nullo coercitos legum pœnalium metu, innocentiorem fuisse acturos vitam, quam homines in statu civili, quorum multos ne ipsæ quidem capitales leges valent continere?

398 Ad decimum respondemus, plerosque eorum qui sibi mortem inferunt, maniæ morbo laborare, quo morbo & illi possent laborare, qui in statu mere naturali degerent. Nonnulli etiam sunt, qui sibi vitam adimunt, quia increduli sunt, & animæ rationalis immaterialitatem, & immortalitatem negant: iis autem non minus civilis status intolerabilis est, quam esset vita naturalis, in qua certe multo majora essent incommoda. Si qui in desperationem acti, manu sua cadunt, nequitiæ hoc debent suæ, non conditioni status civilis, qui solatia hominibus præstat. Quod vero homines sylvestres numquam sibi necem intulerint, id Rousseaus affirmavit quidem, sed minime probavit nisi tantum ex silentio Scriptorum; quasi conscripta à quopiam fuerit historia hominum sylvestrium, aut conscribi possit, licet illi per sylvas, & nemora bestiarum more vagentur: quæ sane lepida esset historia, ac plane fide digna.

399 Ad undecimum concedimus, hominem esse naturaliter bonum, si id intelligatur de ejus naturali inclinatione ad virtutem, quatenus homo est creatus à Deo, qui, ut dicitur Eccl. 7. v. 30. fecit *hominem rectum*. Quod autem malus fiat, non provenit ex aliorum societate in statu civili, nisi tantum *occasione accepta*. Causa autem principalis est ipse homo, qui ex corruptione naturæ abutitur libero arbitrio, quodque in statu civili bonum est, vertit in malum.

400 Ad duodecimum respondemus, perfectionem status non ex virtutibus, aut vitiis hominum dimetiri oportere, sed ex iis quæ status ipsos constituunt; hæc enim ad statuum essentias pertinent, illa pendent ex hominum arbitrio. Ostensum est autem, statum civilem *simpliciter*, sive essentialiter perfectiorem esse statu mere naturali.

ARTICULUS V.

Utrum aliquando exstiterint, aut etiam nunc exstent homines in statu mere (1) *naturali.*

401 Pufendorfius (2), & Schwartzius (3) cum à statu naturali hominum statum domesticum exclusissent, statumque naturalem vocassent *conditionem hominum inter se æqualium, qui Creatoris arbitrio dumtaxat subdantur*; docuerunt proinde, homines universos numquam in statu mere naturali exstitisse, nec existere potuisse. Verum hi errarunt vehementer, excludentes statum domesticum à statu naturali; cum enim subjectio uxoris marito, & filiorum parentibus sit præcepta jure naturæ, utraque pertinere debuit ad statum naturalem (4).

402 Ut autem de existentia hominum in statu mere naturali decernamus, rursus animadvertimus, non hic quæri de statu naturali, prout distinguitur à supernaturali; certum est enim, numquam homines exstitisse in statu mere naturali excludente dona supernaturalia, & gratuita, & includente tantum quidquid connaturale est homini, quin sit elevatus ad ordinem supernaturalem; quandoquidem homo creatus fuit cum elevatione ad hunc supernaturalem ordinem. Certum quoque est, hominem potuisse à Deo creari in statu naturæ puræ; non enim dona supernaturalia, & gratuita sunt debita naturæ humanæ, alioqui essent naturalia, & integritas primi hominis fuisset naturalis ejus conditio: quod in Bajo damnavit S. Pius V. (5). Sed

(1) De statu *mere* naturali quærimus; non enim negamus, hominem etiam in statu civili considerari posse quoad ea quæ ipsi convenirent, si esset in statu mere naturali, sive, ut inquiunt, in statu naturali hypothetico. Nam etiam facta hypothesi, quod nullus esset status civilis, homines obstricti essent lege naturali, ideoque in statu naturæ.

(2) De jure nat. & gent. l. 2. c. 2. §. 4.

(3) Inst. jur. nat. & gent. par. 1. tit. 2.

(4) Non video, cur ex Pufendorfianis principiis status domesticus debeat excludi à statu naturali; imo cur ad statum naturalem pertinere non debeat ipse status civilis. Nam si socialitas ex Pufendorfio est primum cognoscendæ legis naturalis principium, ubicumque socialitas est, ibi est & status naturalis; ideoque & domus, & civitas pertinent ad statum naturalem. Vide quæ diximus §. 368.

(5) In Bulla data 1. Octob. 1567.

hac de re ad Theologos. Nunc vero statum naturalem consideramus, prout distinguitur à civili.

403 Videtur autem ejusmodi status numquam exstitisse, I. quia status domesticus, & civilis non differunt nisi tantum penes paucitatem, & multitudinem hominum. Quæ autem differunt solum multitudine, & paucitate, non differunt specie; differentia enim secundum magis, & minus non mutat speciem. Status ergo domesticus, & civilis non differunt specie; ideoque status domesticus non pertinet ad statum naturalem, sicut ad ipsum non pertinet status civilis (1). Sed postquam primus vir, & prima mulier exstitere, fuit status domesticus. Ergo tunc jam non exstitit status naturalis. Ubique vero gentium, etiam ubi nullus agnoscitur status civilis, viget status domesticus. Nullibi ergo umquam exstitit status naturalis.

404 II. Videntur etiam nunc plerique esse in statu naturali, ut sunt inter se omnes supremi Imperantes, omnesque Civitates suprema potestate pollentes.

405 III. Integri etiam quidam populi sunt, qui degunt in statu mere naturali, ut de Americanis, Samojedis, Lapponis, Caffris, &c. Voltairius (2); & de novæ Groenlandiæ incolis refert Andersonius (3).

Prop. I. *Homines in mundi initio, & post diluvium Noeticum exstiterunt aliquantulum in statu naturali, donec multiplicarentur, ut civitatem possent constituere.* II. *Exinde vero numquam, & nullibi genus humanum, sive maxima hominum pars in statu mere naturali exstitit.* III. *Licet nonnulli potuerint esse, aut forte sint homines in eo statu degentes;* IV. *Nulli tamen exstiterunt, aut exstant integri populi in societate viventes, quin aliquam servent formam status civilis.*

406 Prob. 1. p. ex S. Thoma (4). Civitas constituitur ex pluribus vicis, sicut vicus ex pluribus domibus, ut dictum est (5). Ubi ergo vel una tantum, vel paucæ familiæ

(1) Jamdiu Aristotelis ætate id argumentum objiciebatur. Vide ejus l. 1. Polit. c. 1. & ibid. S. Thom. lect. 1.

(2) In Phil. hist. c. 3.

(3) In Groenlandiæ descriptione.

(4) 1. Polit. lect. 1. (5) §. 368.

fuerunt, quæ non sufficerent ad civitatem constituendam, potuit quidem esse domus, aut vicus, minime vero civitas; isque qui tunc domui, aut domibus illis præerat, Paterfamilias dici, sed politicus Rector dici non poterat. In mundi autem initio, antequam Eva crearetur, solus fuit Adamus; Eva creata, una tantum, vel paucæ fuerunt domus, quousque multiplicarentur eorum filii, & nepotes, ut civitatem formare possent. Et similiter post diluvium Noeticum, cum periisset omnis caro præter octo animas, reliqua fuit dumtaxat familia Noemi, ipse scilicet Noemus cum uxore sua, & tres ejus filii cum tribus eorum uxoribus. Donec ergo homines in mundi initio, & post diluvium multiplicarentur, ut componere civitatem possent, fuere in statu naturali absque ulla forma civilis regiminis (1).

407 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (2). Natura inclinat hominem ad statum civilem, & civitas est ex intentione naturæ, ut demonstratum est (3). Quod autem est ex inclinatione, & intentione naturæ, non potest esse frustraneum saltem in

---

(1) De Nationum antiquitate quærens Voltairus in Phil. hist. c. 3. multa impie congerit more suo. Ait enim: » Presque tous les Peuples, » mais sur-tout ceux de l'Asie, comptent une suite de siecles qui nous » effraie «. *Fere universi populi, sed potissimum Asiani, numerant sæculorum seriem, quæ stuporem ingerit.* Inter populos ferme omnes sunt certe etiam populi Septentrionales. De his autem idem Voltairius ibid. dicit: » Dans nos Climats Septentrionaux il était beaucoup plus » aisé de rencontrer une compagnie de loups qu' une société d' hommes «. *In climatibus Septentrionalibus facilius erat invenire agmen luporum, quam hominum societatem.* Lupine illi stupendam eam sæculorum seriem numerarunt, ac descripserunt? O præclarum historiæ scriptorem! Vere lupus in fabula. De aliis regionibus præter Indiam, Sinas, & positas in vicinitatibus, atque confiniis Tigridis, & Euphratis ait: » Les autres » Regions étoient presque désertes «. *Aliæ regiones erant pæne desertæ.* Et hæ igitur aptissimæ erant, ut ad nos transmitterent notitiam stupendæ illius seriei sæculorum. Dicat nunc, an populus Hebræorum inter Asianos censeri debeat? Si tabulas Geographicas viderat, negare non poterat. Quænam vero stupenda est sæculorum series ab Hebræis numerata? Novimus, illum indigitare voluisse computationes Chaldæorum, Ægyptiorum, & Sinensium. Sed præterquam quod hæ merces putidæ sunt, translatæ ex officinis incredulorum, tam sæpe sunt rejectæ, ut pudere Voltairium debuisset eas iterum in scenam vocare. Vide quæ diximus Tom. 3. §. 68. & 81.

(2) Loc. cit. (3) §. 368.

pluribus (1); est enim ex ordinatione Dei primi moventis, quæ frustrari nequit (2). Multiplicatis igitur hominibus, genus humanum, sive maxima pars hominum numquam, & nullibi exstitit in statu mere naturali (3).

---

(1) Pergit Voltairius loc. cit. atque ait: » Il faut un concours de circonstances favorables pendant des siecles, pour qu'il se forme une grande société d'hommes ressemblés sous les mêmes loix; il en faut même pour former un langage... la distance est immense ». *Multæ propitiæ requiruntur circumstantiæ spatio plurium sæculorum, ut magna formetur societas hominum sub iisdem legibus; itemque ut formetur idioma... distantia immensa est.* De loquelæ usu jam diximus, eum à parentibus ad filios derivatum esse; quare lapsus ille immensus sæculorum extra cerebrum Voltairii numquam exstitit. De magna societate nunc videamus. Non putamus, Voltairium ad fabulas fuisse amandaturum, quæ in sacro Numerorum Libro leguntur, quem si ut inspiratum admittere recusabat, non poterat saltem negare, esse vetustioris antiquitatis, quam Annales Sinensium. Atqui Num. c. 1. v. 45. sqq. ubi describitur numerus filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto, dicitur: » Fueruntque » omnis numerus filiorum Israel per domos, & familias suas à vigesimo anno, & supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria » millia virorum quingenti quinquaginta. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis «. Sicut nec fuere numeratæ mulieres, nec senes, qui non poterant ad bella procedere, neque ii qui erant infra vigesimum ætatis annum. Non videbitur Voltairio magna talis societas? hæc tamen sub iisdem legibus erat. Jam vero tam magna multitudo genita fuit in Ægypto, in quam non nisi sexaginta sex animæ ingressæ fuerunt cum Jacobo. Gen. 46. v. 26. » Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, » absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex «. Multiplicati vero ad magnum illum numerum Israelitæ fuerunt in Ægypto spatio annorum 215; nam ingressi fuerunt in Ægyptum Jacobus, ejusque filii anno mundi 2298. ex Chronologia Usserii, & egressi fuerunt filii Israel de Ægypto sub Moyse anno mundi 2513. Ubi est ergo decursus ille immensus sæculorum, ut magna formetur sôcietas hominum sub iisdem legibus? Sed quid ineptias Voltairii consectamur, qui nihil minus quam historiam callebat? Neque enim de Philosophia historiæ scribere instituit, nisi ut Sacram subsannaret Historiam, impietatemque facetiis sacrilegis, ineptiisque suis propagaret.

(2) Vide S. Thomam 1. Ethic. lect. 2.

(3) Habemus hinc Civitatum, & Regnorum initia; nimirum ex quo multiplicati fuerunt homines, coloniæque auctæ, quæ civitati constituendæ satis essent, homines ipsi natura duce, ne multitudo in diversa dispergeretur, nisi aliquis esset, qui bono communi intenderet,

408 Tertiam partem probamus ex eodem S. Thoma (1); qui sæpe loquens de enutritis in sylvis (2) docet, eos, si per

---

haberetque Communitatis curam, de Rectore constituendo, approbandove deliberarunt, & consenserunt. Ex pluribus autem civitatibus curæ, imperioque unius commissis, subjectisque, Regna prodiere. Sane putandum non est, homines antediluvianos sub ipso Adamo, aliisque Patriarchis, præclaris adeo præceptoribus, caruisse civili cultu, nec bonum commune generis humani curasse, aut artes neglexisse, nec pagos, castella, urbes habuisse sub certis legibus. Gen. 4. v. 17. de Caino dicitur: *& ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.* Imo S. Ambrosius l. 2. de Cain, & Abel c. 10. *Urbes*, inquit, *condidit plures Cainus, multorumque princeps, ac dominus plurimos annos impune vixit.* Post diluvium vero de Nembrodo habetur Gen. 10. v. 10. sqq. »Fuit autem principium regni ejus »Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Senaar. De »terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civi»tatis, & Chale. Resen quoque inter Niniven, & Chale: hæc est ci»vitas magna «. Et Gen. 11. v. 4. ædificantes turrim Babelicam dixisse referuntur: *Venite faciamus nobis civitatem.* Quod si hi homines improbi de civitatibus constituendis cogitarunt, non est putandum, id neglexisse homines pios, & de communi bono generis humani solicitos. De pluribus certe Regibus temporibus Abrahæ fit mentio Gen. 14. inter quos erat Melchisedech rex Salem, Sacerdos Dei Altissimi. Ex his vero impugnatæ manent sententiæ cum Hornii de Civit. l. 1. c. 4. §. 6. putantis, ortum civitatum fuisse naturalem consequutionem multiplicationis hominum, absque ulla hominum electione, atque consensione. Tum Pufendorfii, qui de jur. nat. & gent. l. 7. c. 1. §. 7. in sententiam Hobbesii concedens, statuit »genuinam, & principem cau»sam, quare patresfamilias, deserta naturali libertate, ad civitates »constituendas descenderint, fuisse, ut præsidia sibi circumponerent »contra mala, quæ homini ab homine imminent «. Nihil tale, ut causam præcipuam condendarum primarum civitatum, quarum meminimus, Scriptura commemorat. Non negamus, hostium metum concurrere potuisse ad initia quarumdam civitatum, ut faciliora, & validiora sub uno duce haberentur præsidia. Sed quod is metus genuina omnium condendarum, & princeps causa fuerit, id vehementer negamus. Hæc enim fuit appetitus societatis, & indigentiæ depulsio, promotioque boni communis; etsi quandoque improbi homines, ut dominarentur, sibique nomen facerent, alios homines coegerint, & civitates condiderint, ut in allatis Scripturæ exemplis. De Imperiorum origine dicemus infra.

(1) In 2. d. 28. q. 1. a. 4. ad 4. & q. 14. de ver. a. 11. ad 1. & 2. & Rom. 10. lect. 3.

(2) Ejusmodi puerorum exempla aliquot profert Everardus Otto not. 3. ad Pufend. de offic. hom. & civ. l. 1. c. 3.

gratiam Dei moventem fecerint quod in ipsis est in prosequutione boni, & fuga mali, consequuturos esse cognitionem mysteriorum fidei, ut adsequi possint vitam æternam. Hi autem in statu sunt mere naturali; nullum enim cum aliis hominibus commercium habent. Præterea, si qui solitarii loca deserta incolunt nullius ditioni subjecta, hi sunt extra civilem statum, atque hac ratione ad statum naturalem pertinere dici possunt. Insuper, si qui per familias dispersi in sylvis, aut in locis habitant nullius dominio subjectis (1), ii quoque in statu naturali degunt. Sunt igitur, aut esse possunt nonnulli in eo statu degentes (2).

409 Postremam partem ostendimus ex eodem S. Doctore (3). Fieri nequit, ut integri populi in societate vivant, nisi eorum multitudo per unum, aut multos regatur, quibus demandata sit cura boni communis ipsius multitudinis; alioqui multitudo dispergeretur, ut dictum est (4). Si ergo integri populi in societate inter se vivunt, oportet, ut per unum curantem bonum commune regantur; ideoque ut aliqua saltem sit inter eos forma civilis regiminis.

410 Ad primum respondemus ex S. Thoma (5), status domesticum, & civilem non differre tantum paucitate, aut multitudine, sed natura, & institutione: nam status domesticus ex societate pendet viri, & uxoris, & filiorum, quæ est ex ipsa natura, minime vero ex hominum institutione. At vero societas civilis licet sit ex impulsione naturæ, est tamen ex institutione humana; quemadmodum homo inclinatur à natura ad virtutes, quæ tamen acquiruntur per humanam exercitationem, ut idem S. Doctor advertit (6).

411 Ad secundum negamus supremos Imperantes, & Ci-

---

(1) Diximus *in locis nullius dominio subjectis*: nam si loca certo Imperanti subsunt, ii qui ibi habitant, stant sub ejus imperio. Quare improbamus tamquam seditiosam Lockii sententiam in eo quem *de civili gubernio* scripsit libello docentis c. 1. §. 12. *omnes homines esse naturaliter in statu naturæ, in eoque perseverare, quousque, proprio eorum accedente consensu, membra fiant alicujus politicæ societatis.* Si enim ex proprio cujusque consensu penderet membrum fieri, aut non fieri societatis politicæ, quisque posset pro suo arbitrio vindicare se à civili Potestate, & in statum naturalem redire, neque ab eadem Potestate cogi posset.

(2) Vide S. Thomam 1. Polit. lect. 1.

(3) Opusc. 20. l. 1. c. 1.

(4) §. 385. (5) L. 1. Polit. lect. 1. (6) Ibid.

vitates suprema potestate pollentes, esse inter se in statu mere naturali: nam etiam inter se servare debent jus gentium, quod, ut infra ostendemus, differt à jure naturali. A legibus sui regni sunt quidem soluti Principes supremi quoad vim coactivam, quia lex vim coactivam non habet nisi ex Principis potestate. Sed quoad vim directivam subjiciuntur legi propria voluntate. *Unde*, ait S. Thomas (1), *quantum ad Dei judicium Princeps non est solutus à lege quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus legem implere* (2).

412 Ad tertium, quod ad Americanos pertinet, respondemus, tot ferme esse Voltairii mendacia, quot verba. Asserit 1. in America, cum ab Hispanis detecta fuit, non exstitisse nisi tantum duo regna (3). Quod licet de præcipuis Americæ regnis, Mexicano scilicet, & Peruano verum sit, universim tamen mendacium est; exstabant siquidem regna Chilense, Guatimalense, Floridæ, Brasiliæ, Luzoni, aliaque plura in vastissimis illis regionibus (4). Asserit 2. in duobus illis regnis incognitam fuisse artem scribendi (5): quod plane falsum est, præsertim si sermo sit de regno Mexicano (6), in quo scribebatur per cifras, & hieroglyphica, perinde ferme atque olim in Ægypto (7), & nunc quoque apud Sinenses (8).

(1) 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3.

(2) Mira est Lockii contradictio, cum loc. cit. §. 11. ponit, Principes Monarchicos esse in statu naturali; & nihilominus c. 6. eos subjicit legibus reipublicæ, eisque denegat potestatem legislativam.

(3) » Voyez l'Amérique; il n'y avait que deux Royaumes, quand elle » fut découverte, & encore dans ces deux Royaumes on n' avoit pas in» venté l' art d' écrire «.

(4) Vide Acostam l. 6. Hist. Indor. c. 11.

(5) Vide not. 1. hujus §.

(6) Idem Acosta loc. cit. c. 7. refert, in provincia Jucatan repertum fuisse librum, sive codicem ex arborum foliis, in quo descriptæ erant divisiones temporum, & cognitiones astrorum, animalium, aliarumque rerum naturalium, & antiquarum rerum illius gentis. Et c. 19. meminit libri servati in Bibliotheca Vaticana, in quo descriptos esse ait Annales Mexicanos.

(7) Hujus Ægyptiacæ scribendi rationis habemus hic Romæ testimonia omni exceptione majora, pyramides nempe altissimas ex Ægypto translatas. Atque in hac symbolica scribendi ratione positam fuisse antiquissimam Ægyptiorum scientiam arcanam, tradit Philo l. de vita Moysis; eamque *symbolicam Philosophiam* vocat.

(8) Sinenses, quorum antiquitatem celebrat, ac suspicit Voltairius,

Asserit 3. reliquum vasti illius Continentis divisum fuisse, & adhuc esse in parvas societates, quibus artes sunt incognitæ (1). Quam hoc sit falsum, non oportet ostendere: nam & insulæ Hispaniola, Cubæ, Jamaica, &c. & regna Granatense, Chili, Floridæ, Canadense, &c. neque erant, neque sunt partita in parvas dumtaxat societates, neque omni artium cognitione sunt, aut erant destituta (2). Multo magis falsa universim sunt quæ addit de omnibus hisce populis, quod in tuguriis vivant, quod pellibus bestiarum vestiantur in climatibus frigidis, in temperatis vero sint ferme nudi; quodque alii venatione, alii radicibus vescantur (3). Hæc enim ne de ipsis quidem Americanis qui sylvas, & montes incolunt, universim dici possunt (4), multoque minus de aliis qui urbes, pagosve incolebant (5). Et quamquam inter illos plerique etiam nunc, nullam certam habentes sedem, sed per sylvas, & nemora vagantes, illud traducant vitæ genus; non tamen & istos ab omni prorsus civilis regiminis forma alienos esse compertum est, cum & suos habeant duces, legesque plurimas (6). Ipsa societas, quam inter sese initam servant, aliquam præ se fert Reipublicæ formam (7).

---

etiam nunc alphabeto carent, & figuris utuntur, quas loco litterarum habent. Nec ab eis Mexicani alia in scribendo ratione differre videbantur, nisi hac, quod Sinenses à superiori parte papyri ad inferiorem, contra Mexicani ab inferiori ad superiorem partem cifras ducebant. Vide Acostam loc. cit. c. 8.

(1) » Tout le reste de ce vaste Continent était partagé, & l'est encore, en petites sociétés, à qui les Arts sont inconnus «.

(2) Vide Bartholomæum de las Casas Hist. Indiar. Occid. & tomum 2. Hisp. illustratæ.

(3) » Toutes ces Peuplades vivent sous des huttes, elles se vêtissent de peaux de bêtes dans les climats froids, & vont presque nues » dans les tempérés. Les unes se nourrissent de la chasse, les autres de racines, qu' elles pêtrissent «.

(4) Vide Acostam loc. cit. c. 11.

(5) Idem ibid.

(6) Confer Huetium Demonst. Evang. prop. 4. c. 7. n. 6.

(7) Non ita solitarii sunt sylvestres Americani, ut nullam mutuam habeant societatem. Reiskius ad Cluverii Geograph. l. 6. c. 11. » Americani, *ait*, veteres aut monarchicum regium, aut multis Regulis, & » Principibus commune regimen tenuisse leguntur: illud in regnis maxime duobus florentissimis, Peru atque Mexico: hoc in cæteris regionibus potissimum, insulisque. Hodierni tamen quotquot in Orbe novo

413 De Samojedis quod Voltairius ait, nihilo minus falsum est (1); hi enim Magno Moscovitarum Duci tributum pendunt (2). Quam vero vivendi formam ante servarint, quis divinare potest? Non enim negamus, rudem esse populum.

414 De Lapponis audiat quæ scribit Olaus Magnus (3): »Præsides communi plebis consensu *Bergchara*, id est, viros »montium apellatos, habent, & venerantur, quibus etiam »pelles pretiosas, pisciumque multa genera, tam vice tribu»torum Regi Sueciæ pendenda, quam propria liberalitate do»nata pendunt. Et hi rubeo vestitu præ cæteris agnoscuntur in»duti». Quorsum ergo Lappones Voltairius inducit, ut omnem civilem ab eis arceat statum?

415 De reliquis, præsertim de Caffris describimus verba Mascovii (4): »Blanditiis præsentium Regnorum illecti Scripto»res, ubi Palatia, & Domus Regias, satellitia, Aularum»que splendorem non viderent, Regna esse negaverunt, de»scribuntque gentes, quæ esse non possunt, ut pictores tra»gelaphos, centauros, & chimæras. Perinde se habent, quæ »de Insulanis quibusdam Africanis, de populis in monte Cau»caso habitantibus, & de Caffris traduntur. Caffros certe Pe»trus Kolbius, qui diutius inter eos versatus est, descriptos es»se ait in XVII. gentes, quæ in pagos dividantur, quorum sin»gulis præsit Præfectus, ut singularum gentium Præfectis Prin»ceps. Quo Principe præside, de negotiis publicis omnes pago»rum Præfectos in medium consulere ait; Præfectorum autem prin»cipes exercitibus præesse». Cuinam credemus? Voltairione, qui numquam Caffros vidit, an Kolbio, qui diutinam inter eos traxit moram?

416 Restant Groenlandi, de quibus dici potest, Andersonium perinde scripsisse, atque alii de Caffris, Insulanisque

---

» supersunt incolæ, illi Europæis Regibus ut plurimum, aut Rebuspu»blicis subsunt, præter barbaros, agrestesque homines in terris aut in»cognitis, aut incultis». Viros fuimus alloquuti, qui vel Indi erant, vel in Indiis longo annorum spatio morati erant, & mendacia Voltairii sunt contestati.

(1) Dixerat Cluverius Geogr. l. 5. c. 4. Samojedos devorare homines. At vero Bunon in not. eorum humanitatem celebrat erga Hollandos, qui ad eorum littus naufragium fecerant.

(2) Vide eamdem not.

(3) In Gentium Septentr. Epit. l. 4. c. 5.

(4) In not. ad l. 7. c. 1. §. 7. Pufend. de jur. nat. & gent.

Africanis (1). Groenlandia duplex est, vetus, & nova. In veteri quatuor olim exstitisse Episcopatus sub Archiepiscopo Nidrosiensi regni Norvegiæ, refert Olaus Magnus initio laudati operis, ubi elenchum ponit regionum in Septentrione consistentium. Ubi autem Episcopatus erant, aliqua certe debuit etiam esse civilis forma regiminis. De nova Groenlandia Cluverius scribit (2): *Imperium in littora hactenus cognita sibi vindicarunt Daniæ Reges.* Incolæ ergo novæ Groenlandiæ stant sub imperio Regum Danorum. An autem aliquam ante habuerint regiminis formam, quomodo in tanta illorum stupiditate rescire Andersonius potuit? præsertim cum inter Geographos quæstio sit, an nova Groenlandia distinguatur à veteri (3).

QUÆSTIO VI.

De Jure Gentium.

417 Progredimur ad jus gentium, quod medium videtur esse inter jus naturæ, & jus civile. De ipso autem quæremus 1. an sit idem cum jure naturali. Et quia, ut S. Isidorus His-

---

(1) Non videtur sibimet Andersonius constare, cum refert, inter Groenlandos nullam esse invidiam, inimicitiam, odium, proditionem, calumniam, latrocinium, bellum, nullamque inter viros, & mulieres impudicitiam, aut inter maritos, & uxores infidelitatem; idque ob conditionem soli, eorumque stupiditatem; & nihilominus paulo post refert, illis nullam subire religionem furandi Danis, si clam possint; & nullam beneficiorum à Danis acceptorum servare memoriam; additque, nautam quemdam Danensem fuisse à nonnullis eorum in terram prostratum, vulneribusque confossum, ejusque illos combibisse sanguinem. Quæ sane cum eorum pacifica indole, atque stupiditate videntur pugnare. Joannes Blaev in Magno Atlante de moribus Groenlandorum loquens, ait: » Barbari hi cum dolosi sunt, tum feri adeo, ut » nec blanditiis, nec donis cicurari valeant. . . Fœtidi sunt, fœdique ac » salaces. Lingua ipsis mappæ loco ac sudarii inservit; nec obscœnum illis » putatur, quod cæteris pudori esset «. Credat nunc qui vult Andersonio scribenti tam mira de Groenlandis, affirmantique, in plenissima eos libertate vivere, nullumque agnoscere Magistratum.

(2) Geograph. l. 3. c. 20.

(3) Vide *De la Croix Géograph. moderne* p. 5. a. 6. §. 5.

palensis habet (1), „Jus gentium est sedium occupatio (2), „ædificatio (3), munitio (4), bella, captivitates, servitutes, post„liminia (5), fœdera pacis, induciæ (6), legatorum non violan„dorum religio, connubia inter alienigenas prohibita“, quæ quidem præcipua sunt ad juris gentium tractationem pertinentia (7); idcirco cæteris omissis, de quibus copiose Juristæ agunt, quæremus 2. de rerum divisione, 3. de origine dominii, 4. de bello, 5. de servitute.

ARTICULUS I.

Utrum jus gentium sit idem cum jure naturali.

418 Jus gentium dicitur, inquit S. Isidorus (8), *quod*

(1) Originum l. 5. c. 6.

(2) Per sedium occupationem intelligitur rerum divisio, & dominiorum tam privatorum, quam publicorum constitutio. Natura enim omnia sunt communia; at vero jure gentium facta divisio est, ut mox dicemus.

(3) Nascitur ex occupatione: nam qui fundum licite occupavit, potest in eo ædificare.

(4) Ex eadem oritur radice; cum enim licita occupatione acquiratur dominium, si quis in fundo cujus est dominus, munitiones exstruat, ne ab aliis exturbetur à quieta possessione, utitur jure gentium.

(5) Ut habet Paulus Juriscons. *de capt. l. Postliminium*:» Postlimi» nium est jus amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum » restituendæ, inter nos, & liberos populos, Regesque, moribus, ac » legibus constitutum. Nam quod bello amisimus, aut etiam circa bel» lum, hoc si rursus recipiamus, dicimus postliminio recipere: id quod » naturali æquitate introductum est». Postliminium dicitur quasi reditus ad limen.

(6) Alias vocant *armistitia*.

(7) Alii ad jus gentium pertinere dicunt 1. primævam rerum divisionem; 2. divisionem gentium, & regnorum; 3. commerciorum liberam facultatem; 4. bellum solemne; 5. repressalias; 6. servitutem; 7. legatorum receptionem, & securitatem; 8. pacem ad bellum relatam; 9. fœdera; 10. jus transitus; 11. jus sepulturæ hostium interfectorum; 12. jus præscriptionis; 13. jus cudendæ monetæ, eique valorem tribuendi. Vide Swiecickium de jur. nat. & gent. part. 1. disp. 6. c. unico.

(8) Loc. cit.

eo jure omnes fere (1) *gentes utuntur.* Sunt qui duplex jus gentium distinguunt: alterum *necessarium* claudens principia, & officia juris naturalis; alterum *voluntarium*, *humanum*, ac *liberum*, in quadam conventione tacita fundatum (2). Pufendorfius autem (3), reprobans Grotii (4) sententiam secernentis jus gentium à jure naturali, in sententiam concedit Hobbesii (5), qui legem naturalem dividit *in naturalem hominum, & naturalem civitatum, quæ vulgo jus gentium appellatur*; additque: „Præcepta utriusque eadem sunt: sed quia civitates „semel institutæ induunt proprietates hominum personales, lex „quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem di„cimus, applicata totis civitatibus, nationibus, sive gen„tibus, vocatur jus gentium". Eidem sententiæ subscribit Burlamaquius (6), cum docet, eadem juris naturalis præcepta applicata *hominibus in particulari*, dici legem naturalem; applicata vero *diversis nationibus*, vocari jus gentium. Heineccius (7) quoque ait: „Jus quo singulorum actiones reguntur, na„turale; quod quid in societatibus, & inter eas justum in„justumve sit, præcipit, jus gentium vocamus; adeoque jus „gentium est ipsum jus naturale, vitæ hominis sociali, ne„gotiisque societatum, atque integrarum gentium applica„tum". Ait porro, jus naturæ à jure gentium *solo objecto differre* (8); *adeoque rationem eos fugere, qui nescio quod jus gentium à jure naturæ diversum sibi fingunt.* Similia scribunt Samuel Coccejus (9), Barbeyracius (10), aliique recentiores.

---

(1) Consulto ait *fere*; neque enim necesse est, ut in omnibus omnino gentibus sit moribus receptum, sed sat est, si in plerisque præsertim cultioribus.

(2) Ita Wolfius Inst. jur. nat. & gent. §. 1088.

(3) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 3. §. 23.

(4) De jur. bel. & pac. l. 1. c. 1. §. 14.

(5) De Civ. c. 14. §. 4. sq.

(6) Tom. 2. c. 1.

(7) De jur. nat. & gent. l. 1. §. 21. sq.

(8) Ea quæ objectis differunt, specie differunt, si objecta sint *formalia*. Quomodo ergo jus naturæ, & gentium non differunt, si objectis differunt? Vide quam accurate Heineccius loquatur.

(9) Diss. procem. 4. c. 2. §. 31.

(10) In Præfat. ad Grot. §. 8. & not. 2. ad Pufend. de jur. nat. & gent. l. 2. c. 3. §. 23. & not. 2. ad Pufend. de offic. hom. & civ. l. 1. c. 2. §. 16.

419 Finettus autem (1) novam est ingressus viam. Itaque in jure gentium distinguit *materiam*, seu rem præceptam, à *forma*, seu causa obligationis: atque ait, jus gentium quoad materiam idem esse ac jus naturale; quoad formam vero discrepare à jure naturæ, esseque jus humanum, & positivum. Idque explicat; quandoquidem ea quæ derivantur ex principiis juris naturæ, v. g. non occidere, non furari, pertinent & ad jus naturæ, à quo prohibentur, & ad jus etiam humanum, à quo etiam prohibentur: hoc autem jus humanum prohibens ea quæ jam prohibita sunt jure naturæ, Finettus appellat jus gentium, quod dicit esse collectionem legum humanarum vetantium ea quæ vetita sunt jure naturæ, quibus legibus universæ gentes utuntur. Singularis hæc opinio à nemine, quod sciamus, ante Finettum excogitata fuerat; quodque magis est, contendit is eam affingere Angelico Doctori, ejusque discipulos redarguit, quasi non attigerint S. Doctoris mentem.

420 Videtur autem jus gentium non differre à jure naturali, I. quia si esset quid diversum, oportuisset, ut omnes gentes in eo mutuo convenissent. Atqui fieri non potuit, ut omnes gentes mutuo convenerint, ut consentirent in eodem jure constituendo. Ergo.

421 II. Nec dici potest adfuisse consensum tacitum; tum quod plurimæ gentes sunt vel prorsus nobis incognitæ, vel cognitæ solo nomine, cum quibus nullam umquam habuimus societatem; tum quod non omnis consensus satis est ad consuetudinem inducendam, quæ vim legis habeat, sed requiritur animus se obligandi. Quis autem decernere poterit, universas gentes animum habuisse obligandi se in iis quæ dicuntur esse juris gentium?

422 III. Ab iis quæ pertinere dicuntur ad jus gentium, maxime pendet *socialitas*, ut docet S. Thomas (2). Atqui *socialitas* est constituta jure naturæ, cum homo sit naturaliter animal sociale, ut dictum est (3). Jus igitur gentium est idem cum jure naturæ.

423 IV. Omnia quæ derivantur à lege naturali, ut conclusiones ex principiis, pertinent ad eamdem legem naturalem. Ut enim advertit S. Thomas (4): » Dupliciter aliquid »potest oriri à jure naturali. Uno modo sicut conclusio ex prin-

(1) De princ. jur. nat. & gent. l. 12. c. 2.
(2) 1. 2. q. 95. a. 4. (3) §. 339.
(4) 5. Ethic. lect. 12.

»cipiis, & sic jus positivum, & legale non potest oriri à ju»re naturali; præmissis enim existentibus, necesse est conclu»sionem esse: sed cum justum naturale sit semper, & ubique, »hoc non competit justo legali, vel positivo. Et ideo neces»se est, quod *quidquid ex justo naturali sequitur quasi con»clusio, sit justum naturale*: sicut ex hoc quod est, nulli es»se injuste nocendum, sequitur non esse furandum, quod »quidem ad naturale jus pertinet. Alio modo oritur aliquid ex »justo naturali per modum determinationis, & sic omnia justa po»sitiva, vel legalia ex justo naturali oriuntur. Sicut furem »esse puniendum, est justum naturale; sed quod sit etiam »puniendus tali, vel tali pœna, hoc est legale positivum». Jam vero ex eodem S. Thoma (1), *ad jus gentium pertinent ea quæ derivantur ex lege naturali, sicut conclusiones ex principiis.* In his ergo est justum, seu jus naturale, à quo proinde non differt jus gentium.

424 V. Ea quæ dicuntur esse juris gentium, aut sunt juris naturæ, aut mera facta, & mores, aut derivantur ex lege aliqua pluribus gentibus communi. Nam 1. divisio rerum, & regnorum est merum factum, non autem lex aliqua, & inducta est jure naturæ; ex quo enim homo est naturaliter animal sociale, sequitur non posse homines socialiter vivere absque mutuis commerciis. Et ex quo nationes discrepantes non possent ab uno Rege pacifice gubernari, sequitur ex ipsa ordinatione naturæ divisio regnorum. 2. Bellum etiam sive offensivum, sive defensivum, dummodo sit justum, est de jure naturæ, à quo permittitur justa defensio, & propulsatio injuriarum. 3. Legatorum non violandorum religio est à jure naturæ jubente, ut fides data servetur. 4. Ad idem jus pertinet sepultura, & fœdera, ac pacta, si rationabiliter petita fuerint. Cætera videntur potius inducta ex legibus peculiaribus, ac moribus quorumdam populorum, quæ postea ad alios transierint populos (2),

(1) 1. 2. q. 95. a. 4.

(2) Grotius de jur. bel. & pac. l. 2. c. 8. §. 2. animadvertit: *sicut olim jura Græca, ita nunc etiam passim vigere Germanica instituta.* Id exscripsit Heineccius de jur. nat. & gent. l. 1. c. 1. §. 22. Si loquantur de ditionibus Germanicæ nationis, nemo contradicet. Videant autem illi, an Galli, Hispani, Angli, Itali, &c. eis concedent, in hisce regionibus passim vigere etiam nunc instituta Germanica. Vetus Jus Civile Romanum in omnibus fere Orbis Academiis traditur. Continetne illud jus Romanum instituta Germanica?

cum tamen ab aliis posthabita fuerint (1). Igitur nequit ulla ratione probari jus gentium distinctum à jure naturali, & civili.

425 VI. Si daretur tale jus gentium, posset mutari, & abrogari humana voluntate. Posset igitur abrogari rerum divisio: quod non videtur fieri posse; ita enim omne concideret dominium, quod in rerum divisione fundatur.

426 VII. Ut S. Thomas animadvertit (2), » Juristæ illud tan» tum dicunt jus naturale, quod consequitur inclinationem na» turæ communis homini, & aliis animalibus, sicut conjunctio » maris, & fœminæ, educatio natorum, & alia hujusmodi (3). » Illud autem jus, quod consequitur propriam inclinationem na» turæ humanæ, inquantum scilicet homo est rationale animal, » vocant Juristæ jus gentium, quia eo omnes gentes utun» tur (4), sicut quod pacta sint servanda, & quod legati apud » hostes sint tuti, & alia hujusmodi. Utrumque autem ho» rum comprehenditur sub justo naturali «. Jus igitur gentium

---

(1) Idem Heineccius loc. cit. refert observationem, quam vocat *elegantissimam*, Leibnitii Præfat. Cod. jur. gent. diplom. *quod multa quæ olim Pontifex Romanus veluti in communi gentium Christianarum republica sanxerit, pro jure Christianarum gentium communi sint habita.* Additque: *Quod eleganti exemplo de usu ballistarum adversus Christianos ex* c. un. X. de Sagittar. *illustrat Hertius.* Non miramur, homines Lutheranos odio percitos adversus Summum Pontificem, Ecclesiamque Catholicam ita scripsisse. Dolemus autem vehementissime, manibus tyronum Catholicorum impune teri Heineccii institutiones. Quod de *Ballistariis*, & *Sagittariis* produnt exemplum, est Canon 29. Concilii Lateranensis II. sub Innocentio II. à quo non quilibet ballistarum usus etiam adversus Christianos sub anathemate fuit interdictus, sed tantum usus earum in bello privato, & injusto, ut jampridem notaverat Glossa ad cit. cap. Videlicet reprobatus fuit, & sub anathemate vetitus pravus mos, qui invaluerat inter Christianos, ut ballistis mutuo dimicarent, ac se conficerent. Quæ sane lex perseverat in prohibitione duellorum.

(2) 5. Ethic. lect. 12.

(3) L. 1. ff. de just. & jur. dicitur: » Jus naturale est, quod natura » omnia animalia docuit «.

(4) Ibid. » Jus gentium est, quo gentes humanæ utuntur, quod à » naturali recedere, facile intelligere licet: quia illud omnibus animali» bus, hoc solis hominibus inter se commune sit: veluti erga Deum re» ligio, ut parentibus, & patriæ pareamus «. Hæc autem dubio procul ad jus naturale pertinent.

ex Jurisconsultorum acceptione non distinguitur à jure naturali hominis, quatenus est homo; idque non solum ratione, sed exemplis etiam additis de pactis, & legatis confirmavit Angelicus, qui proinde in sententia est referente jus gentium ad jus naturale.

Prop. I. *Jus gentium stricte acceptum distinguitur à jure naturali.* II. *Continetur autem sub jure positivo humano tamquam medium inter jus naturale, & civile.*

427 De jure gentium stricte accepto loquimur; non enim negamus, & ipsum jus naturale dici posse jus gentium, qua ratione omnibus gentibus commune est, & prout ajebat Apostolus ad Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Sed hoc jus naturale potius dicitur esse *in gentibus*, quam *gentium*; quandoquidem non est ab ipsis constitutum, sed est à Deo gentium cordibus inscriptum (1).

428 Itaque probatur 1. p. quæ est S. Thomæ (2), ejus ratione (3). Quæ pertinent ad jus naturale, sunt homini *adæquata ex ipsa natura rei*, eique *commensurata secundum absolutam rationem.* Vel enim sunt prima principia practica: atque hæc certe absolute adæquantur, & commensurantur homini, prout homo est; sunt enim seipsis conformia rectæ rationi, nec possunt ei non esse conformia. Vel sunt conclusiones ex iis principiis necessario illatæ, uti sunt præcepta Decalogi, *non furtum facies, non occides, non mœchaberis, &c.* hæ autem conclusiones ita secundum absolutam rationem inferuntur ex eo principio, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ut nullo modo possint non inferri; suntque propterea ex ipsa natura rei absolute adæquata, & commensurata homini, ut homo est. Quod idem dicendum de cæteris præceptis legis naturalis, etiam de illis conclusionibus quæ sunt admodum remotæ à primis

(1) Tale jus gentium Grotius de jur. bel. & pac. l. 1. c. 1. vocat *necessarium*; alterum de quo agimus, *voluntarium.* Alii illud *primarium*, istud *secundarium* dicunt; qua de re disputare nolumus, ne de vocibus disputare videamur.

(2) 1. 2. q. 95. a. 4. Et adseritur etiam à Grotio loc. cit. à Gronningio in Bibl. jur. gent. l. 3. c. 10. à Vitriario Inst. jur. nat. & gent. in Proleg. n. 24. à Schmiero, Schwartzio, aliisque.

(3) 2. 2. q. 57. a. 2. & 3.

principiis. Nam licet in his non semper constet etiam apud sapientes de earum absoluta veritate ; nihilominus sunt homini adæquata ex natura rei, secundum absolutam rationem ; quamvis id non constet per rationem omnino certam. Sic v. g. de aliquo contractu potest non certo constare, an sit injustus ; si tamen verisimile sit, ipsum esse injustum, id est secundum absolutam rationem, & adæquationem ex ipsa natura rei. Quorum omnium ea videtur esse ratio, quam supra (1) innuimus, videlicet quia ea quæ lege naturali præcipiuntur, sunt intrinsece, & natura sua absolute bona ; quæ vero prohibentur, sunt intrinsece, & natura sua absolute mala; ideoque *secundum absolutam rationem* sunt homini adæquata, & commensurata, ut ea faciat, si præcepta ; ea vitet, si prohibita.

429 Ex hisce sponte sequitur, non pertinere ad jus naturale ea quæ non *secundum absolutam rationem*, sed *ex condicto*, & *secundum aliquid*, *quod inde sequitur*, videlicet *secundum aliquam utilitatem*, & *moralem*, licet non *absolutam necessitatem*, sunt homini adæquata, vel commensurata. Etsi enim & hæc deriventur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis; non tamen derivantur *ex natura rei*, & *secundum absolutam rationem*, sed ex *condicto*, & *secundum utilitatem*, & *congruitatem*. Jam vero ea quæ pertinent ad jus gentium stricte acceptum, non derivantur ex lege naturæ, ut adæquata homini *ex ipsa natura rei*, & secundum *absolutam rationem*, ita ut nullo modo possint aliter esse ; sed tantummodo *secundum utilitatem*, & *congruitatem*. Id S. Thomas (2) explicat in rerum divisione, quæ præcipua est in jure gentium. »Si enim, *inquit*, »consideretur ager iste absolute, non habet unde magis sit hujus, »quam illius « (ideoque lex naturæ non præcipit, neque prohibet quod sit potius hujus, quam istius). »Sed si consideretur per »respectum ad opportunitatem colendi, & ad pacificum usum »agri; secundum hoc habet quamdam commensurationem ad hoc, »ut sit unius, & non alterius«. Ea igitur quæ sunt juris gentium, non sunt *secundum absolutam rationem* intrinsece, & natura sua bona, vel mala; sed sunt bona, si considerentur secundum quamdam commensurationem, prout expediunt humanæ societati (3), à qua commensuratione si deficiant, dicuntur mala ea quæ ju-

(1) §. 191. sqq.

(2) 2. 2. q. 57. a. 3.

(3) Quare in Inst. Justin. §. 2. jus gentium definitur : »Jus humanum voluntarium, quod usu exigente, & necessitatibus humanis, gentes humanæ inter se constituerunt «.

re gentium prohibentur. Perspicuum est ergo, ea non pertinere ad jus naturale.

430 Hinc probata manet altera prop. pars. Nam si jus gentium non pertinet ad jus naturale, pertinere debet ad jus humanum positivum, cum sit ab hominibus per rationem constitutum, derivatumque ex lege naturæ ad majorem ipsorum utilitatem, necessitatibus humanis ita exigentibus, ut sunt, inquit S. Thomas (1), *justæ emptiones, venditiones, & alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt.*

431 Quod vero jus gentium sit medium inter jus naturale, & civile, nullo negotio ostenditur. Nam medium participat aliquid ex utroque extremo. Jus autem gentium convenit cum jure naturæ, 1. quia neutrum oportet esse scriptum in tabulis, ut jus civile. 2. quia utrumque universim apud gentes est receptum, secus jus civile. 3. quia in utroque, etsi diversimode, conclusiones inferuntur ex principiis legis naturæ: ea autem quæ sunt juris civilis, derivantur non ut conclusiones ex principiis, sed instar determinationum legis naturæ, ut supra dictum est (2) cum S. Thoma (3). 4. quia utriusque finis est felicitas humanæ societatis universim.

432 Differt vero jus gentium à lege naturæ, & convenit cum jure civili, 1. quia objecta juris gentium non sunt absolutæ necessitatis, sicut in jure naturæ, sed congruitatis, & utilitatis, ut in jure civili. 2. quia sicut jus civile inductum est hominum voluntate, ita jus gentium. 3. quia sicut civile jus mutari aliquando potest, ita jus gentium, cum ex hominum voluntate pendeat: jus autem naturæ est omnino immobile.

433 Ad primum respondet S. Thomas (4), minime oportuisse, ut universæ gentes convenirent ad jus gentium constituendum. „Quia, *inquit*, ea quæ sunt juris gentium, natu„ralis ratio dictat, puta ex propinquo habentia æquitatem, in„de est, quod non indigent aliqua speciali institutione, sed „ipsa naturalis ratio ea instituit (5) &. Ex naturali igitur ra-

(1) 1. 2. q. 95. a. 4.
(2) §. 423. (3) Idem repetit q. cit. a. 2.
(4) 2. 2. q. 57. a. 3. ad 3.
(5) Si naturalis ratio *instituit* ea quæ sunt juris gentium; ea non sunt certe juris naturæ, quod non pendet ex institutione naturalis rationis humanæ.

tione hominum effectum est, ut in iisdem institutis habentibus *ex propinquo æquitatem* ipsi convenirent, nam ratio naturalis eadem est apud omnes. Primi ergo homines æque ac posteriores in illis convenere, quia æque ducti sunt naturali ratione.

434 Ad secundum respondemus ex dictis (1), consensum non modo fuisse tacitum, sed etiam expressum: nam in iis quæ *ratio naturalis dictat* tamquam habentia *ex propinquo æquitatem*, homines, dum ratione in ea ducuntur, expresse conveniunt. Neque necesse est quærere gentes incognitas, ut hæc sciamus: sat superque est scire, gentes illas homines esse, qui ratione ducuntur. Neque necesse fuit, ut homines consentientes haberent animum sese obligandi: nam ex ipsa lege naturæ tenentur homines id amplecti, quod eorum *ratio naturalis instituit*, ut habens *ex propinquo æquitatem*. Nec propterea jus gentium desinit esse institutionis humanæ; quemadmodum neque lex civilis desinit esse institutionis humanæ, licet, ea posita, lex naturalis obliget ad eam servandam.

435 Ad tertium respondemus, *socialitatem* pendere quidem ab iis quæ sunt juris gentium, sed non *absolute*, ita ut nullo modo sine illis *socialitas* haberi possit; pendet ergo consideratis circumstantiis, ob quas, nisi commercia v. g. essent instituta, *moraliter* fieri non posset, ut societas humana subsisteret. Addimus, *socialitatem* esse ex jure naturæ obligante quidem universitatem hominum, non autem singulos, qui possunt, si volunt, seorsum vivere; sicut matrimonium est ex lege naturæ obligante universitatem hominum, ne species pereat, non autem singulos, qui non tenentur ad illud ineundum.

436 Ad quartum responsio patet ex dictis (2); ea enim quæ sunt juris gentium, derivantur ex lege naturali, ut conclusiones ex principiis, non *secundum absolutam rationem*, sed *secundum quamdam commensurationem*, *utilitatem*, *& congruitatem*, sive ut habentia *ex propinquo æquitatem*; ideoque valde differunt à jure naturali. Sic vero exponendi sunt S. Thomæ textus qui videntur pugnare, adsertionique nostræ adversari (3).

---

(1) §. præc. (2) §. 429.

(3) Hæc vera interpretatio, atque explicatio est mentis Angelici Præceptoris ex ipsomet desumpta.

437 Ad quintum respondentes, primum quidem negamus, divisionem rerum, & regnorum esse merum factum; habet enim vim legis, quam si quis violet, transgreditur jus gentium, imo jus ipsum naturæ, quo tenemur legibus parere etiam humanis à legitima Potestate latis. Negamus quoque, eam divisionem esse inductam jure naturæ: nam socialitas non pendet *absolute* ab ea divisione, ut dictum est (1), sed tantum *moraliter*, & *congruenter* ad hominum conditionem, præsertim in statu naturæ lapsæ. Jus autem naturæ ea duntaxat complectitur, quæ sunt absolutæ necessitatis; alioquin etiam leges civiles pertinerent ad jus naturæ, quia & ipsæ respiciunt bonum societatis. Aliud est autem aliquid derivari à jure naturæ, quia ei est consentaneum; aliud esse præceptum, vel prohibitum à jure naturæ; omnia enim quæ sunt juris positivi, debent esse consentanea juri naturæ, nec tamen à jure naturæ omnia illa præcipiuntur, vel prohibentur (2).

438 Deinde quod dicitur de bello, neque probat, ipsum esse ex jure naturæ; hoc enim permittit quidem justam defensionem, & propulsationem injuriarum, non tamen præcipit, nisi forte cum periclitatur observatio præcepti constituti jure naturæ, v. g. si periclitetur vera Religio, vel bonum commune Reipublicæ, nec alia sit defendendi via: tunc autem bellum est medium præceptum jure naturæ, at non *absolute* in seipso, sed quia sine ipso servari nequit lex naturæ. Quis enim dicet, *absolute* haberi non posse justam defensionem, aut propulsationem injuriarum, nisi bellum ineatur? Quot alii possunt esse modi! Non negamus, bellum esse medium facilius, & naturæ *conformius*; sed hoc ipsum ostendit, non ex jure naturæ, quod est de *absolute* necessariis, sed ex jure gentium pendere, quod respicit id quod est *congruentius*, ut dictum est (3).

439 De Legatis sic habeto: si fides data sit eorum non violandorum, servanda est ex lege naturæ præcipiente, ut fides data etiam hosti servetur (4), nisi justa causa contrarium poscat (5). Attamen quod Legati recipiantur, & quod eis detur

(1) §. 435.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 95. a. 2. ubi explicat, qua ratione lex humanitus posita derivetur à lege naturali. (3) §. 429.

(4) Vide Ciceronem l. 1. de Offic. n. 33. & 39. sq. & l. 3. Offic. n. 99. & 111. 114. Et Livium l. 22. c. 58. & Valerium l. 7. c. 3.

(5) Heterodoxi passim Synodum Constantiensem accusant violatæ publicæ fidei præstitæ Hieronymo Pragensi, contra salvum-conductum, cum ipsum tradidit sæculari Potestati plectendum. Calumniantur vero;

fides, ne lædantur, id non est præscriptum jure naturæ, sed inductum jure gentium.

440 Similiter jus sepulturæ hostium interfectorum in bello justo habet quidem fundamentum in æquitate naturali; non tamen est ex lege naturæ, nisi forte ad pestem vitandam: quod idem ostendit, illud jus *absolute* non esse ex lege naturæ. Pacta quoque, & fœdera, si rationabiliter ab hoste petantur, *æquitatis* sunt, non *absolutæ* necessitatis.

441 Quod de legibus, & moribus peculiaribus additur, quæ ab uno ad alios populos transierint, ad rem non facit; non enim de hisce legibus, aut moribus loquimur, quæ universim recepta non sunt, sed de jure quo omnes, vel fere omnes gentes utuntur.

442 Ad sextum respondemus cum Dominico Soto (1): „Aliqua sunt de jure gentium adeo conducentia ad humanum „convictum, ut nullatenus fas sit super illis dispensari; imo „forsitan dispensatio esset irrita, ut divisio rerum (2). Nam„que, nisi inter Religiosos, intolerabilis esset communis rerum „possessio. Alia vero sunt ejusdem juris, quæ sunt pro causa „dispensabilia. Servitus enim est de jure gentium; & tamen „dispensatum est, ne Christiani capti in bello pro servis ha„beantur". Ratio autem adfertur à Bannesio (3), quia *ea quæ sunt de jure gentium, non sunt per se bona; neque ea quæ jure gentium prohibentur, per se mala, quin pro loco, & tempore possint variari.*

443 Ad septimum concedimus, Jurisconsultos id tantum appellasse jus naturale, quod est commune homini, & aliis animalibus; non quod judicarint, posse in brutis animantibus esse aliquod jus proprie tale, sed propter analogiam quamdam in iis quæ bruta quidem faciunt per naturæ instinctum, homines vero etiam per rationem. Quare nec ipsi Jurisconsulti à jure hoc

---

tum quia salvus-conductus indultus est illi cum clausula, *Justitia semper salva*; tum quia ille fuga, quam arripuerat, exciderat privilegio; tum quia ipsemet publico scripto provocaverat ad Synodum Œcumenicam, addens: *Si compertus fuero in aliquo errore, aut hæresi, ex tunc non recuso pati pœnam.* Vide Rainaldum ad ann. 1416. n. 21. Et Natalem Alexandrum Hist. Eccl. tom. 8. diss. 7. n. 9.

(1) De just. & jur. l. 3. q. 1. a. 3.

(2) Id Bannesius de just. & jur. q. 57. a. 3. concl. 4. intelligit, si sola Principis auctoritate fieret dispensatio absque consensu Regni.

(3) Loc. cit.

naturali in homine rationem omnino excluserunt (1), sed considerarunt magis id quod erat ex inclinatione naturæ, & ex commensuratione posita ab ipsa natura. Secundum hanc acceptionem jus naturale proprium hominis appellarunt jus gentium sub lata acceptione, ut dictum est (2); nimirum & quatenus comprehendit jus naturæ proprium hominis, quod etiam est commune omnibus gentibus; & quatenus complectitur jus gentium, de quo disputamus: & utrumque dixerunt comprehendi sub jure naturali, quia illud quidem est proprie jus naturæ conveniens homini, ut homo est; istud vero conforme est juri naturæ, quamquam sit ab hominibus constitutum. Angelicus autem pro moderatione summa, qua neminem despiciebat, explicandam suscepit distinctionem illam jurium naturalium à Jurisconsultis antiquioribus traditam; eamque sic explicavit, ut simul fundamenta tradiderit, quibus constaret, jus gentium stricte acceptum non pertinere ad jus naturale, nisi quatenus est ei conforme. Quæ quidem omnia apprime constabunt, si diligenter conferantur ea quæ S. Doctor scribit 2. 2. q. 57. a. 3. & 5. Ethic. lect. 12. cum iis quæ habet 1. 2. q. 95. a. 4. & 2. 2. q. 57. a. 2. (3).

---

(1) Non erat opus, ut Grotius de jur. bel. & pac. l. 1. c. 1. §. 11. multis ostenderet, alia animantia ab homine capacia proprie non esse juris. Nam si hoc vidit Hesiodus, si Cicero, si Plutarchus, si Polybius, si Lactantius, ad quos ille appellat; cur non vidissent sapientes Jurisconsulti qui leges Romanas collegerunt? Tam tardi hi putandi sunt, ut non cognoverint, bruta esse juris incapacia? Nomine igitur juris naturæ, ut S. Thomas advertit 2. 2. q. 57. a. 3. intellexerunt id quod est alteri adæquatum, & commensuratum. Sicut autem in hominibus, ita in belluis habetur commensuratio masculi ad fœminam: & hanc commensurationem vocarunt jus naturæ; ex natura enim est ea commensuratio.

(2) §. 427.

(3) Ex hisce, aliisque locis perspicuum est, S. Doctorem perpetuo legem divisisse in naturalem, & positivam cum divinam, tum humanam; legem vero positivam humanam distinxisse in legem seu jus gentium, & legem civilem. Quare jus gentium secrevit & à lege naturali, & à lege civili. Neque explicatio Finetti ad rem est: nam idem S. Thomas prohibitionem furti, homicidii, &c. latam cum adjunctis pœnis à lege humana, refert non ad jus gentium, sed ad legem civilem. Vide 1. 2. q. 95. a. 2.

ARTICULUS II.

Utrum rerum divisio convenienter fuerit inducta.

444 Jam dictum est (1), rerum divisionem esse ex jure gentium; rerum, inquam, exteriorum, quæ bona fortunæ appellari solent (2). Satis quoque probata (3) videri potest convenientia, & opportunitas ejusmodi divisionis. Quia tamen Socrates olim, & Plato (4) perfectam omnium rerum communitatem in ficta ab eis Republica constituere conati sunt; & deinceps hæretici dicti *Apostolici*, ut S. Augustinus refert (5), *res proprias possidentes* in suam communionem non recipiebant, nullamque spem eis relinquebant, qui his uterentur rebus; quos postea *Fraticelli* sequuti sunt (6): abs re non erit, hanc controversiam diligentius tractare, præsertim postquam Hobbesius, ut dictum est (7), censuit, à natura singulis hominibus tribui jus in omnia, tantumque singulos posse occupare, quantum viribus valent; et postquam Rousseaus perfectam hominum æqualitatem in statu naturali commentus est (8), eamque prætulit communitati status civilis. In eadem sententia videntur esse Quakeri, qui omnia omnium, & singulorum esse dicunt (9), quamvis revera, ut cæteri, propria possideant bona.

---

(1) §. 429.

(2) Vide S. Thom. 2. Polit. lect. 1. (3) §. 429.

(4) Adeatur Aristoteles l. 1. Polit. c. 2. Et ipsemet Plato in Timæo, & lib. 5. de Republ.

(5) L. de hæres. hær. 40.

(6) Conferri potest Baluzius tom. 1. Miscellan.

(7) §. 350.

(8) *Disc. sur l'orig. & les fond. de l'inégal.* tom. 3. Opp.

(9) Hos qui ne ipso quidem Baptismate initiati sunt, mirifice extollit nuperus quidam obscuri nominis scriptor Franciscus Longanus in oratione, quam præmisit tractatui politico de Commercio D. Melon, ex Gallico in Italicum idioma translato. Sic enim scribit: » Si dee al Com» mercio lo stabilimento della Colonia de' Quakeri nella Pensilvania. Il » famoso Penn in questo asilo, e gratissimo soggiorno di *virtù reali* non » c' introdusse nel 1682. che due mila persone *perseguitate dal Clero.* » Fin allora gli Europei non avevano saputo che spopolare, ma quest' im» mortale Inglese a mala pena ch' ebbe fatto ammirare i germi della

445 Videtur autem minime licere rerum divisio, I. quia ju-

» ragione, e della felicità, ed ebbe seminato nelle vaste rovine d' un » Emisfero ancora fumigante di sangue di tanti popoli selvaggi, e inci- » viliti, che nel 1755. ci si annoveravano 280. mila abitanti. Que- » sta singolarissima, e novella Repubblica, in cui tutto è di tutti, e » tutto di ciascuno, ha fatto a pruova conoscere a tutto il mondo, che » in una *piccola moltitudine* colla sola fatica utile, onoratezza, e li- » bertà effettiva anco si può star bene *per poco tempo* senza inuguaglianza, » senza lusso, senza Tribunali, senza Milizie, e senza sfaccendati. O » gloriosissimo Penn, perchè prima di morire non cercasti di rendere fe- » lici altri popoli «? *Ad commercium referenda est constitutio Quakero- rum in Pensylvania. Celebris Penn in hunc asylum, gratissimamque mansionem virtutum realium duo millia hominum à Clero exagitato- rum introduxit anno* 1682. *Ad illud usque tempus Europæi aliud facere nescierant, quam depopulari: is autem immortalis Anglus sta- tim atque admirari fecit rationis, ac felicitatis germina, seminaque jecit in Hemisphærio adhuc sanguine fumante tot populorum sylve- strium, & ad civilem vitæ cultum translatorum; accidit, ut anno* 1755. *ibi numerarentur* 280. *mille habitatores. Hæc singularis, ac no- va Respublica, in qua omnia sunt omnium, & omnia singulorum, mundo universo reipsa comprobavit, in parva multitudine omnia recte habere posse modico tempore, per utilem laborem, honestatem, liber- tatemque revera talem, absque inæqualitate, absque luxu, absque Tribunalibus, absque Militiis, & absque otiosis. O Penn gloriosis- sime, cur antequam è vivis excederes, non curasti, ut alios quoque populos felices redderes?* Ita Rhemnianus hic doctor, etsi sacerdotio Christiano insignitus, non dubitavit Quakerorum causam agere in urbe Neapoli Christiana pietate insigni; omnesque intendere vires, ut novam ibi induceret reipublicæ formam, in qua omnes essent æquales, sublatis Tribunalibus, Militiis, adeoque & ipso Rege; optareque, ut eadem quæ in Pensylvania ab Anglo Penn introducta fuerat gubernii species, cum illuc, tum alibi translata ab illo fuisset. Sequutus vero fuit Encyclopædiæ Auctores art. *Quaker*, effusos in Quakerorum laudes. Hi autem Auctores quantopere adversentur Religioni, ac Principatibus, norunt omnes, qui Encyclopædiam legerunt, quique sciunt, unum ex hisce auctoribus fuisse Rousseaum, apertum Principatuum hostem. Id quod à Voltairio testatum habemus in Epist. ad eumdem Rousseaum tom. 3. ejus Operum. » Vous savez quelles traverses vos » amis essuyérent quand ils commencérent cet ouvrage, aussi utile qu'im- » mense, de l' Encyclopédie, auquel vous avez tant contribué «. Sed perspicite Longani conamina. Non satis ei fuerat in notis ad præfatum opus pag. 84. appellasse Philippum II. Hispaniarum Regem immortalis nominis, *Principe bizzocone, ed avaro, Principem stultum, & avarum* (vox *bizzocone* Italice idem significat, ac vox *stultus*;

re naturæ omnia sunt communia. Igitur divisio rerum est contra jus naturæ.

---

sic enim in Vocabulario Academiæ Florentinæ, vulgo *della Crusca*: *Bizzocone. Stolto, Ignorante, Zoticone, Stolido*). Nam quod initio in monitu ad Lectorem declaravit ille, » che tali parole sono enfatiche, » e non devono eccitare un cattivo giudizio d' un Sovrano tanto singo- » lare in Europa «. *Ejusmodi verba emphatica sunt, nec Principis adeo in Europa singularis pravam excitare opinionem debent*; crimen non minuit, sed confirmat: nam quodnam hoc est loquendi genus, quempiam, non dicam Regem, sed ne privatum quidem, ac vulgarem hominem, appellare *stultum*, & *avarum*; declarareque postea, hæc dicta fuisse *emphatice*? Emphaticene potest quis licite vocari *fur*, *latro*, *grassator*, *concubinarius*, *adulter*? An minus offensionis habet appellatio *stulti*, & *avari*? Quænam esse emphasis potest ad bonum trahenda sensum, in verbis adeo acerbis? præsertim quia Longanus illa adhibuit, ut Philippo II. exprobraret amissionem Hollandiæ: *Dopo che i Paesi bassi ebbero scosso il giogo di Filippo II. Principe bizzocone, ed avaro*; quod quidem jugum Hollandi excusserant Catholicæ Religionis causa, à qua desciverant. Non satis, inquam, Longano fuerat ita de Catholico Rege Neapoli scripsisse, typisque vulgasse, nisi Quakeros, summarum Potestatum infensissimos hostes, qui omnimodam tuentur æqualitatem, omnemque differentiam graduum excludunt, omni laudum præconio celebraret. Hi per Longanum sunt, qui *virtutes reales* excolunt, cæteri non nisi umbratiles virtutes habent. Hi sunt injuste *à Clero vexati*, & à quonam *Clero*? nimirum à Pseudo-episcopis Anglicanis. Hi sunt *immortali* gloria digni. Hi *sævitiam* Europæorum emendarunt. Hi *rationis*, & *felicitatis* jecerunt semina, utque germinarent effecerunt. Hi populi frequentiam in illas regiones invexere. Hi populos transtulerunt ad civilem cultum, omni sublata graduum, officiorum, ac dignitatum inæqualitate, sublatisque Tribunalibus, Militiis, Rege, ac perfecta inducta omnium æqualitate. Hi denique sunt, quorum caput in alias quoque regiones eamdem vivendi formam invehere debuerat, ut plena esset ubique felicitas. Poteratne vel ipse Penn Quakeros suos magnificentius extollere? Jam oportebit ad Quakeros transire, ut *reales* discamus *virtutes*, & *rationis*, ac *felicitatis* efficiamur compotes. Oportebit Tribunalia, Militias, Reges è medio tollere, perfectamque statuere æqualitatem, nullo facto graduum, officiorum, ac dignitatum discrimine, ut augeatur incolarum numerus. Oportebit denique receptas proscribere Regnorum, & Rerumpublicarum formas, novasque instar Quakerorum formas inducere. Nam quod de *parva multitudine*, & de *modico tempore* Longanus scribit, studio conquisita evasio est; non enim dici potest parva multitudo numerus ad 2000; neque spatium 73 annorum, quot effluxerunt ab anno 1682. ad annum 1755. potest dici modicum tempus.

446 II. Communitas rerum fovet caritatem ; ubi enim omnia sunt communia , major est amoris nexus ; ideoque amicorum dicuntur esse omnia communia. Homines autem tenentur mutuo se amare. Debent igitur habere omnia communia.

447 III. Hæc rerum communitas unitatem custodit ; divisio enim opponitur unitati. Bonum autem Reipublicæ maxime ab unitate pendet. Ad Reipublicæ ergo bonum maxime confert rerum communitas.

448 IV. Homines imitari debent exempla Christi , ejusque discipulorum. Christus autem non solum nihil habuit proprium, sed nec habuit , *ubi caput reclinaret* , ut ipsemet ait Luc. 9. v. 58. De Apostolis vero , primisque Christianis dicitur Act. 4. v. 32. *Nec quisquam eorum quæ possidebat , aliquid suum esse dicebat ; sed erant illis omnia communia.* Hæc igitur exempla sectari cæteri debent.

449 V. Idipsum & Patres docuere : nam S. Ambrosius (1): »Natura, *inquit* , omnibus in commune profudit. Sic enim »Deus generari jussit omnia , ut pastus omnibus communis es»set , & terra foret omnium quædam communis possessio. Na»tura igitur jus commune generavit , usurpatio vero fecit pri»vatum «. Et rursus (2) : *Proprium nemo dicat , quod est*

Peto autem , cuinam bono auctus ille fuit Quakerorum numerus ? Religionine Catholicæ , quæ unica vera est ? Nihil minus. Quid autem necesse est , homines multiplicari , ut multiplicetur iniquitas , & copiosiora sint diaboli spolia ? Fuerint quidam erga Americanos sævi, contradicentibus Regibus , ac Magistratibus ; quot infideles conversi ab aliis sunt ad Catholicam Fidem ; quot fundatæ Ecclesiæ ! Sed hæc ad Regnorum felicitatem non permagni ponderis Longano erant. Modo numerus hominum licet Quakerorum augeretur , modo commercia florerent ; optime de universis erat ad feliciter , beateque vivendum. Puerilia hæc , ut olim alia , fortasse reputabit ille , & responsione indigna. Nobis autem summi esse videntur momenti , & quoad Religionem pertinent , & quoad statum respiciunt civilem ; nec ullus erit recte de Religione , ac de Republica meritus , qui illa non rejiciat, improbetque , præsertim qui sciat , longe diversam fuisse causam aucti hominum numeri in Pensylvania , ab illa quam Longanus statuit.

(1) L. 1. de Offic. c. 28.

(2) Hæc verba S. Ambrosio adscribuntur in Decr. d. 47. c. 8. *Sicut ii* ; ex eoque citantur in arg. 3. quod sibi objicit S. Thomas 2. 2. q. 66. a. 2. Nicolajus in not. ibid. animadvertit , in Decreto citari Serm. 81. Ambrosii : & revera in codicibus , ex quibus eruta fuit vetus editio Opp. Ambros. erat ordine 81. Vide Maurinos PP. in

commune. Et S. Basilius (1): »Velut si quis, loco in theatro ad »spectandum occupato, deinde ingredientes arceat, id sui »ipsius proprium ratus, quod ad omnium communem usum pro»ponitur: tales ejusmodi quoque divites sunt. Nam com»munia præoccupantes, ea ob præoccupationem sibi assumunt«. Censuerunt ergo rerum divisionem esse illicitam.

Prop. I. *Divisio rerum, & proprietatum quoad potestatem procurandi, ac dispensandi, non modo conveniens est, sed plane necessaria in rebuspublicis bene ordinatis.* II. *Usus vero rerum exteriorum, earumque fructuum debet esse communis.*

450 Ita S. Thomas (2). Prob. 1. p. ex eodem. Id maxime convenit, estque necessarium in rebuspublicis bene ordinatis, quo ablato possessiones aut vix, aut non ita bene

---

Ind. Serm. prætermissorum, in Append. Opp. S. Ambrosii. Ipse vero Nicolajus citat Sermonem 64. ejusdem Ambrosii in modernis exemplaribus, & quidem 64. erat is Sermo S. Ambrosio tributus in Romana editione. Confer Indicem laudatum. Iidem vero PP. Maurini ib. observant, præfatum Sermonem non esse adjudicandum S. Ambrosio, sed S. Basilio, esseque ipsam Basilii Homiliam in dictum illud Luc. 12. *Destruam horrea mea*, &c. Hæc autem Homilia tertia est inter illas S. Basilii, quas Ruffinus Aquilejensis è Græco in Latinum vertit, more suo licentia magna utens in vertendis Græcorum scriptis, ut in hac ipsa Homilia videri potest, si conferatur Græcus Basilii textus cum Ruffini versione. Nicolajus vero not. cit. descripsit tamquam Ambrosii verba quæ habentur non quidem in Homilia consona textui Græco Basilii, sed prout exstabant in versione Ruffini; ita enim descripta erant in veteri edit. Opp. Ambrosii. Verba autem Basilii in Hom. cit. sunt hæc n. 7. »Cui, *inquit*, injuriam facio, dum »retineo mea, atque conservo? Quæ, dic mihi, tua sunt? Unde ac»cepta in vitam intulisti? Velut si quis, &c. ut describimus in arg. 5. Ruffini autem versio, quam describit Nicolajus, sic habet: »Sed dicis: »Quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentius »servo? O impudens dictum! Propria dicis? Quæ ex omnibus recon»ditis in hunc mundum detulisti? Quando hanc ingressus es lucem, &c. Et paulo infra: *Proprium nemo dicat, quod è communi plusquam sufficeret sumptum, & violenter obtentum est.*

(1) Hom. in illud Luc. 12. v. 18. *Destruam horrea mea*, &c. n. 7.

(2) 2. 2. q. 66. a. 2. & 2. Polit. l. 4.

procurarentur, ut requiritur ad bonum commune; dissensiones vero, & lites orirentur sæpissime. Atqui sublata rerum divisione, & proprietate quoad potestatem procurandi, & dispensandi, possessiones vix procurarentur; unusquisque enim minus curat communia, quam propria, præsertim cum labor subeundus est, ex quo commune tantum sequitur commodum (1). Vel si procurarentur, maxima esset inordinatio, & confusio; nemini siquidem propria immineret cura earum procurandarum. Jurgia vero perpetua forent, ut accidit, cum multi unam rem procurare habent (2). Contra vero, posita rerum divisione, & proprietate, possessiones diligentius procurantur, quia quisque sua magis curat: omnis abest confusio, quisque enim sua administrat: caventur lites si non omnes, saltem plurimæ, quæ ex communi possessione orirentur. Divisio igitur rerum, & proprietatum quoad potestatem procurandi, & dispensandi conveniens, planeque necessaria est (3) in rebuspublicis bene ordinatis (4).

---

(1) Equidem posita rerum communitate, iniqui homines, ac desides otio, & inertiæ vacarent, quod certi essent, eis non defectura necessaria vitæ ex labore, ac diligentia hominum proborum: sic vero vitia promoverentur, & immerentes æquales essent bene merentibus. Quod reprobat Apostolus 2. ad Thessal. c. 3. v. 11. sq. iis verbis: » Audivimus enim, inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent «. Si ita contigit inter Christianos initio Ecclesiæ, cum omnes erant cor unum, & anima una in Domino, quanto magis inter cæteros homines similia contigissent!

(2) Quod communitas bonorum pareret jurgia, & rixas, habemus exemplum Gen. 13. in rixa orta inter pastores Abrahæ, & Lot, eo quod habitarent communiter, & indistincte curarent greges. Et Act. 6. describitur murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

(3) In Judæorum republica voluit Deus, ut Terra promissionis divideretur per tribus, & cognationes, & familias. Confer cap. 1. & 14. lib. Josue.

(4) Hæ rationes, quas S. Thomas ex Scriptura, & Aristotele l. 2. Polit. desumpsit, & ex eodem Aristotele descripserunt etiam Pufendorfius de jur. nat. & gent. l. 4. c. 4. §. 7. & Heineccius de jur. nat. & gent. lib. 1. c. 10. §. 269. tam non placuere Campanellæ, ut finxerit *Civitatem* Solis, in eamque bonorum communionem tentarit introducere. Sed ejusmodi civitates non nisi in phantasiis existere possunt. Considerata enim conditione hominum, locus commu-

451 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Nisi usus rerum exteriorum, earumque fructuum sit communis, universa ad eos tantum pertinebunt, qui proprietatem habent; cæteris qui non possident, quorum major est numerus, nihil erit reliquum. Hoc autem & caritati erga proximum adversatur, & bono communi Reipublicæ, quod ex rerum communicatione pendet (2). Quapropter Apostolus 1. ad Tim. 6. v. 17. sqq. ajebat: *Divitibus hujus sæculi præcipe... bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Usus ergo rerum exteriorum, earumque fructuum debet esse communis (3). Hinc divites urget præceptum largiendi pauperi-

---

nioni bonorum universali nequit esse. Nam nihil proprium possidere, non est nisi eorum qui ad virtutum perfectionem adspirant. Velle autem universum genus humanum, aut aliquod regnum, vel civitatem ad talem perfectionem adipiscendam esse idonea, stultitia est; maxima enim pars est hominum imperfectorum. *Lex humana*, inquit, S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 2. *ponitur multitudini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute.* Et licet lites, & jurgia plurima sint etiam post inductam divisionem; multo tamen & majora, & frequentiora essent, si omnia forent generi humano communia, habita ratione corruptionis humanæ naturæ. Vide S. Thom. 2. Polit. lect. 4.

(1) Loc. cit.

(2) Improbata sic manet sententia Pufendorfii de jur. nat. & gent. l. 4. c. 4. §. 2. ajentis, ad vim dominii pertinere, ut à rerum quæ nobis propriæ sunt, *usu quosvis alios arcere possimus.* Nam licet domini rerum possint ex legitima causa hos, vel illos arcere ab usu præsertim fructuum earum rerum quæ ipsis necessariæ non sunt; non possunt tamen *quosvis alios* universim arcere; ita enim fructus marcescerent, si corruptioni essent obnoxii, & generatim posset nullus esse permutationibus, negotiationibus, & eleemosynis locus.

(3) Is usus non ita est accipiendus, ut quisque possit pro libitu uti rebus quæ certum dominum habent (nisi forte id sit permissum publica potestate, ut est in nonnullis locis jus pascendi, lignandi, &c.), sed ita ut domini rerum non debeant impedire, ne alii per contractus licite cum ipsis initos, ab usu rerum quæ ipsis necessariæ non sunt, excludantur; providere vero debeant, ut eas cum pauperibus, & indigentibus communicent. Genuensis autem l. 1. de offic. c. 12. n. 6. minime distinguens inter proprietatem, & usum: » Homines, *inquit*, in communione universali procreati sunt. Porro est » nunc eadem hominum conditio naturalis, quæ fuit à principio: nam

bus eleemosynam de superfluis naturæ, & personæ in extrema necessitate; & de superfluis statui in necessitatibus communibus; in gravi vero necessitate etiam de superfluis personæ (1).

452 Ad primum respondet S. Thomas (2): »Communitas »rerum attribuitur juri naturali, non quia jus naturale dictet, »omnia esse possidenda communiter, & nihil esse quasi pro»prium possidendum; sed quia secundum jus naturale non »est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum »condictum, quod pertinet ad jus positivum... Unde pro»prietas possessionum non est contra jus naturale, sed juri na»turali superadditur per adinventionem rationis humanæ (3)«.

»omnes & rerum indigi nascuntur, & cum jure ad vitam, à quo »nemo alterum excludere nisi sceleste potest. Igitur etiam nunc ju»re illo naturæ primævo in communione procreamur«. Hæc licet vera sint de usu rerum quæ ad vitam omnino necessariæ sunt, nec alia subest via, qua servari vita possit; quisque enim quo jure debet vitam conservare suam, eodem potest uti rebus etiam alienis, ut vitam suam servet, ut est in casu necessitatis extremæ; in quo quidem casu res quas accipit quis ad vitam servandam, desinunt esse alienæ, & fiunt suæ, atque adeo in eo tantum casu dici possunt communes: nihilominus affirmari generatim nequit, ut Genuensis facit, homines etiam nunc procreari in communione jure primævo naturæ, quasi quisque manus licite possit extendere in aliorum substantias, si earum sit indigus, quæcumque sit necessitas vitæ. Nec oportebat, propter unum dumtaxat casum necessitatis extremæ, generale theorema statuere, adstruereque generatim, homines etiam nunc *in communione universali procreari*, nullo facto discrimine inter usum, & proprietatem. Sed vide hominis indolem. Ibid. §. 2. præmiserat: »In naturæ igitur communitate quicumque rem aliquam adeptus est, »ut jure suo uti abutique possit, *omnesque alios ab ejus usu pro»pter ingenita jura depellere*, ejus rei κύριος dominus factus est«. Quid illud Græcum verbum κύριος? videlicet παιδαγωγικῶς. Itane vero? Nemo igitur dominus est, nisi ille tantum qui *propter ingenita jura* potest alios depellere ab usu rei cujus factus est dominus. Jura autem illa *ingenita* ad res tantum sunt quæ necessariæ sunt ad vitam. Nemo igitur aliarum rerum vere dominus esse potest. Verum hac de re paulo post dicemus.

(1) Vide quæ diximus ex S. Thoma in Epit. Theol. Mor. Nat. Alex. l. 3. p. 2. tr. 1. sect. 3. c. 2. a. 3. q. 2.

(2) 2. 2. q. 66. a. 2. ad 1.

(3) Pufendorfius loc. cit. §. 2. & 5. & Heineccius de jur. nat. & gent. l. 1. c. 9. §. 231. distinguunt duplicem rerum communionem,

453 Ad secundum dicimus, per communitatem rerum quoad proprietatem, in statu naturæ corruptæ, haud foveri mutuam charitatem: nam lites, quas ea communio gigneret, charitatem certo non foverent, cum discordiæ, & contentiones inordinatæ sint contrariæ paci, ut demonstrat S. Thomas (1): pax autem est effectus charitatis, ut idem ostendit (2). Sat fovetur mutua charitas per communionem usuum rerum: & hac ratione dicuntur amici omnia habere communia.

454 Ad tertium respondet S. Thomas (3): „ Ad civitatem ... requiritur aliqua unitas, sed non omnimoda. Unde „intantum potest procedere unitas civitatis, quod jam non erit „civitas, puta si omnes sint unius artis. ... Unde sequitur, quod „sit pejor, quia unumquodque tanto deterius est, quanto magis „appropinquat ad suum non esse. Sicut si tollatur aliqua di„stinctio officiorum, quæ sunt necessaria ad bene esse civi„tatis ... sicut si aliquis faciat concentum univocum, id est „omnes cantantes in una voce, jam non erit symphonia, & „consonantia vocum; cui similatur civitas ex diversis consi„stens ... Et ita ... oportet, in civitate esse quidem diverso„rum multitudinem, sed quod civitas fiat una, & communis „propter quamdam disciplinam legum recte positarum“. Ab hac ergo disciplina legum, quæ omnes tendant ad bonum commune Reipublicæ, in quo ejus salus consistit, repetenda est Reipublicæ unitas, & non à communitate proprietatis bonorum.

455 Ad quartum respondemus, non omnia exempla Christi, & Apostolorum obligare ad necessariam imitationem. Ea quæ non solum ipsi fecerunt, sed ut alii facerent, præceperunt, utique omnes ligant; opera vero majoris perfectionis reliquerunt sub consilio. Nullibi autem Christus, vel Apostoli bonorum communitatem præceperunt. Exemplum primorum Christianorum habentium Jerosolymis omnia communia, ad rem non facit: nam is vivendi modus temporarius fuit, ut S. Thomas advertit (4)

---

negativam, & *positivam*; illamque esse dicunt juris naturalis, hanc juris positivi. Hisce terminis jampridem Scholastici fuerunt usi. Vide Sotum de just. & jur. l. 4. q. 3. a. 1. in resp. ad arg. Nihilque aliud significare voluit S. Thomas, quamvis ab illis terminis abstinuerit.

(1) 2. 2. q. 37. sq.
(2) Ib. q. 29. a. 3.
(3) 2. Polit. lect. 5.
(4) Lib. 3. cont. Gent. c. 135.

scribens: »Quod de pretio possessionum venditarum omnes com-»muniter vivant, sufficiens est, non tamen ad longum tempus; & »ideo Apostoli hunc modum vivendi fidelibus in Jerusalem insti-»tuebant; quia prævidebant per Spiritum Sanctum, quod non »diu in Jerusalem simul commorari deberent, tum propter »persequutiones, & injurias eis inferendas à Judæis, tum etiam »propter instantem destructionem civitatis, & gentis; unde »non fuit necessarium nisi ad modicum tempus fidelibus pro-»videre: & propter hoc transeuntes ad gentes, in quibus fir-»manda, & duratura erat Ecclesia, hunc modum vivendi non »leguntur instituisse «. Jerosolymis etiam, cum fideles omnia habebant communia, nullum circa hoc erat præceptum, ut constat ex verbis S. Petri ad Ananiam Act. 5. v. 4. *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate?* significans, illum potuisse agrum retinere, peccavisseque, non quod partem pretii agri venditi retinuerat, cum potuisset retinere totum, sed quod mentitus erat Spiritui Sancto, offerens partem pretii, quasi esset totum.

456 Ad quintum respondemus, auctoritatem S. Ambrosii confirmare, quod divisio rerum sit ex jure gentium, non ex jure naturæ. Nam quod ait, *usurpationem* fecisse jus privatum, intelligendum est non de injusta acceptione, sed de occupatione ex legum permissione; *usurpatio* enim sæpe occupationem, & apprehensionem significat (1).

457 Quod additur testimonium, non est S. Ambrosii, ut animadvertimus (2); imo neque est S. Basilii, sed potius Ruffini, qui Basilii Homiliam minus fideliter Latinam reddidit. Angelicus autem licet Sermonem illum tamquam Ambrosianum admittat, propterea quod ita citatus exstabat in Decreto, atque ita ab adversariis objiciebatur (3); non omisit tamen veram re-

---

(1) Dici etiam potest, S. Ambrosium loqui de usu rerum; *usurpatio* enim usum denotat, quasi usus acceptio. Meminit enim ibi Stoicorum, qui ajebant, *quæ in terris gignantur, omnia ad usus hominum creari.*

(2) Not. *Hæc verba.* §. 449.

(3) Scopus non erat Angelici Præceptoris Criticum agere in Summa Theologica; neque enim ad veritatem doctrinæ multum referebat decernere, an hujus potius, quam alterius Scriptoris essent testimonia prolata, dummodo de ejus antiquitate, & auctoritate constaret; hinc enim pendebat Traditio, quam S. Thomas quærebat. Vide quæ diximus Tom. 1. §. 960. not. *Quum fuerit.*

sponsionem ad mentem S. Ambrosii, cum ait (1), ipsum loqui *de proprietate quantum ad usum* (2).

458 Denique ad S. Basilii auctoritatem jam responderat idem Angelicus, »quod ille qui præveniens ad spectacula præpararet aliis viam, non illicite ageret, sed ex hoc illicite agit, »quod alios prohibet: & similiter dives non illicite agit, si »præoccupans possessionem rei, quæ à principio erat communis, aliis etiam communicet: peccat autem, si alios ab usu illius »rei indiscrete prohibeat. Unde Basilius ibidem dicit: *Cur »tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ præmiis coronetur* (3)«?

ARTICULUS III.

Utrum origo dominii repetenda sit ex rerum occupatione tantum, an vero ex hominum condicto.

459 De origine dominii acturi, principio statuimus veram dominii definitionem, dominii, inquam, *proprietatis* privatorum, de quo hic loquimur; non enim agimus modo de dominio *politico*, & *jurisdictionis*, quod est potestas in subditos ob bonum commune, & de quo agemus infra (4). Est ergo dominium *propria cujusque facultas, & jus in rem quam in sui ipsius commodum usurpare potest quocumque usu lege permisso* (5). Dicitur *propria facultas*, ut dominium discrimi-

(1) 2. 2. q. 66. a. 2. ad 3.

(2) Vide not. suject. §. 456.

(3) Hæc si legisset Genuensis, scisset profecto, quo sensu Cicero, quem ipse citat l. 1. de offic. c. 12. n. 7. exemplo *theatri* usus fuerit l. 3. de fin. in eumque sensum ipsum citaverat Grotius l. 1. de jur. bel. & pac. cap. 2. §. 2.

(4) Seneca l. 7. de benef. c. 4. *Ad Reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas.*

(5) Ignoravit veram dominii definitionem Pufendorfius, cum de jur. nat. & gent. l. 4. c. 4. §. 3. docuit, *proprietatem innuere exclusionem aliorum ab ista re, quæ propria dicitur, ideoque illam plures uno homines in mundo præsupponere.* Id notavit Hertius in not. ibid. scribens: »Hac hypothesi, non est opus, & si vera esset, quid fiet »de dominio Dei«? Quare concidit quod ille infert: »Si unus tan»tum homo in mundo exstitisset, nequaquam res poterant dici ipsius

netur à mera possessione (1), usu (2), & usufructu (3). Dicitur *in sui ipsius commodum*, ut dominium proprietatis peculiaris distinguatur à dominio politico, & jurisdictionis, quod est in utilitatem subditorum. Dicitur *quocumque usu*, ut excludatur dominium imperfectum sive *directum* (4), sive *utile*

---

propriæ «. Et paulo post: *Igitur jus Adami in res diversum fuit ab illo dominio, quale jam est inter homines constitutum; quod quis vocare possit dominium indefinitum non formaliter, sed concessive, non actu, sed potentia.* Nonne hæc verba *formaliter, concessive, actu, potentia* latinissima sunt, & non potius deprompta ex officinis Scholasticorum, quos Pufendorfius irridet? Pergit: » Adamo, quamdiu » is solus exstitit, neque propriæ, neque communes res fuerunt. Nam » communitas involvit socium possessionis: proprietas autem connotat » exclusionem juris alterius ad eamdem rem «. Itaque Pufendorfius confundit dominium proprietatis absolute sumptum, cum dominio proprietatis post rerum divisionem. Facta quidem divisione, excluditur jus alterius ad eamdem rem. At dominium proprietatis absolute nihil aliud dicit, quam facultatem propriam, quam quis habet in rem, qua uti potest in suum commodum in omnes usus lege non vetitos. Hanc autem facultatem Adamus habuit, cum solus erat; habuit enim propriam facultatem usurpandi in suum commodum res, quæ mundo continebantur, licet non cum exclusione aliorum hominum, qui ab ipso progignendi erant. Sane Deus supremum habet dominium, perfectissimumque in omnes creaturas, nec tamen excludit alios ab earum dominio. Non est ergo cur Adamo verum denegemus dominium, adversus Scripturam de ipso ajentem Gen. 1. v. 26. *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ.* Et rursus v. 28. de utroque primo parente: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli.*

(1) Mera possessio non inducit dominium: nam fur facto possidere potest rem ablatam, quin tamen fiat ejus dominus.

(2) Usus alius est *facti*, alius est *juris*. Atque prior quidem nihil juris confert etiam ad ipsum usum, ut est usus rerum, quæ conceduntur Religiosis professis. Posterior confert quidem jus ad usum, sed non ad rei substantiam, ut v. g. jus intrandi hortum, & utendi fructibus ejus pro se, & familia sua. Quare non potest illos vendere usuarius.

(3) Ususfructus jus non confert in rei substantiam, sed tantum ad utendum, & fruendum re aliena. Et ideo usufructuarius potest non ipsam rem, sed ejus fructus distrahere.

(4) *Directus* dominus dicitur, qui habet proprietatem rei sine jure percipiendi fructus.

(1); tradita enim definitio est dominii perfecti. Dicitur *lege permisso*; si namque lex prohibeat, nullum acquiri dominium potest.

460 Modos acquirendi dominium Grotius distribuit (2) in *originarios*, & *derivativos*. Originarios vero in duos distinguunt, *occupationem*, & *accessionem*. Nos autem cum veteribus Jurisconsultis modos acquirendi dominium post factam inter homines rerum divisionem, aptius distinguendos censemus ex ipsis rebus, quarum dominium acquiritur. Nam si res nullum habent dominum, ut sunt bona derelicta, aut vacantia (3), ejusmodi rerum dominium occupatione acquiritur; in qua quidem occupatione etiam tacitum condictum intervenit ex jure gentium, quo constitutum est, ut bona derelicta, & vacantia sint primi occupantis (4). Si autem res suum habent dominum, earum dominium transfertur mutuo consensu, ut in contractibus emptionis, venditionis, &c. licet ex jure positivo ordinarie requiratur titulus, & traditio; itemque transfertur tale dominium per *accessionem*, *specificationem*, *confusionem*, *inædificationem*, *implantationem*, *pictionem*, *nativitatem*, *commixtionem*, *usucapionem*, *præscriptionem*. De hisce autem modis divisim agere, longum nimis foret, & ab instituti nostri ratione alienum. Sat alibi diximus (5), consulique possunt Morales Tractatores, & Jurisconsultorum libri.

461 Nunc autem non de quolibet originario dominio proprietatis, sed de prima ejus origine sermo est, per quam ita unus alicujus rei evasit dominus, ut cæteros excluderet à proprietate ejusdem rei. Qua in re Grotius existimavit (6), in prima rerum divisione interfuisse pactum inter homines *expressum*, vel *tacitum*, quo dominium proprietatis fuit acquisitum; con-

---

(1) Dominium *utile* dat jus percipiendi fructus absque rei proprietate, ut est dominium Usufructuarii, Feudatarii, Emphyteutæ, &c.

(2) De jur. bel. & pac. l. 2. c. 3. sqq.

(3) Quid de acquirendo dominio ferarum, avium, piscium, sylvarum, montium, pascuorum, thesaurorum sit legibus constitutum, require apud Auctores. Nos pleraque collegimus in Epit. Nat. Alex. l. 3. tract. 2. sect. 2. cap. 2. §. 5.

(4) Id est intelligendum de singularibus personis. Nam si incolæ unius societatis terras aliquas incultas reliquerint, easque à suo abdicarint dominio, non propterea licet alteri societati terras illas occupare, nisi accedente consensu Principis, ad quem societas illa pertinet.

(5) Ibid. §. 4. (6) Loc. cit. c. 2. §. 2.

sentitque Pufendorfius (1). Hertius autem (2), & uterque Coccejus (3) id sola *occupatione* factum esse contendunt. Lockius vero (4), ejusque adstipulator Genuensis (5) addunt, nihil homines potuisse facere suum, nisi labore, & industria, nihilque eis acquirere licuisse, nisi quod necessarium erat ad vitam commode sustentandam, suumque tenendum ordinem.

462 Videtur autem prima origo dominii repetenda ab occupatione, 1. quia res quæ nullius sunt, possumus per occupationem absque ullo pacto nostras facere. In mundi autem initio res nullius erant, cum nondum esset facta rerum divisio. Satis ergo fuit sola occupatio (6).

463 II. Videtur etiam homo non plus potuisse, nec posse apprehendere, quam eam terræ portionem, quam labore, & industria sua excolere valet, vel eos naturales fructus, quos potest colligere; ita enim id quod est commune, fit ei proprium. Sicut ergo qui fructus in fundo communi colligit, eos facit suos, si tot colligat, quot sunt ei necessarii, suos non facturus, si plures colligeret; ita qui eam terræ portionem excolit, quæ ad ejus, & familiæ commodam sustentationem exigitur, ejus acquirit proprietatem, minime acquisiturus, si plus acciperet, quam colere labore, & industria sua posset (7). Itaque qui bona acquirit plusquam exigunt necessitates personæ, familiæ, adversæ casuum fortunæ, & ordinis ei attributi, fur est, & raptor (8).

---

(1) De jur. nat. & gent. l. 4. c. 4. §. 4.
(2) Not. in cit. §. Pufend.
(3) Comm. in cit. §. 2. Grotii.
(4) De civ. gubern. c. 4. (5) De offic. l. 1. c. 12.
(6) Ita Hertius loc. cit.
(7) Lockius loc. cit.
(8) Genuensis loc. cit. §. 10. veluti alter XII. Tabularum Legislator: » Tantum, *inquit*, bonorum mobilium, immobiliumque acquirere jus facit natura, ut æquentur necessitatibus personæ + familiæ + adversæ casuum fortunæ + ordinis quem civitas attribuit. Si hanc normam prætergressus fueris, fur ac raptor habetor «. Quærere quis posset, an Genuensis tantum habuerit bonorum mobilium (nescimus, an immobilia possederit), quantum æquabatur ejus necessitatibus personæ, & adversæ casuum fortunæ: nam ordinem civilem nullum tenuit, nec familiam habuit, nisi forte unum, vel alterum famulum. Ex cathedra Regia proventus satis amplos percipiebat, & ampliores forte ex turba discipulorum, quos domi docebat, quibus-

464 III. Etsi natura res universas in communi dederit, homo tamen est dominus sui, suarumque actionum, & laborum. Habet igitur in seipso fundamentum proprietatis, ut omne id in quod suas impendit curas, & industriam, ut suæ sustentationi, & commoditati consulat, ad ejus proprietatem pertineat. Ita ergo dominium acquiritur.

465 IV. Nisi ita foret, possent bona immobilia in paucas familias immigrare, cum magno Reipublicæ damno.

Prop. I. *Prima origo dominii proprietatis excludentis alterum ab ejusdem rei possessione, repetenda est ex condicto hominum, non ex sola rerum occupatione.* II. *Potuerunt autem homines, & adhuc possunt aliquid aliud absque injustitia possidere præter id quod labore, & industria sua possunt acquirere ad commodam vitæ, ac status sustentationem*; III. *modo non sit facultatum excessus, & earum usus sit communis.*

466 Prob. 1. p. ex S. Thoma (1). Dominium proprietatis excludens alterum à possessione ejusdem rei, pendet à rerum divisione; nullum enim tale dominium potest esse in perfecta rerum communitate. Rerum autem divisio non est facta jure naturali, sed jure gentium, ut dictum est (2). Prima ergo origo ejusmodi dominii pendet à jure gentium. Atqui jus gentium est jus humanum, seu positum ex condicto, sive consensu hominum, qui in ipsum convenere, ut supra ostendimus (3). Prima ergo talis dominii origo repetenda est ex condicto.

467 In ipsamet occupatione (4) debuit adesse aliquod hominum condictum; non enim cuiquam licuisset quidpiam oc-

---

que Institutiones distribuebat suas typis editas. Diceret fortasse quis illum fuisse furem, & raptorem, si ejus standum esset principio. Nullam esse talem necessitatem, quam Genuensis fingit, demonstravimus paulo post.

(1) Vide ejus verba supra §. 452.

(2) §. 437. (3) §. 428.

(4) Genuensis loc. cit. in not. ad §. 15. agens de occupatione, scribere non dubitavit: » Solis ego Quakeris hanc tribuerim gloriam, Pen» sylvaniam emisse, non rapuisse, nec in servitutem barbaros jure » naturæ liberos, præpotenter adduxisse, sed duxisse pacta mercede. » Reliquos facta tuentur, non jus. Ita mortales & iniqua oderunt » omnes, & nesciunt esse justi «. Audistin' Regium Professorem ita de

cupare cum exclusione alterius cujuscumque ab eadem re (nisi forte res illa necessaria fuisset quoad usum ad vitæ conservationem), vigente perfecta rerum communitate. Qua enim ratione vigere potuisset perfecta rerum communitas, si res ita esset facta unius, ut nemo alius in proprietatem ejusdem rei posset convenire? Prima igitur occupatio ideo jus dedit excludendi quemlibet alium à possessione ejusdem rei, quia nimirum placuit bonorum divisio. Hæc autem supponit hominum consensionem; non enim est ab ipsa natura. Igitur & ipsa occupatio pendet ex hominum condicto quoad vim conferendi dominium cum exclusione alterius.

468 Et sane cum Scriptura dicat Gen. 4. v. 2. *Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola*; & v. 3. sqq. obtulisse Cain *de fructibus terræ munera Domino*, & Abel *de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*; respexisseque Dominum *ad Abel, & ad munera ejus*; *ad Cain vero, & ad munera illius non* respexisse; indigitatam habemus primam factam inter homines divisionem, rerumque occupationem, ex quibus exstitit inter illos Adami filios dominium proprietatis cum exclusione alterius; non enim diceretur grex ille *suus*, id est Abelis, nisi in dominium Abelis transisset cum exclusione Caini à dominio ejusdem gregis. Quis autem dixerit, eam divisionem, & occupationem fuisse factam inscio Adamo, insciisque fratribus Caino, & Abele? Quemadmodum vero prima illa divisio, & occupatio ex communi illorum consensione, & condicto factæ fuerunt; ita deinceps, constituta rerum divisione, ex eadem manavit jus occupandi quod in nullius certi hominis bonis erat, hoc est, ex communi hominum consensione, ut certa essent dominia, & quisque diligentius res procuraret, jurgiaque, ac rixæ removerentur.

Regibus universis scribentem? *Soli* igitur *Quakeri* sunt qui non *rapuerunt*? Reliqui Reges Hispaniarum, Galliarum, Angliæ, imo quotquot fuere, & nunc etiam sunt, Reges, Principes, & Respublicæ, quæ aliquod occuparunt dominium, nemine excepto præter *solos Quakeros*, raptores fuerunt, & fures sunt, adduxeruntque *in servitutem* homines, jure naturæ liberos; nec *jura* eos tuentur, sed mera *facta*; id est, nullum habent imperandi *jus*, etsi *facto* imperent; ideoque invasores sunt, & tyranni usurpationis; qui enim absque ullo *imperat jure*, tyrannus est usurpationis. Veniat nunc ejus operis Approbator, & publicum ferat testimonium, in eodem opere *Sacra Majestatis jura fortiter asseri*; postquam Genuensis rotundis verbis scripsit: *Reliquos facta tuentur, non jus.*

469 Accedit, quod jus acquirendi dominium cum exclusione cujuslibet alterius ab eadem re possidenda, oriri non potuit neque ex ipsa rerum natura, quæ non magis sunt unius, quam alterius; neque ex Dei voluntate, & præscripto; Deus enim in medio res reliquit, ut homines de eis disponerent, quod ad earum divisionem pertinebat. Itaque occupatio jus excludendi alterum conferre non potuit nisi ex hominum voluntate, qui in rerum divisione consensere (1). Jure igitur, ac merito S. Thomas (2) ait: *Secundum jus naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum condictum.* Id quod postea Grotius tenuit (3).

470 Alteram prop. partem hac ratione confirmamus ex S. Thoma (4). Si nemo posset quidpiam aliud possidere præter id, quod valet acquirere labore, & industria sua ad commodam vitæ, & status sustentationem, nihil relinqueretur superfluum personæ, & statui, quod aliis posset, ac deberet tribui: nam quod est necessarium ad commodam vitæ sustentationem, non est superfluum personæ; sicut quod est necessarium ad commodam sustentationem status, non est superfluum statui. Nemo ergo teneretur quidquam aliis tribuere, nisi tantum de

---

(1) Nihil concludit Hertius loc. cit. cum docet, non requiri aliorum consensum, *quia ex voluntate* (Dei) *donantis occupatio vim excludendi nanciscitur.* Cum enim Deus naturæ auctor *omnia omnibus in commune profuderit*, ut loquitur S. Ambrosius ab ipso citatus, non est ex Dei voluntate, quod occupatio vim excludendi nanciscatur, sed est ex jure humano gentium, quod, ut S. Thomas advertit 2. 2. q. 66. a. 2. ad 1. *juri naturali superadditur per adinventionem rationis humanæ.*

(2) Loc. cit.

(3) Etsi Grotio hac in re consentiamus; multa tamen sunt, quæ cit. cap. ipse habet censura digna: 1. quia, nullo producto teste, quosdam ait Americæ populos in perfecta rerum communitate per multa sæcula vixisse ob eximiam simplicitatem. 2. quod arborem vitæ accipiat pro symbolo cultus Dei; & arborem scientiæ boni, & mali pro symbolo artium variarum, quibus bene vel male uti licet. 3. quod gigantes accipiat pro hominibus violentis, à quibus fuerit mundus per diluvium purgatus, eoque purgato, pro ferina vita successerit cupido voluptatis, cui inserviit vinum. Quæ duo postrema cum sacris Litteris pugnant, earumque destruunt veritatem. Hæc monenda duximus, ne incauti versantes opus Grotii, quod alia multa dissona continet, decipiantur.

(4) 2. 2. q. 32. a. 5.

superfluis personæ, in casu extremæ, aut gravis necessitatis; in necessitatibus vero communibus nemo posset aliis tribuere, cum nihil haberet superfluum statui (1). En sublatum præceptum caritatis, quo tenemur dare eleemosynam ex superfluis statui pauperibus communem necessitatem patientibus; de quo præcepto Christus loquens dixit Luc. 11. v. 41. *Quod superest, date eleemosynam.* Nam Christus non loquebatur tantum de casu extremæ, aut gravis necessitatis, quæ non ita frequentes sunt. Supponebat ergo, homines posse licite possidere aliquid superfluum personæ, & statui, unde possent eleemosynam elargiri. Hoc caritatis præceptum evacuant Lockius, & Genuensis, atque is præsertim, qui loco furum, & raptorum habet eos, qui plus possident bonorum, quam requirant necessitates personæ, familiæ, adversæ casuum fortunæ, & ordinis.

471 Destruunt quoque virtutem liberalitatis, aut saltem ejus actum; materia enim liberalitatis *sunt bona possessa*, ut S. Thomas advertit (2), *quæ nomine pecuniæ significantur.* Ea siquidem homo liberalis *quodammodo à sua custodia, & dominio liberat, & animum suum ab eorum affectu liberum esse ostendit* (3). Quænam vero ejusmodi bona possent homines à sua custodia, & dominio liberare, si nihil amplius possiderent præter id, quod requiritur ad commodam vitæ, & status sustentationem? Deberentne statum mutare, ut liberales fierent?

472 Præterea magnificentiam tollunt, quæ etiam virtus est, ut S. Thomas ostendit (4): nam materia magnificentiæ, ut idem S. Doctor demonstrat (5), sunt magni sumptus. Etenim *ad*

---

(1) Neque quis dicat, nullum futurum pauperem, si quisque possideret quod est necessarium suæ personæ, ac statui. Hæc enim facilius finguntur, quam ut contingant, sperandum est. In ea etiam hypothesi multi possent indigere, si videlicet, aliquo inopinato casu, v. g. incendio, alluvione, terremotu omnia possessa amitterent. Quis autem eis opem ferret, si nemo haberet quidpiam superfluum personæ, & statui?

(2) 2. 2. q. 117. a. 2.

(3) Observat S. Thom. loc. cit. art. 6. liberalitatem quodammodo ordinari ad omnia bona, ad quæ ordinantur cæteræ virtutes. *Ex hoc enim*, inquit, *quod homo non est amativus pecuniæ, sequitur, quod de facili utatur ea & ad seipsum, & ad utilitatem aliorum, & ad honorem Dei: & secundum hoc habet quamdam excellentiam ex hoc, quod utilis est ad multa.* Ad nihil autem utilis esset in Lockiana, & Genovesiana hypothesi.

(4) 2. 2. q. 134. a. 1. (5) Ibid. a. 3.

magnificentiam pertinet intendere ad aliquod magnum opus faciendum. Ad hoc autem, quod aliquod magnum opus convenienter fiat, requiruntur proportionati sumptus. Non enim possunt magna opera fieri, nisi cum magnis expensis. Unde vero conquirentur opes ad hasce magnas res faciendas, si nemo plus habeat, quam requiritur ad commodam personæ, & status sustentationem?

473 Quod ad tertiam prop. partem pertinet, fatemur, vitiosum esse appetitum possessionum, & divitiarum sine ullo termino (1). Ut enim ait Apostolus 1. ad Tim. 6. v. 9. *Qui*

(1) Postquam Genuensis loc. cit. tamquam fures, & raptores habendos esse pronunciavit eos omnes, qui bonorum quidpiam acquisivissent ultra normam ab ipso constitutam; in nota ibid. » Cæterum, » *inquit*, illud verum, *ubi manu agitur, modestia ac probitas no-* » *mina superioris sunt* « (Hæc majusculis characteribus, ut attentius legerentur, descripsit) » Tacitus de Morib. Germ. 36. *Boni igitur* » *æquique inertes, & stulti vocantur.* Quæ & fuit olim inter prævalidos, imbecillosque philosophia, estque hodie, futura perpetuo. Adeo » ingenio ferox & rapax est homo «! Hæc verba directe feriunt Reges, Optimates, Milites, Consiliarios, Jurisconsultos, Philosophos, Medicos, omnesque alios, qui *manibus non agunt.* Hos omnes tamquam *feroces*, & *rapaces* Genuensis habet. Nullum inter eos qui manu agunt, *superiorem* agnoscit præter modestiam, & probitatem. Et cum ex ejus, ac Lockii præscripto, omnes qui ex jure naturæ vivunt, vivere debeant ex propriis manuum laboribus, consequitur, homines universos, si velint ex jure naturæ vivere, nullum præter modestiam, & probitatem debere *superiorem* agnoscere. Qui sane purus putusque est Quakerismus perfectam inter omnes æqualitatem statuens, nullamque prælationem admittens. En ratio cur Genuensis tantopere Quakeros extollat, ut eis solis gloriæ tribuat non rapuisse. Fuisset saltem sincerus in describenda Taciti sententia, cujus cæteroquin auctoritatem minimi facimus. Loquitur Tacitus loc. cit. de Cheruscis, veterum Germanorum populo, qui finitimi erant Chaucis, & Cattis. De Chaucis autem scribit: » Populus inter Germanos nobi- » lissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri, sine cupi- » ditate, sine impotentia, quieti secretique... Prompta tamen omni- » bus arma, ac si res poscat exercitus. Plurimum virorum, equorum- » que, & quiescentibus eadem fama «. Habemus ex Tacito *populum nobilissimum*, qui *magnitudinem* tuebatur suam. Dicemusne, in hoc *nobilissimo* populo, qui prompta omnibus arma habebat, plurimumque virorum, & equorum, singulos manu laborasse, nullumque præter modestiam, & probitatem agnovisse *superiorem*? Tum de Cheruscis Tacitus loquens: » Cherusci, *ait*, nimiam, ac marcentem diu pacem

volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Tenenda est igitur norma ejusdem Apostoli ib. v. 17. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere* (id est, ut explicat S. Thomas ibid. lect. 4. *non sentire aliquid excelsum de se . . . quia divites hujus mundi inaniter extolluntur*), *neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo* (*qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*), *bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Qui ita se gerit, etsi divitiis affluat, ut affluebant Abraham, Isaac, Jacob, Job, & plures Sancti novæ Legis, securus est.

474 Ad primum respondemus ex dictis neg. maj. nam occupatio idcirco dat jus excludendi alium quemcumque à possessione ejusdem rei, quia facta est rerum divisio, quæ quidem non nisi ex hominum consensu facta fuit. In mundi etiam initio occupatio non contulisset jus excludendi, nisi hominibus placuisset rerum divisio.

475 Ad secundum negamus, id quod est commune, ideo tantum fieri proprium, quia colligendo, vel excolendo apprehenditur. Nam si quis in fundo communi plures colligat fructus, quam ad sui, & familiæ sustentationem requiruntur, nimirum ad vendendum, vel donandum aliis; nemini injuriam facit,

---

» illacessiti nutrierunt; idque jucundius, quam tutius fuit, quia inter » impotentes, & validos falso quiescas: *ubi manu agitur, modestia, & probitas nomina superioris sunt.* Ita qui olim *boni æquique* Cherusci, *nunc inertes, & stulti vocantur* «. Quis non videt, *ubi manu agitur* intelligi à Tacito de belligerandi virtute, qua ob nimiam, & marcentem diu pacem destituti erant Cherusci, ideoque Cattis difficile non fuit eos superare, atque in eum statum deducere, ut inertes, & stulti vocarentur? Ita indicat totus contextus. Nam si de manuum labore tantum loquutus fuisset; si nullum alium inter eos superiorem agnovisset præter modestiam, & probitatem; cur Annal. l. 2. de iisdem Cheruscis ait: *Visis Cheruscorum catervis, quæ per ferociam præruperant*, &c. Et paulo post: *medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur, inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam*? Et l. 11. » Cheruscorum gens Regem Ro» mæ petiit, amissis per interna bella nobilibus, & uno reliquo stir» pis Regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine Italus «. Hæc produnt malam Genuensis fidem, ut ex dictis Taciti videretur confirmare Quakerorum errorem.

nisi forte id facere lege positiva prohibeatur. Et similiter, si quis in fundo vacante plus accipiat, quam ipse excolere suis valeat laboribus, quod tamen excolere per alios possit; non est cur ejus fundi exclusiva proprietate privari debeat. Quod igitur Lockius, & Genuensis præscribunt, ex eorum (ut ipsius Genuensis phrasi utar) jecinore est. Quin etsi aliquis tantum terræ vacantis occupasset, ut neque suis, neque aliorum industria posset eam excolere; non propterea statim ejus proprietate privaretur, nec posset privatus quisque illam sibi vindicare; licet ad publicam Potestatem pertineret vel possidentem cogere, si necessitas postularet, ad terram excolendam, vel excolendam aliis tradere, conservato domino in dominio saltem directo. Itaque fur, & raptor est quisquis privatus, qui bona sive immobilia, sive mobilia jam translata in alterius proprietatem (quæcumque sit eorum quantitas), per fraudem, aut vim eripit. Tantum abest, ut ille in cujus sunt proprietate, fur, aut raptor haberi possit (1).

476 Ad tertium respondemus, sophisma Lockii, si quid valeret, probaturum, eos omnes, qui labores, & industrias conferunt suas in terris excolendis, proprietatem earum acquirere debere, quamquam sint mercede conducti, vel eas locatas habeant; hi namque sunt domini actionum suarum, & laborum, eosque impendunt, ut suæ consulant sustentationi, & commodo. Quod quam sit à veritate alienum, demonstrare non est opus. Fundamentum acquirendi dominium rerum quæ nullum habent dominum, de quibus nunc loquimur, est occupatio permissa jure gentium, nisi lex civilis obstet.

477 Ad quartum dicimus, falsum & inanem esse Genuensis timorem, ne bona immobilia in paucas familias commigrent. Quod enim ab initio mundi ad nostra tempora vel numquam evenit, vel si quandoque evenit, durare nequivit diu, ob tam multas magnasque sæculorum vicissitudines; non nisi cæcum in-

(1) Fures, & raptores domini non sunt rerum quas eripuerunt; non enim jure eas possident, etsi possideant facto. Quærimus, quinam esset verus dominus earum rerum, quas quis haberet præter necessitates personæ, familiæ, casuum fortunæ, & ordinis? Genuensis abs dubio responderet, esse homines cæteros qui in egestate vivunt. Si ita esset, possent hi absque ullo furti crimine accipere ex rebus illis quantum opus haberent: nam furti reus non est, qui accipit rem cujus est dominus, licet à fure possideatur facto. Si hæc Genuensis doctrina ad praxim deducatur, quisque videt mala inde manantia, & quam lata ad occulta furta aperiatur via.

jicere metum potest (1). Quod si etiam accideret, videndum

(1) Genuensis l. 1. de offic. c. 12. §. 11. quærit » quid in civi-» tate agendum Legislatori, si bona immobilia paucas in familias im-» migraverint, ut reliquæ omnes magna rerum penuria premantur «. Respondet autem 1. *Lycurgus novam partitionem aggressus est, quod & periculosum est, nec diuturnum.* Hæc nova partitio non solum periculi plena est, nec esse diuturna potest, sed plane impossibilis, & noxia magnis præsertim Civitatibus, & Regnis. Impossibilis quidem; Lycurgus enim, ut refert Plutarchus in ejus vita, omnia Lacedæmoniorum municipia ad sortes 39. mille distribuit; & nihilominus ipsemet Plutarchus scribit, ex septingentis post multa bella reliquis civibus vix centum agrum, & sortem habuisse. Conatus fuit Agis eorum Rex Lycurgi legem revocare; tamen ab Ephoris necatus fuit, ut idem Plutarchus refert. Adeatur Cragius de Repub. Lacedæm. l. 3. Tab. 2. de leg. agr. & urb. inst. 1. Si obtinere non potuit hæc partitionis æqualitas in municipibus non valde multis, quid sperandum de amplissimis provinciis, ac regnis? Ostendit Aristoteles l. 2. Polit. politiam Lacedæmoniorum circa possessiones noxiam fuisse civitati; quem locum S. Thomas commentans ibid. lect. 13. » Accidebat, *inquit*, apud » ipsos (*Lacedæmones*) quod aliqui habebant valde magnas posses-» siones; alii vero habebant valde modicas, ita quod quasi tota re-» gio ad dominium paucorum pervenerat « (En consequutio legis Lycurgi de possessionum æqualitate, cupiditatibus hominum semper in majus crescentibus. Vide Plutarchum in Agide). » Hoc processit ex » prava ordinatione legis. Statuit enim Legislator apud eos, quod ci-» vis non esset dominus vendendi, & emendi, ut scilicet posset » possessionem suam vendere, aut emere alienam quacumque ex causa « (*Vide Heraclidem de Politiis*). » Et hoc quidem bonum fecit ad regu-» landas possessiones « (Vide jam tum constitutam legem Fideicommissorum, quam tamen Genuensis non probat), » non tamen recte, » quia non sufficienter. Dedit enim potestatem civibus, ut quibus-» cumque vellent, darent inter vivos, vel etiam relinquerent in testa-» mento bona sua « (Id juris Lacedæmonibus fecisse Epitadeum Ephorum contendit Plutarchus): » ex quo etiam accidebat irregularitas » possessionum, sicut ex emptione, & venditione, ita quod si totum » eorum territorium divideretur in quinque partes, duæ illarum par-» tium jam pervenerant ad mulieres « (Et hæc altera fuit consequutio legis æqualitatis possessionum). » Tum quia multæ earum erant » institutæ hæredes à viris morientibus; tum etiam quia quando nu-» bebant, accipiebant magnas dotes «. Pergit S. Thomas cum Aristotele, ostenditque alteram irregularitatem in institutis Lacedæmoniorum. » Intendens, *inquit*, Legislator ad hoc, quod essent plures ci-» ves in civitate, provocavit eos ad hoc, quod generarent multos fi-» lios, quibusdam immunitatibus; erat enim statutum lege apud eos,

tunc foret, num eæ familiæ, in quas bona immobilia immigra-

» quod ille qui genuisset tres filios, esset sine custodia, quia scilicet » non tenebatur ire ad custodiam civitatis: qui autem genuerat qua- » tuor filios, erat immunis ab omnibus vectigalibus, & tributis: & » tamen manifestum est, quod si observetur prædicta regularitas in » divisione possessionum, necesse erit, si generentur plures filii, quod » sint multi pauperes in civitate «. Vide, quot irregularitates erant in legibus Lacedæmoniorum, quas tamen nonnulli recentium Philosophorum veluti Rerumpublicarum normam proponunt. Itaque Lycurgi legislatio opportuna minime fuit constituendæ debitæ inter cives partitioni bonorum. Frustra igitur Lycurgi legem memorat Genuensis.

Respondet 2. *Solon... quo pauperes, obæratosque sublevaret, & veteres creditorum tabulas aboluit, & novas scribi jussit leviores multo... quæ remedia momentanea sunt, nec ultra annum valitura.* Solon, ut testatur Hesychius, legem tulit, *qua publice privatimve contractum æs remittebatur*, utque animadvertit Stanlejus in Solone c. 4. ea lex σεισάχθεια fuit appellata *ab excussa usurarum iniquitate.* Non videtur ergo Solon quascumque tabulas creditorum abolevisse, sed tantum tabulas usurarias. *Plurimi enim*, inquit Laertius l. 1. *per summam inopiam fœneratoribus corpora sua exponebant, ac super his fœnerabantur.* Si ita res habuit, nihil est commune inter Solonis legem, & id quod fieri oporteret, si bona immobilia in paucas immigrassent familias. Si quis mala scire cupiat, quæ ex ea lege sequuta fuere etiam in ipsum Solonem, legat Plutarchum in Solone, & Stanlejum loc. cit. S. Thomas post Aristotelem 2. Polit. lect. 17. » Aliqui, *ait*, reputant, Solonem fuisse bonum legislatorem, quia » dissolvit paucorum statum, qui erat valde intemperatus, & im- » moderatus apud Athenas, & liberavit populum, qui servitu- » te opprimebatur ex immoderato regimine divitum, & insti- » tuit popularem statum in patria sua... Erat enim in Areopa- » go, id est, in vico Martis, qui erat locus solemnis apud Athenas, » institutum concilium civitatis, quod erat paucorum, quia consi- » liarii civitatis erant ex divitibus, & potentibus... Prætorium au- » tem, id est, potestatem judiciariam instituit ex popularibus... Ac- » cusabant quidam ipsum... quia cum invaluit istud officium in ci- » vitate, prætores illi instituti ex populo, transtulerunt totum regi- » men civitatis in populum, qui tyrannide opprimebat majores... » Primo enim Ephialtes, & Pericles, qui fuerunt prætores popula- » res, destruxerunt consilium, quod ab antiquo erat in Areopago, &c. » En quo tandem devenit lex Solonis, ad tyrannicam scilicet potestatem populi, qua Optimates opprimebantur.

Respondet 3. *Tiberius Romæ & luxum gliscere passus est: & exemplum Politicis nostris suppeditavit, quo uterentur.* Citat Tacitum Annal. 3. Verum Tacitus in eo lib. recitat Tiberii litteras ad Se-

rent, eorumdem bonorum fructus in utilitatem aliorum civium impenderent, an vero ad alienas transmitterent manus, vel eis uterentur ad fœnerandum, opprimendosve pauperes, aut Rempublicam obruendam malis. Et quidem, si fructus in utilitatem civium impenderentur, non apparet, quodnam magnum posset esse sive ipsorum Civium, sive Reipublicæ damnum: nam pauperes eorumdem bonorum participes fierent, & Respublica magnas apud illos divites collectas haberet divitias, quibus uti pos-

---

natum, in quibus immoderatum Romanorum luxum Tiberius reprobat. Tacitus vero addit: Auditis Cæsaris litteris, remissa ædilibus talis cura, luxusque mensæ à fine Actiaci belli ad ea arma, quibus Ser. » Galba rem R. adeptus est, per annos centum profusis sumptibus » exerciti, paulatim exolevere «. Hujus autem mutationis causas deinde describit. Non ergo Tiberius luxum Romæ gliscere passus fuit, neque Politicis nostris, quo uterentur, suppeditavit exemplum. Miror autem, exprobrare id Genuensem tam libere potuisse *Politicis nostris*, iis videlicet qui rerumpublicarum curam gerunt. Nam licet in magnis civitatibus luxus quandoque dissimuletur; fieri id potest, ne majora contingant mala, vel ne majus bonum impediatur. Ad publicos enim Provisores pertinet aliqua mala dissimulare, ne majora impediantur bona, vel ne majora contingant mala. Nihil certe obest pauperibus divitum luxus: nam profusis divitiis, eæ in populi transeunt manus.

Respondet 4. *Moyses in Hebraica rep. præmetuens, ne bona immobilia paulatim omnia Sacerdotes occuparent prætextu religionis, omni tellure Levitas interdixit, concessit decimas fructuum.* Itane vero Moyses hæc statuit? Qui ita censet, non Deum, sed Moysem auctorem facit legis Judæorum. Unde vero Genuensis rescivit, id Moysem *præmetuisse*, qui nihil faciebat aliud, quam præcepta à Deo accepta populo tradere? Quid vero illud, *omni tellure interdixit*? Anne ab omni tellure exulare Levitas Moyses jussit? Quod si Levitæ à Moyse prohibiti fuere, ne aliquam possiderent terræ portionem, quod significare Genuensis voluerat; cur Num. c. 35. v. 2. sqq. dicitur: » Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad » habitandum, & suburbana earum per circuitum. . . De ipsis autem » oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata. . . & exceptis his, alia quadraginta duo oppida, id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis, &c. « Si Levitæ, præter alia multa, possidebant quadraginta octo civitates cum suburbanis, nonne Genuensis ajens, eos fuisse *omni tellure interdictos*, pugnat cum verbo Dei? Sed neque Levitæ singuli bona immobilia propria possidere prohibebantur. De Barnaba Levite dicitur Act. 4. v. 37. *Cum haberet agrum, vendidit eum.* Verum quid adversus Genuensem disputamus, qui de iis scribebat, quæ numquam didicerat?

set, si publica necessitas postularet. Sin vero ad alienas transirent manus, ob immoderatiores sumptus in corporis cultum, gulam, aliasque intemperantes animi oblectationes; ad supremam Potestatem pertineret adhibere modum, ad quam pertineret etiam divitibus frenum injicere, si divitiis abuterentur ad opprimendos pauperes, divexandamque Rempublicam.

ARTICULUS IV.

Utrum bellare umquam liceat.

478 Bellum definit Grotius (1): *status per vim certantium, qua tales sunt*; consentitque Pufendorfius (2). Sed cum status in quadam immobilitate consistat, ut dictum est (3); vis autem, & concertatio immobilitatem minime præ se ferant: videtur potius bellum generatim definiendum: *mutua concertantium pugna.*

479 Est autem bellum aliud *privatum*, inter privatos scilicet homines; aliud *publicum*, à publica Potestate indictum; aliud *defensivum*, quo vis illata repellitur; aliud *offensivum*, quo vis infertur (4).

480 Quodcumque bellum esse illicitum, senserunt olim Manichæi (5). Anabaptistæ vero, & Œcolampadius bellum Christianis interdictum esse dixere (6). In eamque sententiam Tertullianum (7), & Lactantium (8) ivisse Barbeyracius contendit (9). Lutherus autem (10) aperte docuit: *Præliari adversus*

(1) De jur. bel. & pac. l. 1. c. 1. §. 2.
(2) De jur. nat. & gen. l. 1. c. 1. §. 8.
(3) §. 332.
(4) Revera tamen & ipsum bellum *offensivum*, si justum est, habet rationem belli *defensivi*: nam infertur ad defendenda propria jura, quæ hostis vult invadere. Cicero l. 2. de offi. » Cum » duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alte» rum per vim: cumque illud proprium sit hominis, alterum bel» luarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet supe» riore «.
(5) Vide S. August. l. 22. cont. Faustum c. 74.
(6) Adeat. Alphon. de Castro adv. hær.
(7) L. de Idolol. c. 19.
(8) L. 6. Inst. c. 20.
(9) Traité de la Mor. des Peres c. 6.
(10) Art. 34. ex damnatis in Bulla Leonis X.

Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

481 Videtur autem non licere quodcumque bellum, præsertim Christianis, 1. quidem quia Isa. 2. v. 4. de tempore novæ Legis loquens Propheta, ait: *conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Quid clarius ad ostendendum, Christianis in novo Fœdere abstinendum esse à quovis bello?

482 II. Præterea, Matt. 5. v. 38. sqq. Christus Dominus ait: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Ibid. v. 43. sq. sequitur: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Jam vero qui nulli vult nos resistere malo; qui utramque maxillam præbendam percutienti præcipit; qui ne judicio contendatur, prohibet; qui jubet, ut inimici diligantur, eisque bene fiat: qua ratione dici potest bella probare?

483 III. Concinit Apostolus Rom. 12. v. 17. sqq. dicens: *Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.* Et 2. Cor. 10. v. 3. sq. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes.* Et rursus Ephes. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Quæ quidem loquutiones omne omnino bellum proscribunt, quod cum hominibus committi potest.

484 IV. Accedit quod dicitur Jac. 4. v. 1. *Unde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Quis autem dixerit, bella quæ ex tali prodeunt origine, licita esse?

485 V. Ut vero omnis tolleretur ambiguitas, Christus ipse dixit Petro Matt. 26. v. 52. *Converte gladium tuum in*

locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Nemo autem pœna dignus est, nisi qui peccat. Peccat igitur quicumque accipit gladium ad bellandum.

486 VI. His inhærens Concilium Nicænum I. gravem pœnitentiam imposuit iis, qui militiam repeterent, propterea quod implicarent sese diaboli laqueis.

Prop. I. *Privatum bellum numquam est licitum, nisi tantum in casu justæ defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ.* II. *Publicum autem bellum licitum est, si debitæ adsint conditiones.*

487 Prob. 1. p. Bellum conjungitur cum sanguinis effusione, ideoque interdicitur Clericis, ut S. Thomas ostendit (1). Effundere autem humanum sanguinem, nemini privato licet, etiamsi agatur de malefactore (2), & de injusto aggres-

(1) 2. 2. q. 40. a. 2.

(2) » Occidere malefactorem (ait S. Thomas ibid. q. 64. a. 3.) » licitum est, inquantum ordinatur ad salutem totius communitatis; & » ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis con» servandæ . . . Cura autem communis boni commissa est Principibus » habentibus publicam auctoritatem; & ideo eis solum licet ma» lefactores occidere, non autem privatis personis «. Non placent hæc Auctori lib. *de delictis & pœnis*, Cæsari scilicet Beccariæ; ac propterea supremis etiam Principibus denegat *jus infligendæ mortis pœnæ*. Audiamus tantisper hominem hunc, qui supremam Principum auctoritatem imminuere non dubitavit, & humanus vult haberi, quamquam improbis faveat; quasi humanus sit reputandus, qui tranquillo fert animo innocentum internecionem, causam vero tuetur improborum in Reipublicæ perniciem. En totum ratiocinium quo Beccaria nititur: nam cætera quæ dicit, aut involuta verba sunt ad decipiendum, aut evasiones ad eludendam vim rationum oppositarum. *Jus*, inquit, *in Principe oritur ex aggregato particularium libertatum uniuscujusque. Nemo autem habet jus occidendi seipsum. Neque ergo censendum est, alteri dedisse.* Apodicticum sane argumentum! Quid si non solum negaremus majorem, sed ejus *suppositum*? Beccaria eam adsumit tamquam certam, eamque mutuatus fuit ex Rousseau in Systemate sociali; quæ tamen falsissima est, ut infra demonstrabimus. Nihil ergo concludit Beccariæ argumentatio. Admittatur autem illa major ut vera, petimus ex Beccaria, an censendus sit quispiam, cum alteri particulam libertatis suæ dedit, dedisse etiam potestatem, ut ad triremes, ad fustigationes, ad carce-

sore, nisi tantum ad repellendam vim, cum alia non patet via ad justam defensionem, qua *moderate* violentia repellatur, hoc est, non ex intentione occidendi invasorem: quod esset il-

---

rem perpetuum, ad alias etiam pœnas ipsum damnaret, una tantum excepta pœna mortis? Si hanc potestatem dedit ob commune bonum Reipublicæ, cujus ipse est pars, uti certe dedisse negare non potest ipsemet Beccaria, dum statuit, *validius frenum contra delicta esse potius diuturnum exemplum hominis libertate carentis, instar belluæ ad servitutem damnati, puta ad triremes*, &c. cur ob eamdem rationem dare non potuit potestatem supremo Principi, ut si ejus delicta mererentur, eum morte damnaret ob Reipublicæ bonum? Præterea Beccaria duplicem excipit casum, in quo ait licere damnare hominem ad mortem, 1. seditionis periculosæ, 2. si ejus mors sit unicum medium ad coercenda aliorum crimina. In hoc duplici casu petimus, an homo ille tradiderit, necne, publicæ Potestati jus occidendi seipsum, cum suæ libertatis particulam tradidit? Si jus illud non dedit; igitur neque in duplici illo casu publica Potestas jus habet eum morte plectendi: quod tamen Beccaria negat. Si dedit; igitur Beccariæ argumentatio non concludit: nam quomodo censeri posset, illum dedisse alteri jus in propriam vitam, quod ipse non habet? Ignoravit Beccaria verum Politices fundamentum. Potestas, quam habet Princeps, supponit quidem consensum populi, si in Principis ditionem se dedit; ipsa tamen est à Deo. *Omnis anima*, inquit Apostolus Rom. 13. v. 1. *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* Hanc potestatem debet Princeps adhibere ad bonum commune; ut enim ait idem Apostolus ib. v. 4. *Dei minister est tibi in bonum.* Itaque si ad bonum commune conferat, ut improbus homo morti addicatur, Princeps potestatem habet in eum animadvertendi pœna mortis. *Non enim*, ut ibid. loquitur Apostolus, *sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Vide S. Thom. in cit. c. lect. 1. ubi in Regia potestate, vel cujuscumque alterius Dignitatis tria considerat: 1. ipsam potestatem, & sic est à Deo. 2. modum adipiscendi potestatem, & sic potestas etiam est à Deo, cum quis ordinate eam adipiscitur. 3. usum potestatis, qui potest esse inordinatus. Quod autem Beccaria contortis sophismatibus suadere conatur, alias pœnas diuturniores validiora esse frena adversus delicta, falsum est; nihil enim homines magis amant, quam vitam; eaque incolumi, omnia potius supplicia sustinent. Experiendo etiam compertum est, ibi abundare delicta, ubi vel numquam, vel fere numquam pœna mortis infligitur. Intolerabilis autem est Beccariæ confidentia, cum, proposita sibi omnium Nationum, & sæculorum praxi, scribit: *Si mihi objicerentur omnium sæculorum exempla, & omnium ferme Nationum, constituentium pœnam*

licitum, ut idem S. Thomas (1) demonstrat (2); sed unice ex intentione conservandi propriam vitam, quæ aliter conservari non posset: quod cuique naturale est (3). Privatum igitur bellum non est licitum (4), nisi tantum in casu justæ defensionis, cum moderamine *inculpatæ tutelæ.*

---

mortis aliquibus delictis, respondebo, ejusmodi exempla evanescere coram veritate, adversus quam nulla militat præscriptio. Tamdiu expectandum erat, ut veritas innotesceret? A mundi initio ad hæc nostra tempora ne uni quidem veritas illuxit, præter Beccariæ, qui eam extraxit è puteo Democriti? Ne ipsis quidem Hebræis, apud quos pro multis criminibus constituta erat pœna mortis ex Divina lege, veritas erat comperta? Proh Deus immortalis! quanta superbia, & arrogantia! imo & quanta cæcitas!

(1) 2. 2. q. 64. a. 7.

(2) Ita S. Thomas loc. cit. ad 1. & 2. interpretatur S. Augustinum in iis locis, in quibus videtur sentire, licitum non esse invasorem occidere ad vitæ defensionem.

(3) Barbeyracius *Traité de la Mor. des Peres* c. 6. §. 34. & rursus c. 11. §. 4. putat, non posse absque aliquo iræ motu repelli vim injusti aggressoris; vindictæ autem spiritum, si qui adjungatur, esse per accidens. De motu iræ in aggressorem, & de motu vindictæ, si sint *primo primi*, id est indeliberati, non laboramus; non enim actus indeliberati imputantur ad culpam. Item si sint actus *primo secundi*, hoc est, semideliberati, peccata mortalia non erunt. At si plene deliberati sint, etiamsi per accidens adjungantur, lethalis criminis reum efficiunt illum, qui tali modo contra invasorem se defendit; non enim repellit vim unice ad se defendendum, sed etiam ad ulciscendum: quod criminosum est, cum caritati repugnet.

(4) Hæc intelligenda sunt de hominibus in statu civili. Ut enim docet S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 1. » Non pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus suum in judicio Superioris prosequi «. Ex quibus sequitur, licere bellum privatæ personæ, si non possit judicium suum prosequi in judicio Superioris; ideoque hominibus in statu naturali constitutis, nec ullum habentibus civilem Superiorem, bellum privatum, modo sit justum, non est interdictum. Non subscribimus tamen Grotio de jur. bel. & pac. l. 1. c. 3. §. 2. docenti, *legem vetantem sine judicio suum consequi, intelligi commode debere, ubi copia est judicii.* Nam ubi judicium exstat, etiamsi non pateat accessus ad Judicem, vel subditi Judicem non audiant, vel Judex cognitionem causæ rejecerit, licet quidem sua jura defendere aliis justis adhibitis mediis, non tamen licet bellum privatum intentare, quia semper subditus potest jus suum promovere in judicio Superioris. Et facta etiam hypothesi, quod in judicio non audiatur, nec licet privatis

488 Prob. 2. p. Si bellum publicum non liceret, id esset, quia pugnaret vel cum jure naturæ, vel cum jure gentium, vel cum jure Divino; non enim potest pugnare cum jure civili: nam inter supremas Potestates non est unum jus civile commune. Atqui bellum neque pugnat cum jure naturæ, neque cum jure gentium, neque cum jure Divino. Non quidem cum jure naturæ; hoc enim non omnem vim inhibet, sed tantum privatam, cum alia suppetit via, ut dictum est (1). Supremis autem Potestatibus nulla alia suppetit via ad repellendam vim, si inferatur, & ad sua tuenda jura, nisi per bellum, cum non subsint superiori Potestati humanæ, cujus judicio possint sua prosequi jura. Bellum igitur non pugnat cum jure naturæ. Præterea, finis belli est pax, & securitas Reipublicæ. Sed hæc securitas esse non potest, nisi hostes coerceantur, si injuste invadant; esset enim prorsus iniqua conditio, non posse hostibus obsistere; ita namque fieret, ut injusti aggressores impune irrogarent injurias, & aliena diriperent: quod longe est à naturæ institutis (2).

489 Multo minus pugnat cum jure gentium, quinimo hoc jure bellum est constitutum (3): quod ex temporum historiis, & moribus gentium compertum est (4). Quare Livius

---

ad bellum, & ad arma venire; hoc enim ipsum esset in Reipublicæ detrimentum, & seditiones foveret.

(1) §. præc.

(2) Vide Victoriam in Relect. de jure belli.

(3) L. Ex hoc jure ff. de just. & jure.

(4) Montesquius *De l' esprit des loix* l. 1. c. 3. » L' objet, *ait*, de » la Guerre c' est la Victoire; celui de la Victoire la Conquête; celui » de la Conquête la Conservation. De ce principe & du précédent « (nimirum quod diversæ Nationes debent sibi mutuo procurare, tempore pacis, majus quod possunt bonum, & tempore belli inferre minus quod possunt malum) » doivent dériver toutes les loix qui for- » ment le Droit des Gens «. *Objectum belli est victoria*; *victoriæ, occupatio*; *occupationis, conservatio. Ex hoc principio, & ex præcedente derivari debent omnes leges, quæ jus gentium formant.* Paucis verbis magna complectitur absurda. Si *victoria* tantum est objectum belli, quodcumque bellum licebit, modo sperari victoria possit. Si objectum victoriæ est *occupatio*, & occupationis *conservatio*; bellum non erit initum ad conservanda legitima jura; hæc enim conservatio erit effectus, non causa occupationis, victoriæ, & belli. Si autem ex hoc principio orirentur leges juris gentium, hæ possent oriri ex bello injusto, videlicet & ipsæ essent injustæ. Quod tam est

(1): *Jure*, inquit, *gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur.*

490 Restat igitur, ut expendamus, an bellum publicum sit jure Divino prohibitum. Nullum vero tale jus exstare sive in Veteri, sive in Novo Testamento, res est explorata. Nam Gen. 14. describitur bellum Abrahami adversus quatuor Reges; quod quidem bellum Deus per sacerdotem Melchisedechum probavit; is enim, ut dicitur ib. v. 20. Abrahamo benedixit, atque ait: *Benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt* (2). Similiter Exod. 17. describitur pugna Josue adversus Amalecitas, orante Moyse in monte, quam pugnam, partamque victoriam Deus probavit, dicens Moysi v. 14. *Scribe hoc ob monimentum in libro.* Sed & plurima exempla sunt bellorum à Judæis gestorum, etiam Deo præcipiente, ut dubitari nullo modo possit, bellum jure Divino non fuisse tunc interdictum.

491 Quod autem neque in Lege Evangelica bellum vetetur, constat 1. ex Joannis Baptistæ verbis Luc. 3. v. 14. nam interrogatus à militibus: *quid faciemus & nos*; non utique respondit, ut militiam desererent, uti respondere debuisset, si bellare non liceret; sed ait: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* 2. ex fide Centurionis, qui Matt. 8. v. 9. dicebat: *Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites*, &c. quam ejus fidem Christus laudavit, nec tamen militiæ desertionem imperavit. 3. ex Cornelii Centurionis exemplo, qui, ut dicitur Act. 10. v. 22. erat *vir justus, & timens Deum*, licet militiæ addictus. 4. denique ex verbis ipsius Christi Domini, qui Matt. 22. v. 21. inquit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Nam, ut S. Augustinus (3) advertit: „Ad hoc tributa præstantur, ut propter bella ne„cessario militi stipendium præbeatur“. Porro si contra Evangelium non est prospicere Reipublicæ tranquillitati ad-

falsum, quam verum est, bello injusto violari non modo jus naturæ, sed etiam jus gentium.

(1) L. 42. c. 42.

(2) Neque obstant quæ habentur Gen. 9. v. 5. seq. Deum scilicet requisiturum sanguinem de quocumque illum effuderit; hæc enim intelligenda sunt de injusta effusione. Sane Abrahamus, qui optime noverat præceptum Noemo impositum, non ideo abstinuit à cæde quatuor Regum.

(3) L. 22. cont. Faustum c. 74.

versus improbos, qui sunt hostes interni; cur non licebit eidem prospicere adversus hostes externos?

492 Ut autem bellum sit licitum, tres S. Thomas (1) conditiones requirit: 1. est *auctoritas Principis, cujus mandato bellum est gerendum* (2). Principibus enim commissa est Reipublicæ cura, ad eosque pertinet Rempublicam ab externis tueri hostibus (3). 2. *est causa justa, ut scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur.* 3. *intentio*

(1) 2. 2. q. 40. a. 1.

(2) S. Augustinus loc. cit. c. 75. »Ordo, *inquit*, ille naturalis »mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctori»tas, atque consilium penes Principem sit«.

(3) Quærit Grotius de jur. bel. & pac. l. 1. c. 3. §. 4. utrum Magistratus habeant jus belli publici? Duplex autem genus belli publici distinguit, alterum *solemne*, quod ritibus quibusdam indicatur, scilicet cum prævia repetitione rerum, & cum belli denunciatione; alterum *minus solemne*, ritibus illis carens. Ait porro, jus belli solemnis ex jure gentium pertinere ad solam summam Potestatem; bellum vero minus solemne posse auctorem habere Magistratum quemvis, spectato jure gentium, quamvis legibus populorum sit cautum, ne bellum geratur nisi eo auctore, qui summam habet potestatem. Verum cum ex bello sive solemni, sive minus solemni tota Respublica in periculum veniat, ut idem Grotius fatetur ibid. auctoritas decernendi de bello est inseparabilis à jure Majestatis; quare idem est Magistratui etiam supremo adserere eam auctoritatem, ac in ipsum transferre Majestatis jus. Atque ita in *lege Julia Majestatis* 3. dicitur Majestatis crimine ille teneri, qui *injussu Principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit.* Non videntur tamen agere contra jus Majestatis inferiores Potestates, si absque speciali mandato Principis, vi armata resistunt invasoribus, cum periculum præsens est, nec patitur moram, ut consuli Princeps possit: nam in hoc casu ipsum generale mandatum Principis circa custodiam commissam, est ratio tribuens jus; nemo enim suspicari potest, Principem velle, ne hostibus irruentibus resistatur; neque ii quibus custodia commissa est, suo muneri satisfacerent, si hostibus cederent.

Putat Genuensis l. 2. de offic. c. 9. §. 5. jus armorum, ut jus belli, pertinere ad imperium. Id ultro fatemur; at vero negamus quod ille absolute addit, neminem civem posse esse armatum, quin injuria afficiat imperium, & violet publicam societatis fidem. Nam licet id verum sit de armis prohibitis, secus vero dicendum de armis permissis; ita enim nemo posset se gladio cingere. Multo minus probare possumus quod ille addit, *jus venale* arma licita fecisse: quod sine Principis injuria dici nequit.

bellantium recta, qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Nam, uti S. Augustinus ajebat (1): „ Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impa„catus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido do„minandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis jure cul„pantur„.

493 Ac prima quidem, & tertia conditio seipsis constant. De secunda quæritur, quænam censendæ sint justæ belli causæ? Cui quidem quæsito respondemus, justas causas esse I. recuperationem bonorum, ac jurium Principi, & Reipublicæ debitorum (2); II. ultionem gravis injuriæ Legatis irrogatæ (3); III. subditorum seditionem, aut rebellionem (4); IV. auxilium eis, aut hostibus præstitutum (5); V. violationem pacti, vel fœderis (6); VI. injustam denegationem innoxii transitus (7); VII. justam fœderatorum defensionem (8), aliasque similes. Quæ quidem omnes ad unam tantum causam justam belli inferendi revocari possunt, scilicet ad injuriam acceptam. Quare S. Augustinus (9): *Justa*, inquit, *bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Non est ergo justa causa sola amplificatio imperii, aut gloriæ cupido (10). Quæcum-

(1) L. 22. cont. Faustum c. 74.

(2) Sic David 1. Reg. 30. dicitur pugnasse contra Amalecitas, eosque percussisse, quia igni succenderant Siceleg, & captivas duxerant mulieres.

(3) De eodem Davide refertur 2. Regum 10. profligasse Ammonitas post injuriam ejus Legatis illatam.

(4) Ob hanc causam idem David persequutus fuit Sebam moventem seditionem contra ipsum in Israel, ut dicitur 2. Reg. 20.

(5) Ibid. c. 10. describitur bellum adversus Syros, quos Ammonitæ mercede conduxerant adversus David.

(6) Vide quæ de prælio contra Regem Moab ob prævaricatum fœdus dicuntur 4. Reg. 3.

(7) Propter denegatum transitum à Sehon Rege Amorrhæorum, & pugnam contra Israel, percussus fuit Sehon in ore gladii, ut habetur Num. 21.

(8) Vide quæ habentur Josue c. 10.

(9) Quæst. in Josue l. 6. q. 10.

(10) Hanc gloriæ, & imperii libidinem in Alexandro M. Universum occupare contendente, reprobarunt vel ipsi Scythæ apud Curtium l. 9.

que vero sit justa causa, ea debet esse gravis; agitur enim de re magni momenti. Justitia autem causæ diligenter est expendenda, nec bellum est ineundum, nisi cum necessitas urget juris tuendi (1), ab eoque abstinendum est, si de justitia causæ dubitetur: nam in dubiis tutior pars est eligenda. Non pertinet autem ad milites subditos Principi, in examen vocare justitiam belli, etiamsi ipsis dubia videatur. Ut enim ait S. Augustinus (2): „Vir justus, si forte sub rege homine etiam sa„crilego militet, recte potest illo jubente bellare, civicæ pa„cis ordinem servans; cui quod jubetur, vel non esse con„tra Dei præceptum certum est; vel utrum sit, certum „non est".

494 Sunt qui quærunt, utrum liceat contra infideles pugnare unice propagandæ Religionis causa? Respondet autem S. Thomas (3), non licere, si infideles illi nec subditi sint, nec umquam fidem susceperint, nec fidem impediant, ejusque propagationem (4); at vero licere, si subditi cum sint, adversus legitimum Principem suum insurgant; vel etiamsi subditi non sint, fidem tamen impediant blasphemiis, suasionibus, aut apertis persecutionibus. *Propter hoc*, inquit Angelicus, *fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant . . . sed propter hoc, ut eos compellant, ne fidem Christi impediant* (5). Hæretici vero, aut

(1) Praxim videmus in Jephthe Jud. 11. & Josue 22.

(2) L. 22. cont. Faustum c. 75.

(3) 2. 2. q. 10. a. 8.

(4) Rationem tradit idem Angelicus ibid. a. 10. quia *dominium, vel prælatio introducta sunt ex jure humano: distinctio autem fidelium, & infidelium est ex jure divino. Jus autem divinum, quod est ex gratia, non tollit humanum, quod est ex naturali ratione.* Itaque sola infidelitas non est justa belli inferendi causa.

(5) Neque opponat quis veteres Christianos, qui primis Ecclesiæ sæculis atrocissimas pertulerunt persequutiones ab infidelibus, nec tamen contra illos bellando insurrexerunt. Nam Christiani illi omnes Imperatoribus subjecti erant, quod ad civile pertinebat gubernium. Subditis autem numquam licet adversus suos legitimos Principes arma sumere, etiamsi maximis afficiantur injuriis, atque tormentis, dicente Petro in Epist. 1. c. 2. v. 13. sqq. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis . . . Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste.*

apostatæ, qui aliquando fidem per Baptismum susceperunt, si subditi sint, ac refractarii, possunt à legitimis eorum Principibus bello coerceri, & cogi, ut impleant quod promiserunt (1).

Cæterum Catholici Principes bellum possunt indicere infidelibus etiam sibi non subditis, si fidem impediant, aut persequantur. Constantinus, causa Christianismi defendendi à persequutione, arma sumpsit adversus Licinium affinem, & Collegam suum. Vide Eusebium l. 1. Hist. c. 9.

(1) Inique id olim Donatistæ ferebant, & adversus Catholicos Principes conquerebantur de latis in eos legibus. Vide S. Augustinum l. 1. con. Epist. Parmeniani c. 10. Illos imitantur plerique recentiores heterodoxi Lutherani, Calviniani, &c. Reimkingkius in Tract. de Regim. Sæcul. &c. l. 2. clas. 3. c. 2. §. 53. conatur adstruere, nullo modo licere bellum adversus hæreticos, quia Religio est jus inter Deum & hominem, & liberum est credere, *nullaque major est tyrannis, quam imperare velle conscientiis . . . gladio, igne, vel exilio nihil efficitur, hypocritæ instruuntur metu.* Laudatque Thuanum in Epist. nuncup. oper. hist. præfixa. Increduli quoque homines Bælius, Voltairius, Auctor systemat. nat. etc. vociferantur passim, atque declamant adversus eos, qui mulctandos volunt à supremis Potestatibus etiam pœna sanguinis perduelles in Deum, & Religionem. Causam miseri agebant propriam, deturbarique nolebant à cœpto pugnandi adversus Religionem consilio. Sophisma eorum jam olim exsufflarat S. Augustinus Epist. 185. al. 50. ad Bonifacium n. 22. exemplo Pauli: » Ubi est quod isti clamare consueverunt, Liberum est credere? » cui vim Christus intulit? quem cogit? Ecce habent Paulum Apo» stolum, agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docen» tem, prius ferientem, & postea consolantem «. S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 8. ad 3. ait: *Sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis.* Non ergo Principes Catholici, dum cogunt hæreticos, injuste imperant conscientiis, nec faciunt hypocritas, nisi eos qui tales volunt esse; tenentur enim fidem Catholicam in Baptismo acceptam profiteri. Sed videte iniquorum ingenium. Dum supremis Potestatibus denegant facultatem coercendi hæreticos rebelles; rebellibus potestatem adserunt insurgendi in legitimos Principes, si contra hæresim agant. Gronovius in not. 76. ad c. 4. l. 1. Grotii de jur. bel. & pac. » Auctor, *inquit*, quæstionem, *an liceat Christianis pro Religione* » *adversus Superiores in ultimo discrimine bellare*, ita tractat, ut negan» tem partem probare, atque ita tot heroum, quorum armis à Deo » prosperatis (*addere debuerat*, terribili Dei ulciscentis judicio) li» bertatem conscientiæ in Belgio, Germania, Gallia debemus, cau-

495 Quæsitum est etiam, utrum moveri in non subditos bellum possit, si contra naturæ legem delinquant? Grotius (1) affirmativam tuetur sententiam (2), propterea quod unusquisque potest esse vindex scelerum contra naturam (3). Verum

---

» sam damnare videatur «. Non dissentit Heineccius, cum in Prælect. Acad. in Grot. loc. cit. §. 11. n. 4. Regem Hispaniæ, quod bellum moverit Belgis perduellibus, qui in Calvinianam hæresim lapsi erant, tyrannis accenset, contra quem insurgere Belgis licuerit. De hujusmodi autem tyrannis ait: » Si itaque certum est, aliquem esse tyrannum « (ut immediate ante dixerat, fuisse Regem Hispaniæ respectu Belgarum) » certum quoque, eum posse bello peti; tyrannus enim est » hostis Reipublicæ. Adversus hostem autem hosti in infinitum omnia » licita sunt «. Heineccium sequutus Longanus, ut dictum est not. 9. §. 444. ad opus de Commerc. de Belgis scribit, ipsos *jugum excussisse Philippi II. Principis stupidi, & avari.* (Stupidusne ille, cujus impenso studio ac vigilantia fuerunt florentissima Hispaniarum Regna contra hæreticam tunc alibi grassantem luem munita, atque in puritate Catholicæ Fidei, Deo benedicente, servata?) Videte, quomodo virus non solum in hæreticorum, sed & in Catholicorum regionibus serpat. Quid vero, si mortiferum poculum haurirent multi, quorum manibus ejusmodi teruntur libri, præsertim Heineccii, qui tamquam incomparabilis laudari solet in op. de jur. nat. & gent.? Nam si Princeps tyrannus est, cum obsistit subditis hæreticis, incredulisque Catholicam Religionem impugnantibus, ac persequentibus; hisque licet ad arma venire, quamquam subditi sint: cur non licebit etiam in illum tamquam tyrannum insurgere, si alia delicta puniat? non enim minus hæresis, & incredulitas, quam cætera delicta Reipublicæ nocent, cum Religio præcipuum sit Reipublicæ fulcrum. Interea quisque perspicit, istiusmodi homines infensissimos esse Catholicorum Principum hostes, neque per ipsos stare, quominus in Principes suos gladium impugnent, si quando hi velint in nefarios eorum conatus animadvertere.

(1) L. 2. de jur. bel. & pac. c. 20. §. 40.

(2) Eamdem sententiam Grotius adscribit Innocentio III. in c. *Quod super his*, de voto, & S. Antonino 3. p. tit. 22. §. 5. Sed nihil tale reperitur in locis citatis. Nam caput *Quod super his* pertinet ad dubium Innocentio propositum ab Archiepiscopo Cantuariensi circa impeditos ab exequutione voti ultramarini, nec verbum continet de potestate Principum in eos, qui peccant contra naturam. S. Antoninus autem loc. cit. loquitur de Cardinalibus, eorumque dignitate.

(3) Grotius ipse loc. cit. §. 42. cavens, ne temere adnumeremus vetitis à natura ea, quæ potius voluntate Divina interdicta sunt: » in qua » classe, *inquit*, forte ponere liceat *innuptos concubitus*, & quos-

hæc sententia falsa est, & periculi plena; si enim cuique concedatur potestas vindicandi scelera in naturam commissa, perturbata omnia erunt. Nec verum est, delicta adversus naturæ jus patrata belli materiam in non subditos ministrare; hoc enim infertur propter injuriam Principi, aut Reipublicæ irrogatam. Qui autem subditi non sunt, cum adversus naturam delinquunt, nullam Principi, cui non subsunt, aut Reipublicæ, ad quam non pertinent, injuriam irrogant (1), nisi forte delicta illa tendant in ejusdem Principis, aut Reipublicæ perniciem.

496 Quæsitum est item, utrum liceat bellum indicere vicino Principi, cujus invasio timetur? Montesquius absolute concedit (2). Grotius autem (3): „ Ut justa, *inquit*, sit de„fensio, necessariam esse oportet, qualis non est, nisi con„stet non tantum de potentia, sed de animo lædendi; & qui„dem ita constet, ut certum id sit ea certitudine, quæ in ma„teria morali locum habet“. Itaque solus metus non est le„gitima belli inferendi causa, nisi certo moraliter constet de „animo alterius Principis ad invadendum. Prudenter autem Princeps qui sibi timet, militias instruet (4), præsidia muniet

---

„dam eorum, qui *incesti* dicuntur, & *fœnus*“. Quis hæc non horret? Nihilominus Grotius habetur à plerisque tamquam juris naturæ restitutor.

(1) Vide nostrum Franciscum de Victoria in Relect. 1. de Indis Insulanis n. 40. Victoriæ opere profecisse Grotium, quisque deprehendet, si Grotii opus cum prima, & secunda Relectione Victoriæ de Indis Insulanis, & de jure belli conferat. Vide quæ diximus ex Morhofio not. 2. §. 31.

(2) *De l' esprit des loix* l. 10. c. 2. „Le droit de la défense natu„relle entraine quelquefois la nécessité d' attaquer, lorsqu' un Peuple „voit que une plus longue paix en mettroit un autre en état de le dé„truire, & que l' attaque est dans ce moment le seul moyen d' empêcher cette destruction“. *Jus naturalis defensionis adjunctam aliquando habet necessitatem invadendi, cum aliquis Populus videt, fore ut diuturnior pax eo rem deduceret, ut alius Populus in statu poneretur ipsum destruendi, invasionemque in eo temporis momento unicum esse medium hujus destructionis impediendæ.* Qui adnotationes edidit ad Montesquii opus edit. Neapolit. an. 1777. animadvertit, hanc Montesquii sententiam Machiavellismum redolere, nec prorsus dissentit Genuensis in not. ibid.

(3) De jur. bel. & pac. l. 2. c. 22.

(4) De Salomone, quamvis in pace regnaverit, & à Deo pacis pro-

(1), & fœdera, si opus sit, inibit cum aliis Principibus, ut impendentibus malis obviam ire, & adversarii conatus possit antevertere.

497 Insuper quæsitum est, utrum bellum sit solemniter indicendum, ut sit justum? Grotius (2) putat, solemnem indictionem belli ex juris fecialis (3) formulis requiri, ut bellum sit justum jure gentium. Verum si altera pars, cui inferendum est bellum, sit hostis perpetuus, inimicitia ipsa videtur esse sufficiens indictio. Si autem inimica non sit, requiritur quidem aliqua denunciatio belli offensivi; at non videtur necessaria solemnitas ex juris fecialis formulis, quæ non tam jure gentium, quam jure Romano veteri videtur inducta; non enim hæc solemnitas, sed aliæ causæ bellum justum efficiunt.

498 Quæsitum est insuper, an dari possit bellum ex utraque parte justum? Respondemus autem cum Victoria (4), seclusa ignorantia id non posse contingere: nam si constat de jure, & justitia unius partis, jam altera, sive offendendo, sive defendendo, justitiam lædit. Potest tamen utraque pars habere rationes ad jus sibi adserendum, adeo graves, ut quamvis diligenter sint expensæ, videantur tamen tam uni, quam alteri parti probabiliores bona fide; tunc vero erit bellum justum ex una parte, ex qua vera justitia est; & ex altera bellum erit justum ob ignorantiam invincibilem excusantem ex bona fide. Quare absolute non probamus quod Grotius docet (5):

---

missionem acceperit, nihilominus legitur 2. Paral. 1. v. 14. »Congregavitque sibi currus, & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum«. Nimirum ut terrori esset vicinis Regibus.

(1) Limites provinciarum, quæ hostium patebant incursionibus, diligentissime olim custodiebantur. Vide leg. *In Nomine* Cod. de offic. Præfecti Præt. Africæ. Idipsum à supremis Potestatibus nostris etiam temporibus curatur, ut pericula hostium invadentium præcaveantur.

(2) De jur. bel. & pac. l. 3. c. 3. §. 5. sqq.

(3) *Feciales* dicebantur à faciendo; erant enim ex eo Collegio, quod Numa Pompilius instituit, iique de jure belli, ac pacis consulebantur. Vide Plutarchum in Numa, & in Camillo, & Gellium l. 16. c. 4. Cicero l. 1. de offic. *Belli quidem æquitas sanctissime feciali pop. Romani jure perscripta est.*

(4) De jure belli n. 32. sq.

(5) Loc. cit. l. 2. c. 23. §. 13. n. 4.

In bello vix est, ut temeritas saltem omnis, & dilectionis defectus absit, ob negotii ipsius gravitatem, quæ omnino talis est, ut causis probabilibus non contenta, quam maxime evidentes requirat. Etsi enim non liceat in bello indicendo sequi rationes probabiles de ejus justitia, relictis probabilioribus de ejus injustitia; non tamen requiruntur rationes *maxime evidentes*, quibus de justitia constet.

499 Multa hic dicenda forent circa ea, quæ licent in bello justo. Sed ne longiores simus, mittimus ad Joannem Genesium Sepulvedam (1), & ad nostrum Victoriam, qui egregie de hac re scripsit (2), magnaque perspicuitate cum brevitate conjuncta. Tres autem canones describendos ducimus, quibus Victoria Relectioni suæ coronidem imposuit. » Primus ca» non. Supposito, quod Princeps habet auctoritatem gerendi bel» lum, primum omnium non debet quærere occasiones, & cau» sas belli, sed si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem » habere, ut Paulus præcipit ad Rom. 12. Debet autem re» cogitare, quod alii sunt proximi, quos tenemur diligere sicut » nos ipsos, & quod habemus omnes unum communem Domi» num, ante cujus tribunal tenemur rationem reddere... sed coa» ctum & invitum venire oportet ad necessitatem belli. Secundus ca» non. Conflato jam ex istis causis bello, oportet illud gerere » non ad perniciem gentis, contra quam bellandum est (3), sed

(1) In Apol. pro lib. de jure belli.

(2) Loc. cit.

(3) Hæc erat hujus eximii Hispani viri sententia, quam ejus ætate cæteri Hispani Doctores, Hispanæque Academiæ docebant, atque Catholici Reges, & eorum Magistratus sanctissime custodiebant, curabantque, ut ab omnibus servaretur. Nihilominus Montesquius eodem, quo plerique alii, præsertim ex incredulorum cœtu, atque inter ipsos Voltairius, & Raynal, in Hispanam Nationem spiritu ductus, de Hispana Monarchia ita scribit *De l' esprit des loix* l. 8. c. 18. » Pour » garder l'Amérique elle fit ce que le Despotisme même ne fait pas, » elle en détruisit tous les habitans». *Ut Americam occuparet, id effecit quod neque ipse Despotismus efficit, universos destruxit habitatores.* » Et l. 10. c. 4. Quel bien les Espagnols ne pouvoient ils pas faire » aux Mexicains? Ils avoient à leur donner une Religion douce; ils » leur apportérent une *superstition furieuse.* Ils auroient pû rendre li» bres les esclaves; & ils rendirent esclaves les hommes libres. Ils » pouvoient les éclairer sur l' abus des sacrifices humains; au lieu de » cela ils les exterminérent. Je n' aurois jamais fini, si je voulois ra» conter tous les biens qu' ils ne firent pas, & tous les maux qu' ils

„ad consequutionem juris sui, & defensionem patriæ, & rei-

„firent“. *Quot bona Hispani poterant Mexicanis præstare! Dare ipsis debebant Religionem mitem; & nihilominus asportarunt illuc superstitionem furentem. Poterant è mancipiis facere liberos; & libe-ros fecere mancipia.* (Quosnam liberos Hispani fecere mancipia, si *omnes Americæ habitatores destruxerunt*? Quis umquam vidit homi-nem in eodem ferme loco tam sibi aperte contradicentem?) *Pote-rant eos erudire de improbitate humanorum sacrificiorum; & tamen eos exterminarunt. Finem dicendi numquam facerem, si omnia re-censere vellem bona quæ non fecerunt, & mala quæ fecerunt.* Hæc ita ut jacent, ausi sunt Neapolitani Editores operis Montesquii ver-tere in Italicum idioma, quin ullam apposuerint adnotationem. Gra-vissimam injuriam Nationi Hispanæ irrogatam, paucis (non enim multis, uti facillime possemus, per institutum licet) depellere in animo est.

Principio Montesquius Hispaniarum Monarchiam *Despoticam*, & *plusquam Despoticam* appellat, ideoque Catholicos Reges eam Mo-narchiam moderantes, atque gubernantes, (in Monarchia enim unus est rector, & caput) uti *Despotas*, & *plusquam Despotas* traducit respectu Indorum. Sunt autem *Despotæ* tyranni; igitur ex Montes-quio Hispaniarum Reges non modo tyranni, sed plusquam tyranni fuerunt respectu Indorum. Quænam excogitari major injuria poterat adversus potentissimos, piissimosque Reges Ferdinandum Catholicum, & Isabellam Reginam, ejus conjugem, cui singulare opus detectio-nis Novi Orbis debetur; itemque adversus Carolum V. Imperatorem, & Philippum II. Catholicos Reges, quorum temporibus detectus ab His-panis Novus Orbis fuit? Sed quare plusquam *Despotæ* fuere Reges illi? quia, inquit Montesquius, *omnes destruxerunt Americæ habitatores.* Iniquissimum mendacium. Montesquius (uti ejusdem furfuris homines in more habent) id adserit, nullam vel minimam addens proba-tionem, quasi ei dicenti credendum sit tamquam divino scriptori. Summam ejus ignorantiam, & maledicendi libidinem (idem dico de cæteris ei similibus, præsertim de Raynal, de quo quæri potest, quid de Numine sentiat) patefaciunt, atque confundunt ipsimet Hispaniæ Reges, qui non modo non imperarunt, neque probarunt sævitias, si quæ in Indos fuere patratæ; sed eas severissimis legi-bus prohibuerunt, de Indorum libertate, atque felicitate apprime soliciti. Nam sub ipsis detectionis initiis, cum Columbus propria au-ctoritate jugum servitutis imposuisset Indis, eorumque aliquot in His-paniam secum transvexisset, donavissetque; Isabellæ Reginæ hæc Co-lumbi gesta maximopere displicuere, regioque edicto sancivit, ut Indi universi, quotquot in Hispaniam deportati fuerant, liberi ad Indias, & sua remitterentur; eorumdem vero Indorum non Reginam modo, sed & patronam, & matrem se dicebat. Vide Antonium Remesal in

»publicæ suæ, & ut ex illo pax aliquando, & securitas con-

Hist. Prov. Chiapæ. Dicendane erit Despota Regina hæc piissima, quæ tam solicite, tamque amanter Indos complectebatur, eorumque libertati, & bonorum conservationi latis legibus consulebat? Qua igitur ratione dici potest quæsisse Indorum destructionem piissima Regina, quæ ut eorum prospiceret commodis, atque indemnitati, restitit ipsi Columbo, qui Novum detexerat Orbem?

Nec minus de salute ac libertate Indorum solicitus fuit Carolus V. Romanorum Imperator. Ejus Cedulam, ut vocant, Regiam, instante Bartholomæo de las Casas emanatam, describit noster Joannes Melendez in opere *Tesoros verdaderos de las Indias* l. 1. c. 5. in qua anno 1528. Cæsar mandabat Francisco Pizarro, & Didaco de Almagro, qui de Peruano regno occupando facultatem ab illo petebant, »que ni ellos, ni sus Capitanes inferiores hiciesen, ni pudiesen ha»cer esclavo á ningun natural de aquellas partes, por ninguna via, ni »manera, ni por razon, ó condicion alguna, sino que vencidos, y »sujetos á la Corona Real de Castilla los dexasen en su libertad, co»mo á vasallos suyos libres, y señores de sí mismos, y de sus bie»nes, y hacienda, como lo eran los vecinos, y moradores de Castilla, »y de otras partes sujetas á la Corona«. *Ut neque ipsi, neque eis inferiores Duces redigerent, aut redigere in servitutem possent quempiam in illis regionibus natum, quacumque id esset via, modo, ratione, aut conditione; sed post eos victos, subjectosque Regiæ Castellæ Coronæ, ipsos in sua libertate relinquerent tamquam subditos liberos, & dominos cum sui, tum suorum bonorum, & possessionum, perinde atque cives, & habitatores Castellæ, aliarumque regionum Coronæ subjectarum.* In hoc Imperiali Decreto quid vel minimum est, quod Despotismum oleat? imo vero quod Indorum libertati, atque incolumitati non faveat maxime? Et nihilominus Montesquius Hispanam Monarchiam, ideoque Reges Catholicos ut Despotas, & plusquam Despotas, utque Indorum destructores traducit.

Neque unicum fuit illud Decretum, quo Carolus V. libertatem, incolumitatem, felicitatemque Indorum impense curavit. Immensus forem, si omnia referre vellem, quæ tulit ille in eam rem Decreta. Videri potest idem Melendez loc. cit. c. 6. sqq. Herrera in Decadibus, & Codex legum Indicarum. Hunc autem Codicem Montesquius vel notum habuit, vel ignoravit. Si ignoravit, ineptissimus fuit, cum se ad scribendum applicuit *de spiritu legum*, ignorato Codice legum, quibus vastissimæ Novi Orbis regiones reguntur. Si notum habuit, iniquissimus fuit, cum Monarchiæ Hispanæ, ac Regibus Catholicis Despotismum exprobravit maximum, licet sciret optimas leges ab eis latas pro libertate, atque incolumitate Indorum.

Scimus, fuisse aliquando sub eodem Carolo V. disputatum de servitute Indorum, an esset legitima. Sed hoc ipsum magis confirmat,

» sequatur. Tertius canon. Parta victoria, & confecto bello,

quam fuerit à Despotismo alienus Cæsar, & Hispana Monarchia. Coacto enim, ipsius Cæsaris mandato, anno 1550. hominum doctorum congressu Vallisoleti, in utramque partem disceptatum fuit, affirmante Joanne Genesio Sepulveda, negante Episcopo Bartholomæo de las Casas. Congressus autem finis hic fuit: Carolus V. novas leges edidit pro libertate Indorum, quarum observationem postea Philippus II. gravissime mandavit; Sepulveda vero facultatem obtinere numquam potuit typis mandandi librum de ea re à se scriptum: & cum is liber Romæ ab amicis secreto fuisset excusus, Catholicus Rex omnia exemplaria prehendi, & ad se mitti jussit, & sub gravissimis pœnis interdixit, ne aliqua in Novum Orbem mitterentur; opus autem Bartholomæi de las Casas, in quo de ea quæstione Vallisoleti habita disceptabatur, nemine contradicente in lucem prodiit. Tam magnam Regis Catholici curam pro servanda libertate Indorum Montesquius habet Despotismi loco, & talis Despotismi, qui *omnes destruxerit habitatores* Indiarum? quasi modo etiam non exstent in vastissimis illis regionibus innumeri Indi, sive qui Fidem Catholicam sunt amplexati, sive qui hactenus in Gentilitatis errore versantur.

Neque tantum legibus absens providit Carolus V. felicitati Indorum, sed cupiens id efficere præsentia sua, si fieri potuisset, primum quidem Reginaldum nostrum de Pedraza, deinde anno 1538. Vincentium nostrum de Valverde, electum Episcopum provinciæ Peruanæ, delegavit in Defensores, & Protectores Indorum. Huic autem postremo ita rescripsit: » Por quanto Nos deseamos sumamente, que los In» dios de esas nuestras Provincias se conserven, é vengan en conoci» miento de nuestra santa Fe Católica, que es nuestro principal deseo; » Por ende confiando de vuestra persona, fidelidad, é conciencia, é » que con toda rectitud, é buen zelo entendereis en ello, es nues» tra merced, é voluntad, que en tanto que nuestra merced é vo» luntad fuere, seais Protector, é Defensor de los Indios de la di» cha Provincia. Por ende Nos vos mandamos, que en la dicha Pro» vincia del Perú tengais mucho cuydado de mirar, é visitar los di» chos Indios, é hacer, que sean bien tratados, é industriados, é en» señados en las cosas de nuestra santa Fe Católica, &c. « *Cum maxime cupiamus, Indos istarum nostrarum provinciarum conservari, & ad agnitionem venire sanctæ nostræ Catholicæ Fidei, quod præcipuum est desiderium nostrum; propterea de tua persona, fidelitate, & conscientia fidentes, & quod omni rectitudine, ac zelo in id sis incubiturus, nostra intentio, ac voluntas est, ut quousque nobis placuerit, Protector sis, ac Defensor Indorum dictæ provinciæ. Quocirca tibi mandamus, ut in dicta Peruana provincia diligenter cures prospicere prædictis Indis, eosque visitare, atque efficere, ut bene habeantur, instruantur, & doceantur in rebus ad no-*

»oportet moderate, & cum modestia Christiana victoria uti:

stram S. Catholicam Fidem pertinentibus. Qui ita erga Indos erat affectus, qua ratione, nisi iniquissime, dici potest Despota, Indorum destructor, & non potius pater amantissimus, Indorum salutem temporalem, & æternam vehementissime cupiens? Mentitur ergo Montesquius, mentiuntur & cæteri, qui easdem adhibent loquendi formulas, odio perciti in gentem Hispanam, quam vident ab incredulitate, & irreligione longissime abhorrere.

Sed inquiunt: Bartholomæus de las Casas librum edidit, cui titulus, *Brevìsima relacion de la destruycion de las Indias.* Primum quærimus, an Auctor ejus libri umquam dicat, destructionem illam fuisse imperatam, aut probatam, aut permissam ab Hispana Monarchia, & à Catholicis Regibus? Quomodo de las Casas id potuisset affirmare, si jam Decretum obtinuerat à Cæsare pro libertate Indorum, ad Pizarrum, & Almagrum, ut paulo ante dictum est? Quid, quod Auctor ipse ejus relationis in Epist. nuncupatoria ad Philippum II. aperte fatetur, violentias quas describit, cum eidem Philippo, tum Cæsari fuisse ignotas? Quod si destructio illa contigisset insciis ac repugnantibus Hispana Monarchia, Catholicisque Regibus, qui certe optare numquam poterant occupationem regionum Indicarum habitatoribus vacantium, planeque desertarum; cur eidem Monarchiæ ea destructio affingitur? Deinde, si populi Indiarum jam fuissent destructi, nonne demens fuisset Episcopus ille, pro destructis populis preces interponens suas?

Nos autem verisimile valde esse putamus, eam relationem haud habuisse auctorem Bartholomæum de las Casas. Nam Franciscus Antonius de Montalvo Ordinis S. Antonii Viennensis, in Censura operis cit. Melendez, se audisse testatur Equitem Franciscum de Luceu ita dicentem: » Siendo yo estudiante, ví en casa de mi Padre el » original manuscripto del Memorial, que con nombre del Obispo de » Chiapa corre impreso en todas lenguas, para que en todas ellas se mal» digan los Españoles, que tan execrandas maldades, como las que » en él se inventan, y se les atribuyen, cometiéron en las conquistas » del nuevo mundo. Este libro le compuso un Francés, y traduciéndole en Español se imprimió la primera vez en Leon de Francia, » con título de impreso en Sevilla, por D. Fr. Bartolomé de las Ca» sas, Obispo de Chiapa.» *Cum studiis vacarem, vidi in domo patris mei manuscriptum originale libelli supplicis, quod sub nomine Episcopi Chiapæ circumfertur impressum in omni idiomate, ut ubique maledicatur Hispanis, qui tam execrandas iniquitates patrarunt in occupatione novi orbis, cujusmodi sunt illæ, quæ ibi finguntur, illisque affinguntur. Is liber compositus à quodam Gallo fuit, qui eum Hispanice vertit, & impressus primum fuit Lugduni Galliarum cum ementito nomine Hispalis, & tamquam compositus à D. Fr. Bartholomæo de las Casas, Episcopo Chiapæ.* Hæc attestatio non convincit

„ & oportet, victorem existimare, se judicem sedere inter duas

quosdam, propterea quod liber editus fuit anno 1552. vivente adhuc Episcopo; quasi qui nomen auctoris, & loci mentitus fuit, non potuerit mentiri & annum.

Sunt autem & aliæ multæ conjecturæ, quæ suppositionem probant. Auctor illius opellæ eam dirigit ad Philippum Principem, ut intercedat pro Indis apud Cesarem patrem. Cur non ad ipsum Cæsarem? Nam libellus supplex, quo nomine opella inscribitur, datus fingitur anno 1541. cum ibi dicantur elapsi 49. anni ab Indiarum detectione. At Cæsar jam anno 1528. & 1538. Decreta tulerat pro libertate, ac felicitate Indorum, ut dictum est, & eorum primum dederat instante de las Casas. Si ea Decreta, aliaque multa, quæ refert Antonius Herrera, observata non fuerant; quare accusatio immediate delata non fuit ad ipsum Cæsarem? Fortasse quia extra Hispaniam degebat. Sed etiam extra Hispaniam poterat non esse solicitus de regionibus Indiarum, si tam crudeliter Indi, quibus Defensores, & Protectores destinarat, fuissent habiti, ut major saltem eorum pars esset destructa?

Tam vero multæ sunt fabellæ, & calumniæ eo libello comprehensæ, ut si umquam concederetur prodiisse ab Episcopo Chiapensi, oporteret eum appellare insignem fabulatorem, atque calumniatorem. Adserit Auctor, in Insula Hispaniola, è quodam monte erumpere flumina non minus viginti millia, aut viginti quinque millia (videte animum Auctoris jocandi, efficiendique, ut Ven. Episcopus irrideretur), quæ omnia auro scatent. Adserit, ex relatione cujusdam Franciscani, Atabalidam, seu potius Atahualpam, Peruanum Imperatorem (quem etiam nominat *Cacique*, cum tamen longe distarent *Caciques*, seu Viri nobiles ab *Inghis*, iis nempe qui de stirpe Regia erant, multoque magis ab Imperatore), fuisse flammis traditum; cum tamen constet, obiisse gladio de conjuratione accusatum. Sed quod magis est (ne singula persequamur) addit, Hispanos numquam curasse, ut Christi Fides illis gentibus annunciaretur; & in Indiis eo tempore quo scribebat, non majorem Dei viguisse notitiam, quam ante centum annos; excepta tantum Nova Hispania, ad quam aliqui perrexerant Religiosi viri. Quomodo hæc scribere Chiapensis Episcopus poterat, qui probe sciebat, in Peruanum regnum ex Ordine Prædicatorum quinque viros fuisse missos à Carolo V. inter quos Vincentius Valverde, qui ann. 1541. jam Martyr obierat à barbaris occisus causa Fidei, quam ipsis annunciabat? cui compertum erat, ex aliis quoque Ordinibus Apostolicos viros illuc perrexisse, strenueque tunc agere pro conversione Indorum? qui sciebat quoque, Ecclesias, & Monasteria multa jam esse excitata non in Peruano tantum regno, sed & in aliis plerisque? Poterat Ven. Episcopus, cujus probitatem, atque doctrinam universi Scriptores extollunt, eum Apostolicis coæquantes viris, tam enormi-

»Respublicas, alterum quæ læsa est, alterum quæ injuriam fe-

ter mentiri, & calumniari? Quodnam ejus fuisset charitatis genus, ut causam ageret Indorum idololatrarum, tradere veritatem, & alios viros eximios in Vinea Domini laborantes, maligno dente laniare? Tam male de Episcopo Chiapensi cogitare, ejus virtus non sinit, non patitur.

Accedit, quod Sepulveda, qui Episcopo Chiapensi contraibat in concertatione de Indis, eorumque libertate, in Apol. pro lib. *de justis belli causis*, agens de malis, quæ Indi dicebantur passi ab Hispanis, respondensque ad septimam objectionem à de las Casas propositam de iisdem malis, concedit quidem, aliqua illos fuisse passos mala; sed post mala quædam enumerata, quorum præcipuum dicebatur esse servitus, ait: *Si mala, & bona, quæ hoc bellum barbaris importat, ad calculos revocemus, haud dubie mala bonorum multitudine, & gravitate prorsus obruentur.* Pergitque enumerando bona temporalia, quæ præ malis contigerunt barbaris, nulla ne levi quidem facta mentione de incredibilibus illis malis, quæ in supposito libello recensentur. Præterea Herrera, licet in Decadibus sæpe de Episcopo Chiapensi sermonem habeat, numquam tamen, quod sciamus, de tam enormi ejus accusatione verbum injicit. Quæ omnia haud levia videntur esse argumenta probantia, eam opellam fuisse suppositam Ven. Episcopo; aut saltem interpolatam ab impio quodam, invidoque calumniatore. Hoc est certissimum, undique scatere enormissimis falsitatibus, atque mendaciis, & calumniis; ideoque merito in Indicem librorum prohibitorum, quem *Expurgatorium* vocant, à supremo Quæsitorum Fidei Hispano Senatu fuisse relatam.

Si autem quis quærat, quare Indiarum regiones post occupationem Hispanorum non ita ut ante habitatoribus abundent, responderi primum posset, haud talem fuisse ibi populorum frequentiam ante detectionem, qualem incredibiliter auget fictus de las Casas, ut etiam ex hoc ipso nullam mereatur fidem. Scimus enim ab aliis probatissimis Auctoribus, frequentissima inter Indos fuisse bella: scimus, multa hominum millia sæpissime, atque aliquando ad viginti millia uno die in diversis locis fuisse dæmonibus immolata; cujus generis sacrificiorum & ipsi Indi minus perversi pertæsi erant. Vide Acostam Hist. Indor. l. 5. c. 21. sq. Scimus quoque, nonnullos ibi regnasse morbos, qui in alias mundi partes delati sunt, cum essent ante incogniti, uti lues venerea, & ille qui vulgo dicitur *vajuolo*, de quibus morbis ne verbum quidem exstat apud veteres Medicos. Vide Herreram Dec. 1. l. 1. c. 5. Quis credet, in tanta inhumanitate sacrificiorum, atque in tanta morborum pernicie, quæ ipsam Europam fœdavit, innumerisque hominibus vitam eripuit, Indos perstitisse diu incolumes? Ad hæc, sciunt universi, quantopere humanæ propagatio-

„cit : ut non tamquam accusator, sed tamquam judex senten-

ni obstet criminosa libido, quæ tamen plusquam brutalis erat inter plerosque Indos.

At si quis obfirmatus in sententia maneat de maxima priscorum Indorum multitudine, rationes non desunt ad ostendendum, quare sub Hispano Imperio fuerit aliquantulum imminuta. Herrera loc. cit. putat, hanc imminutionem contigisse 1. ex Catholica Religione, quæ polygamiam vetat. 2. ex Indorum translatione è locis, ubi degebant, in alia diversi climatis, contra ac Catholica Regina Isabella mandarat. 3. ex usu ciborum ab Hispanis illuc deportatorum, exque abusu aquæ ex vino destillatæ. 4. ex pigritia Indorum; non enim, ut ante sub eorum Principibus, coacti fuerunt ad magnos subeundos labores. Addunt nonnulli labores graves, & molestos in fodinis auri, & argenti. Sed hæc non videtur sufficiens causa magnæ diminutionis multitudinis: nam & ante detectionem Indi in fodinis laborarunt; ingens enim apud eos erat copia auri, & argenti: & insuper pluribus in locis metalla è fodinis eruebantur extra Indias, præsertim in Hispania, & hactenus in regno Hungariæ eruuntur, quin propterea sequuta fuerit grandis illa multitudinis hominum diminutio. Falsissimum vero est, quod ait Raynal, Indiarum depopulationem repetendam esse ex lenta oppressione Gubernii: nam Indi, si pertenue excipias tributum, quod instar vectigalis solvunt, in reliquis sunt omnino liberi.

Hæc quidem de priori Montesquii adsertione, qua omnes Americæ habitatores ab Hispana Monarchia destructos effutiit. Nunc de altera ejus censura. Itaque, si illum audimus, nullus esset dicendi finis, quoties redigenda ad calculos forent bona, quæ Hispani Indis Mexicanis non fecerunt, & mala, quæ ipsis intulerunt. Montesquius, qui stilo adversus Hispanos non parcebat, non nisi tria mala Mexicanis ab Hispanis illata potuit reperire: nam innumeri illi catalogi thrasonica jactatio sunt. Expendamus singula. *Hispani dare illis debebant Religionem mitem, & dederunt superstitionem furentem.* Quid dici contumeliosius poterat non in gentem Hispanam modo, sed in ipsam Catholicam Religionem? Hanc siquidem Hispani in Novum Orbem deportarunt, nec deportarunt tantum, sed per immensos labores, & copiosum sanguinem ab Apostolicis viris effusum, ibidem constituerunt adeo prospero, felicique eventu, Divina faventè gratia, ut in vastissimis illis regionibus, in quibus per tot sæcula cultus fuerat dæmon, vero Deo cultus exhiberetur. Erectum ubique fuit Crucis trophæum, annunciatus Christus, innumeri sacro tincti Baptismate, Ecclesiæ excitatæ, ædificata magnifica Templa (hæc fortasse displicebant Montesquio, qui vel nulla, vel pauperrima admittit), stabilita Ecclesiastica Hierarchia, Monasteria magno numero erecta etiam pro sacris Virginibus, fundatæ Domus ad puerorum instructionem, ad pauperum subsidium, ad infirmorum solatia; Sacramenta administrata, Conciones, & sa-

„tiam ferat, qua satisfieri quidem possit Reipublicæ læsæ, sed „quantum fieri poterit, cum minima calamitate, & malo Rei„publicæ nocentis “. Ita docebat vir summus ante annum 1546.

---

cræ Supplicationes assidue habitæ; missi undique Sacerdotes ad Evangelium annunciandum gentibus adhuc in tenebris infidelitatis sedentibus: Paucis, constituta fuit Religio Romana, id est Catholica. Hisce tam eximiis gestis continerine putat Montesquius *superstitionem furentem*? Qui ita loquitur, in suspicionem venit, an Catholicam Religionem superstitiosam existimet, incredulorum aut hæreticorum hominum more, qui vel omnem Religionem appellant superstitionem fanaticorum; vel nullam præter naturalem à superstitione vacare credunt; vel sacros Catholicæ Religionis ritus tamquam superstitiosos spernunt; ideoque in Hispanos tamquam adhuc barbaros in hac sæculi luce, & tamquam superstitiosos debacchantur; laudaturi, si ad impiam eorum cogitandi, & scribendi rationem accederent. Hispani autem si nullum aliud Indis attulissent bonum (attulerunt autem innumera, scientias, artes, ipsamque humanitatem, ablegata barbarie), quam Romanam, id est Catholicam Religionem, Catholicosque ritus, cumulatissimis illos affecissent muneribus; spiritualia enim bona ad æternam felicitatem proficientia, vera sunt hominis bona: terrena autem bona respectu illorum habenda sunt velut stercora. Utinam per tempus liceret, quam multa dicere possemus de Hispanorum zelo in evellendis impiis Indorum superstitionibus! Adeantur præ cæteris Concilia Mexicana, & Limana, præsertim sub S. Turibio, in Collect. Conc. Hisp. Card. Aguirre.

Alteram Montesquii accusationem jam falsitatis, & calumniæ plusquam satis convicimus. Videte autem ridiculum Montesquii loquendi modum: nam vel Indi, antequam in Hispanorum ditionem venirent, liberi erant; vel erant suorum dominorum mancipia. Si liberi, quomodo Hispani *ex eis mancipiis fecissent liberos*? non enim mancipia, sed liberi fuissent. Ad summum ergo in libertate conservare potuissent. Si autem mancipia erant, quomodo *liberos fecissent mancipia*? nam illi non fuissent liberi, sed mancipia; ideoque non libertatem illis eripuissent, sed in servitute confirmassent. Tam patentem contradictionem Montesquius non vidit.

Restat postrema accusatio de Indis *ab Hispanis minime instructis super immanitate humanorum sacrificiorum*. Qua quidem accusatione nihil esse potest calumniosius. Hispani siquidem adlaborarunt maxime, ut ejusmodi sacrificiorum immanitatem Indis ostenderent; atque in primis Cortesius; is enim à Montezuma, qui tunc Mexici præerat, postulavit, ut ab ea immanitate Mexicani abstinerent, minatus, ni abstinerent. Ex dictis igitur perspicuum est, accusationes Montesquii, similiumque hominum non veritate niti, sed aversione in Hispanos, quod summe sint Catholici.

nam eo anno die 12. Augusti obiit Salmanticæ, ubi primariam Cathedram moderabatur; cujus doctrina, ut apud Echardum nostrum Auctor ejus vitæ testatur, *apud Reges, & Principes tanti erat ponderis, ut in gravioribus ejus sententia, consiliumque avide peteretur.*

500 Ad primum jam responderat S. Thomas explicans Isaiæ verba in cit. c. 4. Ac primum ex Glossa, *quod non fuerunt tam magna bella, sicut ante. Unde in tempore Antichristi quamvis sit futura magna persequutio; tamen habebunt pacem magnam adinvicem, sicut fuit in tempore Diocletiani. Vel melius dicendum, quod referatur ad pacem factam per Christum, quæ complebitur in futuro.* Addimus ex eodem S. Thoma 3. p. q. 35. a. 8. ad 1. eo vaticinio non condemnari bellum justum, sed prædici pacem, quæ futura erat tempore, quo Christus natus fuit.

501 Ad secundum respondet S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 1. ad 2. præceptum illud Domini non resistendi malo, & præbendi sinistram ei, qui percusserit dexteram, dimittendique pallium ei, qui tulerit tunicam, servandum semper esse in præparatione animi, si opus fuerit. At vero multoties aliter est agendum vel propter bonum commune, vel etiam propter bonum illorum, cum quibus pugnatur. Hæc vera responsio est, qua utitur etiam S. Augustinus l. 1. de serm. Dom. in mont. c. 19. non ea, quam adhibet Grotius de jur. bel. & pac. l. 1. c. 2. §. 8. n. 3. seq. nimirum Christum iis verbis non alloqui Magistratus, sed eos qui impetuntur; nec de quavis injuria, & provocatione, sed tantum de alapa, & de provocatione ad ethnicos Magistratus. Præceptum enim Christi generale est, & Christianam patientiam respicit.

502 Ad tertium respondet S. Thomas in c. 12. Epist. ad Rom. lect. 3. priora verba Apostoli eodem modo intelligenda esse, quo verba Christi, scilicet de animi præparatione ad benefaciendum omnibus, & nemini malefaciendum ex affectu odii, aut vindictæ. Alterum vero Apostoli testimonium ad rem non facit: non enim ibi loquitur de armis militiæ corporalis, sed de armis militiæ spiritualis; cum qua tamen militia corporalis non pugnat, si bellum sit justum (1). Et eodem modo intelligendum est tertium Apostoli testimonium (2).

503 Ad quartum dicimus, Jacobum loqui de illis bellis, &

(1) Vide S. Thom. in c. 10. Epist. 2. ad Cor. lect. 1.
(2) Vide eumdem in cap. 6. Epist. ad Ephes. lect. 3.

litibus, quæ ortum habent ex causis injustis. Hæc autem & nos reprobamus.

504 Ad quintum respondet S. Thomas (1) post S. Augu-»stinum (2): Ille accipit gladium, qui nulla superiore, aut le-»gitima potestate aut jubente, vel concedente, in sanguinem »alicujus armatur. Qui vero ex auctoritate Principis, vel Ju-»dicis (si sit persona privata), vel ex zelo justitiæ, quasi »ex auctoritate Dei (si sit persona publica), gladio uti-»tur, non ipse accipit gladium, sed ab alio sibi commis-»so utitur«.

505 Ad sextum sunt qui respondent, Nicæno Canone eos pœnitentiæ addici, qui ob fidei confessionem privati fuerant cingulo militari, & postea illud repetebant, parati fidem negare. Ita Canonem explicarunt Zonaras, Balsamon, & Ruffinus. At vero Albaspinæus (3) putat, eo Canone *designari lapsos pœnitentes, quos benedictione percepta, posthabitaque rerum omnium, ac munerum militarium, & fori cura, ac cogitatione, voti postea pœnituisset.*

ARTICULUS V.

Utrum servitus sit contra jus naturæ.

506 De servitute *personali* loquimur, non de *reali*, qua res unius alteri servire dicitur, veluti si unius prædium alterius prædio serviat, quia alter jus habet transeundi per illud. Cum autem jus naturæ dominia rerum non interdicat, nec interdicit servitutem realem, quæ rem ipsam sequitur.

507 Est autem servitus personalis duplex, altera *perfecta*, altera *imperfecta*. Atque imperfecta quidem, quæ *famulatus* dici solet, nihil est aliud, quam contractus quidam inter famulum, & dominum, cui ille suas operas locat sub certa mercede, quin tamen desinat esse sui juris, ac dicitur *famulus*. Servitus autem perfecta dicitur illa, qua quis manet perpetuo alteri ita mancipatus, ut *hoc ipsum quod est, sit alterius*

(1) 2. 2. q. 40. a. 1. ad 1.
(2) L. 22. cont. Faustum c. 70.
(3) In not. ad Can. 12. Conc. Nicæni I. Tom. 2. Conc. Labbæi pag. 78.

(1): & hujusmodi servi vocantur *mancipia*. De servitute imperfecta nemo dubitat, eam non esse vetitam jure naturæ; est enim merus contractus, *do, ut facias, & facio, ut des*, nec adimit famulo libertatem politicam (2).

508 Servi item alii sunt *ex natura*, alii *ex lege*. Atque ex natura quidem, ut S. Thomas advertit (3), ille dicitur servus, *qui non potest regi nisi ab alio*; sive, ut idem S. Doctor exponit (4): »Ille est naturaliter servus, qui habet aptitudinem naturalem, ut sit alterius, inquantum scilicet non »potest regi propria ratione, per quam homo est dominus sui, »sed solum ratione alterius: propter quod naturaliter alterius »est quasi servus«. Verum hæc servitus neque proprie mancipationem præ se fert, neque effectus habet propriæ servitutis; & idcirco S. Thomas ait, ejusmodi servos esse *quasi servos*. Ex lege autem servi dicuntur, qui vel capti sunt in bello justo; vel nascuntur ex servis; vel ad servitutem juste sunt condemnati; vel pretio se vendiderunt, fueruntque empti: ideoque servi alii sunt *jure belli*; alii *nativitate*; alii *condemnatione*; alii *venditione*, & *emptione*.

509 Videtur autem servitus legalis esse prohibita jure naturæ (5),

---

(1) Ita S. Thomas 1. Polit. lect. 2. Grotius autem de jur. bel. & pac. l. 2. c. 5. §. 30. putat, servitutem imperfectam esse *in diem, aut sub conditione, aut ad res certas*. Pufendorfius etiam l. 2. de offic. hom. & civ. c. 4. §. 2. vocat ejusmodi servos *mercenarios temporarios*. Falluntur vero: nam famuli etiamsi famulatui perpetuo, & absque ulla conditione, & ad quascumque res sese domino addicant; dummodo eis competat facultas disponendi in cæteris de suis juribus, veri famuli sunt, non autem mancipia. Itaque famuli à mancipiis hoc tantum discrimine differunt, quod illi remanent sui juris, hæc vero secus.

(2) Hoc genere servitutis Jacob servivit Labano quatuordecim annis, ut dicitur Gen. 29. Non enim verus servus fuit Labani, cum jura sua non amiserit serviendo.

(3) 1. Polit. lect. 2.

(4) Ibid. lect. 3.

(5) Genuensis l. 2. de offic. c. 4. §. 5. autumat, licere quidem pauperi se tradere in servitutem, si non habeat unde vitam toleret; idemque licere capto in bello, ne trucidetur: nemini autem licere eos accipere sub servitutem obnoxiam. » Accipere, *inquit*, alterum sub ob»noxiam servitutem, modo priorem causam exceperis (*nimirum si quis stupido & servili præditus sit ingenio, ut nequeat ipse sese rege»re, vitamque servare*), non solum jura humanitatis, sed ipsius ju-

1. quia hæc servitus definitur (1): *Constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur* (2). Sed quod est contra naturam, interdicitur jure naturæ. Servitus ergo legalis est contra jus naturæ.

510 II. Libertas, & ingenuitas est jus inseparabile à natura, quæ se regere scit, & potest (3). At vero per servitutem, qua quis alteri mancipatur, amittitur libertas, & ingenuitas. Agitur ergo contra naturæ jus.

511 III. Homines naturali jure nascuntur liberi, atque hac libertate cæteris animantibus præstant. Nullum autem positivum jus derogare potest juri naturali. Non potuit ergo servitus ullo positivo jure induci.

512 IV. Cum primum homo creatus fuit, dominium à Deo accepit supra cæteras creaturas ipsi inferiores, non autem prælatus fuit aliis hominibus. Lex etiam Christiana omnem obnoxiam servitutem abstulit; quomodo enim permitterentur esse servi ii, quos Christus libertate donavit? Servitus ergo est etiam contra jus Divinum.

513 V. Ut Montesquius advertit (4), ideo opinatum est, posse victorem in bello captivos servituti subjicere, quia victor poterat eos occidere. Atqui peracto bello, victor non habet amplius occidendi jus, cum sit extra statum justæ defensionis, propriæque conservationis. Igitur nec jus habet redi-

---

» stitiæ prohibere, censeo. . . . Quare leges Romanorum, reliquorum-» que populorum, quæ hanc servitutem firmant, belluinas esse, & » naturæ adversas, non dubito; satisque demonstravit auctor operis illustris *L'esprit des loix* «. Videte, quam fidenter is homo leges universorum populorum, quæ servitutem legalem probant, ut *belluinas* traducit. Anne belluinæ etiam, & naturæ adversæ fuerunt leges populi Judæorum, de quibus paulo post dicemus? Aguntne etiam *belluino* more, & naturæ violant jura Catholici Principes, & Respublicæ, cum piratas subjiciunt servituti obnoxiæ?

(1) Inst. de jur. person. §. *servitus.*

(2) Hanc definitionem reprobans Genuensis l. 1. de offic. c. 11. §. 1. ait, servitutem potius dici debuisse *jus potentiorum adversus imbecilliores.* Additque: » Quale igitur est istiusmodi jus, quod cum » natura pugnat «? At nihil dixit novi; jam enim Sotus l. 4. de just. & jur. q. 2. a. 2. eadem scripserat objiciendo. Et multo jam ante à S. Thoma in 4. dist. 36. a. 1. arg. 2. eadem objectio proposita fuerat.

(3) Genuensis ib. l. 2. c. 4. §. 5.

(4) L'esprit des loix l. 10. c. 3. & l. 15. c. 2. sqq.

gendi captivos in servitutem. Præterea falsum est, hominem liberum posse se vendere : nam venditio supponit pretium: mancipium autem vendens se transiret cum omnibus suis bonis in proprietatem domini. Dominus ergo ipsum emens nihil daret, nec mancipium quidquam acciperet. Insuper nemini licet se occidere; ergo nec suam vendere libertatem. Ad hæc libertas cujusque civis pars est libertatis publicæ; non licet ergo cuiquam suam vendere libertatem, quæ nullo æstimari pretio potest; ideoque lex civilis, quæ dirimit contractus ob læsionem enormem, multo magis debet dirimere hunc venditionis contractum, qui continet læsionem omnium enormissimam. Denique servitus æque opponitur juri civili, ac naturali; quæ enim lex civilis interdicere posset, ne mancipium fugeret, si mancipia ad societatem civilem non pertinerent, neque proinde ad leges civiles? Videtur ergo jus servitutis potius oriri ex contemptu, quo una natio aliam despicit; vel ex religione, à qua nonnulli putant jus dari redigendi in servitutem eos, qui illam non profitentur. Vera item origo servitutis est dominium despoticum in plerisque regionibus vigens, cujus ut evadant tyrannidem, homines liberi qui resistendi vim non habent, malunt se addicere servituti. Accedit conditio climatis nonnullarum regionum, in quibus calor debilitat corpus, nec homines ad laborem inducuntur nisi propter timorem, quæ quidem conditio minus displicere servitutem facit. Hactenus Montesquius.

Prop. *Servitus legalis* I. *sive jure belli justi*, II. *sive jure nativitatis*, III. *sive ratione justæ condemnationis*, IV. *sive titulo venditionis, & emptionis licita est, nec opponitur juri naturæ.*

514 Prob. 1. p. In bello justo omnia licent contra hostes invadentes, ideoque & licet eos occidere. Vel ergo hostes durante pugna victori se tradunt; & planum est, se tradere, ne occidantur: & cum bellum ex parte eorum supponatur injustum, in culpa sunt, quæ pœnam meretur. Vel non se tradunt, sed à victore superantur; & multo magis in culpa sunt, isque potuisset, etiam post eos superatos, pugnam contra eos in pœnam obstinationis continuare, & potest alteri pœnæ subjicere. Quod ergo eos servet (1), & servituti subjiciat,

(1) Hinc servitus à *servando* dicta est, sicut mancipium à *manu capere*. Vide Inst. de jur. person.

potius ex indulgentia, & misericordia est; posset enim persequi usque ad internecionem (1). Jam vero cuique licet ob vitam servandam libertatem amittere, servitutique sese subjicere: nam vita bonum est libertate præstantius. Vitam vero donare illi, quem potuissem licite occidere, non solum non pugnat cum jure naturæ, sed apprime ipsi conforme est. Congruit etiam eidem juri, ut delinquentes debita pœna plectantur: servitus autem pœna est in delinquentes statuta. Licita est igitur servitus legalis ex bello justo, nec juri naturæ adversatur. Hinc 2. Pet. 2. v. 19. dicitur: *A quo quis superatus est, hujus & servus est.* Quare qui hoc servitutis genus illicitum, & contra jus naturæ esse putant, videntur Apostolicæ adversari sententiæ. Obtinuit quidem inter Christianos consuetudo, ne Christiani in bello capti serviant ut mancipia (2). Sed non propterea dici potest, servitutem ex bello justo opponi naturali juri, & à lege Christiana fuisse sublatam (3); etenim & ipsi Christiani, si contra infideles justa gerant bella, eos captivos servituti subjiciunt. Rationem præfatam paucis verbis tradit S. Thomas (4) cum scribit: *Servitus in pœnam peccati introducta est.* Ex peccato enim pugnantium in bello, quod ex parte ipsorum injustum est, oritur, ut eis debeatur servitutis pœna, sive tradant sese victori, sive ab eo capiantur. Itaque servitus semper est justa, nisi forte ex pacto cum

(1) Longe aberravit Montesquius loc. cit. ajens, jus servitutis derivatum fuisse à jure occidendi, destruendique Societatem victam; nemo enim Christianus Scriptor dixit, licere victori integram Societatem victam occidere; multi enim in ea sunt innocentes: hos autem occidere nefarium est.

(2) Vide Bartol. in l. Hostes de capt. & postlim. revers.

(3) *Omnem obnoxiam servitutem fuisse à Christiana lege sublatam*, scribit Genuensis loc. cit. ac monet, ut videatur S. Ambrosius l. 2. *de Officiis Christianorum*, nullo indicato capite. Agnosce Genuensis eruditionem. Quinam sunt ii libri à S. Ambrosio scripti *de Officiis Christianorum*? Maurini Patres repererunt, in superioribus editt. & in nonnullis recentioribus Mss. desiderari vocem *Ministrorum*, quam ipsi restituerunt; nullibi vero repererunt vocem *Christianorum*. Et sane libri illi unice tendunt ad instructionem *Ministrorum*. Nihil autem exstat in eo lib. quod ad servitutem directe pertineat. De hac loquitur S. Ambrosius Epist. 37. clas. 1. multaque habet ad rem nostram apprime facientia. Quod vero servitus non fuerit sublata à lege Christiana, constat ex cit. S. Petri testimonio, & ex Apostolo Paulo, ut paulo post dicemus.

(4) Loc. cit. ad 2.

victore hostes conveniant, ne eos servituti faciat obnoxios; tunc enim pacto standum est. Sublimem S. Thomæ rationem si Genuensis legisset, abstinuisset fortasse à proscindendis, tamquam *belluinis*, legibus hanc servitutem firmantibus. Sed Doctores, quos Genuensis præ manibus habebat, & consectabatur, erant Grotii, Pufendorfii, Montesquii, aliique similes, qui tam alte videre nequiverant.

515 Prob. 2. p. Servi hoc ipsum quod sunt, alterius sunt ex jam dictis (1); ideoque quidquid ex eis provenit, ad dominos ipsorum spectat. Proveniunt autem filii ex parentibus. Si ergo parentes sint mancipia, & filii eorum nascuntur mancipia. Dantur ergo mancipia ex nativitate. Nec talis eorum servitus est contra jus naturæ: nam si parentum servitus non pugnat cum jure naturæ, ut demonstratum est (2), nec pugnare debet servitus filiorum, qui naturaliter ex parentibus proveniunt (3). Id certum est, si uterque parens sit servus. Quod si unus parentum servus sit, alter liber; Romano jure statuitur (4), *partum ancillæ matris sequi conditionem, nec statum patris in hac specie considerari.* Cujus legis æquitatem ostendit S. Thomas (5) scribens: » Secundum leges civiles »partus sequitur ventrem, & hoc rationabiliter, quia proles »habet à patre complementum formale, sed à matre substan»tiam corporis. Servitus autem corporalis conditio est, cum »servus sit quasi instrumentum domini in operando; & ideo »proles in libertate, & servitute sequitur matrem ... In qui»busdam tamen terris, quæ jure civili (*Romano*) non regun»tur, partus sequitur deteriorem conditionem (6) ... tamen non »est credibile, quod talis consuetudo possit esse ita ratio»nabilis, sicut illud quod multorum sapientium diuturno stu-

---

(1) §. 507. (2) §. præced.

(3) Sic apud Hebræos Divina lege sancitum erat Exodi 21. v. 4. ubi de servo dicitur: *Sin autem dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi ejus erunt domini sui.* Quibus verbis non solum ostenditur, liberos servorum esse servos, nec id pugnare cum jure naturæ; sed etiam liberos sequi in servitute conditionem matris.

(4) L. 7. ff. de rei vindicat. & l. 42. ff. de liber. causa.

(5) In 4. d. 36. q 1. a. 3.

(6) Talis consuetudo vigebat apud Longobardos, & Saxones, & apud Wisigothos in Hispania. Vide Speculum Sax. 1. 16. & c. ult. caus. 32. quæst. 4.

»dio determinatum est (1). Hoc etiam in naturalibus inveni»tur, quod receptum est in recipiente per modum recipien»tis, & non per modum dantis; & ideo rationabile est, quod »semen receptum in muliere ad conditionem ipsius tra»hatur«.

516 Tertia prop. pars omni vacat dubio: nam si Judex potest reum criminis ad mortem damnare, multo magis ad servitutem (2).

517 De servitute emptitia, de qua in postrema prop. parte, quod non adversetur juri naturæ, constat, quia ejusmodi servitutis usus erat apud Hebræos. Nam Ex. 12. v. 44. dicitur: *Omnis servus emptitius circumcidetur, & sic comedet.* Et c. 21. v. 2. sqq. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi... Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum* (3), *& uxorem ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus diis* (id est Judicibus populi), *& applicabitur ad ostium, & postes, perforabitque aurem ejus subula: & erit ei servus in sæculum.* Et Levit. 25. v. 39. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes ser-*

---

(1) Grotius de jur. bel. & pac. l. 2. c. 5. §. 29. post multas in not. laudatas consuetudines & leges in hoc genere: » Has »leges, *inquit*, à civili Romana discrepantes juri naturæ non re»pugnare, agnoscit Thomas Aquinas«. Agnovit quidem Thomas, juri naturæ eas non repugnare; sed tamen ait, atque ostendit, illas non esse *ita rationabiles*, ut lex Romana, quam dixit *rationabiliter* præcipere, ut *partus sequatur ventrem*, contra ac docet Grotius ib. cum ait, hanc legem *juri naturali non satis congruere.* Quodque mirum est, probatione utitur, quam pridem S. Thomas ut inutilem habuit.

(2) Ad hoc servitutis genus reducitur servitus imperfecta *nexorum*, id est eorum, qui ære alieno gravati suas creditoribus præstant operas sive sponte, sive ex Judicis sententia; & *addictorum*, qui ex sententia Judicis addicuntur alicujus servitio.

(3) Hæc Scripturæ verba ostendunt, quantopere deceptus sit Genuensis, dum loc. cit. §. 6. nullo facto discrimine ait: » Do»mestici servi in hostium numero sunt habendi, tanto nocentio»res, quanto clandestini«. Non ita loquebatur Apostolus scribens ad Ephes. 6. v. 5. sqq. » Servi obedite dominis carnalibus »cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri... Et vos domini »eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia & illorum, & »vester Dominus est in cœlis«. Genuensis autem vult, ut domini habeant servos tamquam hostes.

vitute famulorum. Et v. 44. *Servus & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt . . . Et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum* (1). Constat præterea, quia cum homo sit dominus suæ libertatis civilis, ejus usum potest vendere, emptorque ejus dominus evadit. Requiritur tamen justa causa; nemini siquidem licet absque causa legitima privare se magno bono, cujusmodi est libertas civilis. Talis causa est magna paupertas, si scilicet nullus alius præsto sit vivendi modus. Qua ex causa licet quoque parentibus, spectato jure naturæ, vendere filios (2); vita enim pretiosior est libertate civili. Non videtur tamen legitima causa, se in servitutem tradere ad æs alienum solvendum. Multoque minus licitum esse potest commercium Æthiopum, qui transducuntur, ut vendantur, nisi forte vel ipsi, vel eorum parentes egestate pressi libere vendiderint. Nam illos vel furari, vel fraudibus pellicere, aut compellere, injustum est; neque sic capti mancipia evadunt, etiamsi ab aliis empti fuerint soluto pretio; sed omnino manumittendi sunt tamquam liberi, quamquam nulla sit spes pretii soluti recuperandi (3).

518 Ad primum respondemus cum S. Thoma (4), servi-

---

(1) Falso scribit Lockius de civ. Gubern. c. 3. servos emptitios apud Hebræos non mancipia, sed tantum famulos fuisse. Aurium perforatio etiam apud Gentiles signum erat servitutis mancipiorum. Vide Juvenalem sat. 1. & Plutarchum in apophthegm.

(2) Diximus *spectato jure naturæ*: nam inter Christianos jamdiu obsolevit mos vendendi seipsum in servum. Neque enim servitus *adscriptorum glebæ*, sive colonorum terræ addictorum, qui cum agro mutant dominum, servitus est veri nominis, & perfecta, ut Grotius ipse concedit loc. cit. Nam istiusmodi servitus non efficit, ut coloni revera non sint sui juris quoad reliqua, hoc tantum excepto, quod debeant semper eamdem colere terram quam incolunt, nec possint ad aliam transire invito domino. Quod causa boni communis in nonnullis regionibus factum est, ne terræ iacultæ remanerent. Erravit igitur Genuensis, cum loc. cit. §§. 5. & 7. & in notis subj. hanc imperfectam servitutis speciem in plebejis, paganisque Poloniæ & Germaniæ reprobavit tamquam dissonam à Christiana lege, & tendentem ad Reipublicæ perniciem. Macte: nonne de integris Nationibus optime is Philosophus meretur?

(3) Vide Sotum loc. cit.

(4) In 4. d. 36. a. 1. ad 2. » Nihil prohibet, esse aliquid con-

tutem esse quidem contra primam intentionem naturæ, quæ hominem constituit liberum; non tamen esse contra secundam intentionem naturæ, quia natura etiam inclinat, ut inferatur pœna peccanti, utque homo vitam conservet meliori quo potest modo. Jus ergo gentium, quo servitus ex bello justo constituitur, est quidem contra primam intentionem naturæ constituentis hominem liberum, non autem contra secundam intentionem naturæ volentis pœnam peccati. Videat Genuensis, qua ratione dari possit jus gentium contra naturam, desinatque obstrepere, quod servitus ex bello justo sit potius *jus potentiorum adversus imbecilliores*; quasi universi Bellatores in sententiam impiam iverint Hobbesii metientis justum ex potentia fortioris.

519 Ad secundum negamus majorem, quæ est unicum Genuensis principium; dictum est enim (1), hominem esse dominum suæ libertatis, non quidem ut eam sine causa profundat, sed ut eam insumat in causas justas, præsertim in vitæ conservationem.

520 Ad tertium responsio patet ex dictis (2); non enim jus positivum derogavit juri naturali; sed ipsum jus naturale, ut advertit Angelicus (3), dictans, pœnam esse pro culpa in-

---

» tra naturam, quantum ad primam intentionem ipsius, quod non est » contra naturam quantum ad secundam ejus intentionem: sicut omnis » corruptio, & defectus, & senium est contra naturam, quia na» tura intendit esse, & perfectionem; non tamen est contra secun» dam intentionem naturæ, quia ex quo natura non potest conserva» re esse in uno, conservat in altero quod generatur ex corruptione » alterius: & quando natura non potest perducere ad majorem per» fectionem, inducit ad minorem .... Similiter etiam dico, quod » servitus est contra primam intentionem naturæ, sed non est con» tra secundam, quia naturalis ratio ad hoc inclinat, & hoc appe» tit natura, ut quilibet sit bonus: sed ex quo aliquis peccat, natu» ra etiam inclinat, ut ex peccato pœnam reportet, & sic servitus in » pœnam peccati introducta est. Nec est inconveniens, aliquid natura» le per hoc quod est contra naturam, hoc modo impediri; sic enim » matrimonium impeditur per impotentiam coeundi, quæ est contra » naturam modo prædicto «. Sublimiorem, verioremque doctrinam in Recentiorum nemine, qui de jure naturæ, & gentium scripsit, reperietis umquam.

(1) §. 517. (2) §. 518.

(3) Loc. cit. ad 3. » Jus, *inquit*, naturale dictat, quod pœna » sit pro culpa infligenda ... sed determinare pœnam secundum con-

fligendam, est illud à quo proficiscitur servitus; quamvis determinatio hujus pœnæ sit à jure positivo. Idem S. Doctor altius assurgens docet (1), libertatem legalem, cui opponitur servitus, non ideo esse de jure naturæ, quasi sit à natura hominibus præcepta; sed quia non est inducta à natura, sicut nec rerum divisio est natura inducta, nec tamen est à natura prohibita. Quemadmodum ergo jus positivum inducendo rerum divisionem non derogavit juri naturali, secundum quod omnia sunt communia, quia jus illud non *præceptivum*, sed *permissivum* erat; ita inducendo servitutem nec derogavit juri naturali, secundum quod homo nascitur liber, quia hoc jus non est *præceptivum*, sed *permissivum*.

521 Et per hæc patet responsio ad priorem partem quarti argumenti, quæ si quid concluderet, probaret etiam, quamcumque prælationem esse inter homines interdictam. Quod vero ad alteram pertinet partem; negamus etiam atque etiam, Christiana lege omnem obnoxiam servitutem esse sublatam, licet inter Christianos laudabili consuetudine inductum sit, ne captivi Christiani in bello servituti subjiciantur, ut dictum est (2). *Unusquisque*, ajebat Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 20. sqq. *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? Non sit tibi curæ.* Hoc est, ut explicat Angelicus ibid. lect. 4. »ut velis servitutem effugere. Unde Onesimum servum Phi»lemonis, qui ad eum confugerat, cum precibus remittit ad »dominum«. *sed & si potes fieri liber, magis utere.* Id est,

»ditionem personæ, & culpæ, est juris positivi; & ideo servi»tus, quæ est quædam pœna determinata, est de jure positi»vo, & à naturali proficiscitur sicut determinatum ab indetermi»nato«.

(1) 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3. »Aliquid dicitur esse de jure na»turali duplicite«. Uno modo quia ad hoc natura inclinat: sicut non »esse injuriam alteri faciendam. Alio modo, quia natura non in»ducit contrarium: sicut possemus dicere, quod hominem esse nu»dum, est de jure naturali, quia natura non dedit ei vestitum, »sed ars adinvenit. Et hoc modo communis omnium posses»sio, & omnium una libertas dicitur esse de jure naturali, quia »scilicet distinctio possessionum, & servitus non sunt inductæ à »natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vi»tæ«. En paucis dissipatum unicum principium, cui tantopere fidunt recentiores Pseudo-Jurispublicistæ, qui ubique crepant libertatem naturalem.

(2) §. 514.

ut ibid. Thomas explicat „ maneas in servitute, quia causa „est humilitatis“. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini.* Nimirum, ut idem Thomas interpretatur: „qui „in fide Domini vocatus est servus servitute corporali, liber„tus est Domini, quia scilicet à Domino manumissus, liber „est libertate spirituali“. Hac enim libertate Christus nos donavit, ut liberati à peccato, servi autem facti Deo, haberemus fructum nostrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam, ut ipsemet Apostolus ait ad Rom. 6. v. 22. Itaque tantum abest, ut servitutem corporalem lex Christiana abstulerit, quin Apostolus hortetur servos ad fidem conversos, ut maneant servi, etiamsi possint à servitute sese vindicare.

522 Ad quintum respondemus, primam Montesquii rationem esse purum putumque sophisma; transit enim à statu belli ad statum rerum peracto bello. Captivi enim non fiunt post bellum peractum, sed in ipso belli furore; ideoque non post bellum, sed in ipso durante bello servituti subjiciuntur Bello autem durante victor habet jus occidendi: quare quod captivos servet, ex indulgentia est. Nec minus futilis est altera ratio; falsum est enim, dominum, dum emit illum, qui se vendit in ejus servum, nihil ipsi dare: nam in seipsum adsumit onus præstandi servo quidquid necesse est ad vitam; servus vero onus adsumit præstandi domino operas. Quare dominus revera emit, & servus revera vendit, licet omnia quæ sunt servi, pertineant ad proprietatem domini. Multo infirmior est tertia ratio; nemo enim est dominus suæ vitæ, ut est dominus suæ libertatis. Quarta ratio paralogismus est; transit enim à toto ad partem, neque proinde concludit; perinde ac si quis diceret: non licet Principi occidere omnes regni incolas, ergo nec licet occidere malefactores, quia hi sunt partes Regni. Etsi vero libertas nullo æstimari pretio possit; qui tamen eam vendit, non tam vendit libertatem, quam operas suas, ut suæ subveniat indigentiæ, transferatque in dominum ementem onus suppeditandi victum, cæteraque necessaria ad vitam honeste transigendam; ideoque nulla est ibi enormis læsio. In postrema autem Montesquii ratione paralogismus enormior est; supponitur enim, mancipium nullo modo pertinere ad societatem civilem: quod plane falsum est: nam licet mancipia non gaudeant juribus, quibus liberi gaudent; iis enim vel libere cesserunt, vel juste privati sunt; nihilominus subsunt quoad reliqua legibus civilibus, quæ propterea sicut ob alia delicta, ita & ob fugam, si eam intentent, possunt illis pœ-

nas infligere. Quæ autem à Montesquio assignantur servituti origines, sunt plane contra legem naturæ: nam contemptus, quo una natio aliam despicit, prohibetur lege naturæ præcipientis mutuum amorem. Religio jus non præstat redigendi in servitutem; vehementerque calumniatur Montesquius, dum Hispanis affingit, quod Americanos ex hoc Religionis jure servituti subjecerint, ut jam satis ostensum est; imponitque Solisio, & Garcilasso de la Vega, dum eos in testes vocat: nihil enim tale scripserunt. Dominium quoque despoticum nihilo minus à natura respuitur in Rebuspublicis, Regnisque politicis, quæ sunt congregationes liberorum, atque adeo neque hæc potest esse vera, ac licita servitutis origo. Conditio denique climatis nec licitam efficere servitutem potest, si semel hæc constituatur illicita.

QUÆSTIO VII.

De Officiis hominis generatim.

523 Doctrinis compendio traditis, quæ ad jus naturæ, & gentium visæ sunt pertinere, ad hominis officia progredimur: hæc enim ad jura sunt componenda. De officiis autem agemus primum generatim, deinde ad eorum transibimus species. De officiis porro generatim acturi, quæremus 1. an officia sint ex honestate, vel ex utilitate, aut voluptate ducenda? 2. an officia ex honestate ducta sint virtutum actus? 3. an officia, ut sint virtutum actus, debeant esse ab omni passione immunia?

ARTICULUS I.

Utrum hominum officia ex sola honestate, an vero ex utilitate, & voluptate sint ducenda.

524 Officium ab efficiendo dictum esse, advertunt SS. Ambrosius (1), Augustinus (2), & Thomas (3). Illud Stoici (4),

(1) L. 1. de offic. c. 8.
(2) In Psalm. 118. serm. 12. num. 2.
(3) 2. 2. q. 183. a. 3.
(4) De officiis tractarunt præ cæteris Stoici. Vide Laertium l. 7.

si perfectum esset, vocabant κατόρθωμα, id est, rectum, & cum virtute factum; si vero imperfectum esset, καθῆκον, quasi *consentaneum* (1). Definiebant proinde Stoici officium quidem perfectum, *id quod rectum sit*; medium autem officium, id *quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit* (2), ut Cicero refert (3). Verum minus accurate: nam, ut S. Augustinus (4) ait: *Officium nostrum non officio, sed fine pensandum est: ut scilicet non tantum si bonum est quod facimus, sed præcipue si bonum est propter quod facimus, cogitemus.* Et rursus (5): » Noveris, non officiis, sed finibus à vitiis discernen»das esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; »finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit ho»mo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc »facit propter quod facere debet, peccare convincitur (6)«. Nomine igitur officii intelligitur *id quod faciendum est*, sive ex debito *stricti juris*, sive ex debito *convenientiæ*; ideoque ministeria ad aliquid faciendum officia dicuntur (7). Quod autem dicitur de eo quod faciendum est, dicitur quoque de eo quod est omittendum. Itaque officium definiri potest: *Id quod ad legis normam faciendum, vel omittendum est.* Necesse autem non est, ut officium sit lege præceptum, ut quis vere dicatur officium facere, modo à nulla lege pro-

---

& Stobæum in Eclog. Ethic. Eos imitatus fuit Cicero, editis libris de officiis. At vero S. Ambrosius libros quoque de Officiis scripsit, sed ad sacros Ecclesiæ Ministros, ad eorum munera, & vivendi rationem accommodatos.

(1) Cicero Epist. 6. ad Attic. l. 16. » Non dubito, quin »καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliter. Sed inscriptio plenior de »officiis «.

(2) Fallitur Heineccius cum de jur. nat. & gent. l. 1. §. 120. ait, officii definitionem Stoicam esse illam, quam hic describimus; hæc enim non quodlibet officium, sed *medium* tantummodo respiciebat.

(3) L. 1. de offic. (4) Loc. cit.

(5) L. 4. cont. Julian. c. 3. (6) Vide quæ diximus §. 226. sqq.

(7) Veteres officia distinguebant à beneficiis, & ministeriis, ita ut beneficia essent erga alienos; officia erga personas necessitudine conjunctas; ministeria essent servorum. Vide Senecam lib. 3. de Benef. c. 18. Nos autem officium ampliori significatione accipimus. Quare S. Thomas l. 1. cont. Gent. c. 1. agens de officio sapientis, ait, duplex ejus esse officium, scilicet veritatem divinam meditatam eloqui, & errores contra veritatem impugnare.

hibeatur, & natura sua sit legi conforme. Nam si opera præcepta tantummodo essent officia, à numero officiorum excludenda forent opera consilii, quæ tamen sunt officia præstantiora, ut S. Ambrosius (1) ostendit, confirmabantque Stoici (2), qui opera præstantiora sapientis ad officia perfecta pertinere dicebant (3).

---

(1) Loc. cit. cap. 11.

(2) Vide Tullium l. 3. de offic.

(3) Cum Heineccius l. 1. de jur. nat. & gent. §. 120. constituisset, officium esse actionem, ex obligatione sive perfecta, sive imperfecta, legibus conformandam; statim §. 121. infert, *officium concipi non posse sine lege, nec officium facere, qui sibi ipsi, quod nulla lex præcipit, imperat: cessare aliquid esse officii, sublata, quæ illud antea præcipiebat, lege, ejusque ratione.* En paucis exclusa opera consilii è numero officiorum: nam si officium nemo facere potest, ubi nulla lex *præcipit*; qui castitatem vovent; qui Monasticum amplectuntur statum; qui cætera consilii exequuntur opera, nullum faciunt officium; illa enim faciunt nulla lege precipiente. Nullum ergo officium Deo præstant, qui consilii opera faciunt. Unde vero Heineccius rescivit, oportere, ut officium ex *præcepti* obligatione derivetur? Negabitne, officium mihi præstare illum, qui beneficio, cujus non sum indigus, me devincit? Et nihilominus nulla hic adest lex *præcipiens*. Sed expendamus exempla, quibus Heineccius propositiones illustrat suas. Primum desumitur ex facto Origenis, qui se deviravit. Nullumne aliud erat exemplum? sed talis est hæreticorum mos veteres Doctores illudendi. Quid autem probat factum Origenis, qui se devirans, non fecit quod nulla lex præcipiebat, sed fecit quod lex naturæ vetabat? Quomodo præstare officium Deo poterat is, qui violabat naturæ legem? Alterum exemplum accipitur ex Christiano, *qui vel circumcisionis legem accipere, vel Deum sacrificiis propitiare velit, quamvis utrumque olim ad fidelium officium pertineret.* Malum! quid hoc exemplum? Lex circumcisionis in nova Lege mortifera est, & similiter leges carnalium sacrificiorum, quæ Judæis fuerant constituta. Quis poterit officia Deo exhibere per opera mortifera? An Deus delectatur peccatis? Sed notate, Heineccium non loqui tantum de Judæorum sacrificiis, sed universim de sacrificiis, ad mentem plane hæreticorum, qui sacrificium incruentum à nova Lege rejiciunt. Tertium exemplum est de Episcopis, si munus Judicis accipiant, quos ἀλλοτριεπισκόπους reos facit. Citat Epist. 1. S. Petri c. 4. v. 15. quo loco Petrus ne à longe quidem Episcopos tamquam judices respicit; ait enim: *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Quid hæc cum judicio Episcoporum? An reus usurpati judicii constitue-

525 Jam vero honestum, ut inquit Cicero (1), propter se appetitur, & consistit in conformitate cum recta ratione: utile autem appetitur propter aliud. Delectabile vero licet appetatur propter se, si tamen non sit conveniens homini secundum rectam rationem, deficit ab honestate (2). Hinc vero infert Angelicus (3), honestum esse idem ac virtus: operari enim secundum virtutem, est operari secundum rectam rationem. Infert quoque (4), honestum idem esse ac spirituale decus: nam sicut *pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate, ita pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis, sive actio ejus sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem* (5).

326 Hominis officia non ex honestate, sed ex utilitate, aut voluptate ducenda esse, docuerunt olim Cyrenaici, & Epicurei, qui summum bonum in rebus exterioribus, & corporis voluptatibus constituebant, ut supra dictum est (6). Eos sequuntur universi increduli recentiores, præsertim vero Spinoza (7), Hobbesius (8), & Auctor system. nat. (9). His autem præiverat Nicolaus Macchiavellus (10), qui Principi solam utilitatem sectandam proposuit, eidemque utilitati dixit esse posthabendam fidem, justitiam, religionem, cæterasque virtutes, si cum eo quod interest, componi nequeant; simulandas vero esse virtutes, si ita utilitas postulet.

527 Videtur autem ita dicendum, 1. quia, ut Spinoza

---

tur Apostolus, propterea quod 1. ad Cor. 6. v. 3. scribit: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Et 2. ad Cor. 13. v. 10. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi?* Heineccius autem postquam dixit, officium sine lege præcipiente concipi non posse, & cessare aliquid esse officii sublata lege præcipiente, statim §. 122. dividit officium in *perfectum*, quod est ex legis obligatione; & *imperfectum*, quod est ex virtute. Quis umquam vidit hominem tam aperte sibi contradicentem?

(1) Lib. 2. de Invent.
(2) Vide S. Thomam 2. 2. q. 145. a. 3.
(3) Ibid. a. 1. (4) Ibid. a. 2.
(5) Vide S. August. l. 83. qq. q. 30.
(6) §. 72. (7) Tract. theol. polit. c. 16.
(8) De Cive c. 1. §. 10.
(9) Tom. 1. c. 15.
(10) In l. de Principe c. 18.

ait (1): »Non omnes naturaliter determinati sunt ad operandum secundum regulas, & leges rationis, sed contra, omnes ignari omnium rerum nascuntur, & antequam veram vivendi rationem noscere possint, & virtutis habitum acquirere, magna ætatis pars, etsi bene educati fuerint, transit; & nihilominus interim vivere tenentur, seque, quantum in se est, conservare, nempe ex solo appetitus impulsu: quandoquidem natura iis nihil aliud dedit, & actualem potentiam ex sana ratione vivendi denegavit... Quidquid itaque unusquisque, qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi utile, vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetere, & quacumque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocumque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet (2)«.

528 II. Ex Hobbesio (3) »Quæcumque quis voluerit, ideo bona sibi videntur, quia ea vult, possuntque vel conducere ad sui conservationem, vel saltem conducere videri... Jure autem naturæ sunt, & habentur, quæ necessario conducunt ad tuitionem vitæ, & membrorum. Sequitur ergo, in statu naturæ mensuram juris esse utilitatem«.

529 III. Ex Auctore syst. nat. (4) Utile est, quod ad felicitatem confert. Quilibet autem homo jugiter quærit suam felicitatem. Jugiter ergo suam utilitatem quærit. Utilitas ergo unica debet esse mensura officiorum hominis.

530 IV. Tam insitus est nobis propriæ utilitatis amor, ut ipse Apostolus dixerit ad Philip. 2. v. 21. *Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Sed quod est nobis insitum, est à natura. A natura igitur habemus, ut officia nostra referamus ad nostram utilitatem.

---

(1) Loc. cit.

(2) Horret animus ad tam flagitiosa Spinozæ commenta, ab iisque describendis abstinuissemus libentissime, nisi in spem venissemus certam, fore, ut ipsos incredulos homines tandem aliquando pudeat, tam immanibus litasse monstris.

(3) Loc. cit. (4) Loc. cit.

Prop. *Hominum Officia* I. *non ex sola utilitate*, II. *neque ex voluptate quapiam sunt auspicanda*; III. *sed ex honestate, cum qua vera utilitas, & voluptas sunt conjugatæ.*

531 Demonstratur 1. p. Officii nomine intelligitur id, quod est faciendum, ex supra dictis (1); utile vero dicitur, quod propter aliud appetitur, non propter seipsum, ut observatum est (2). Homines autem agentes deliberate, agere debent propter finem: finis vero propter seipsum appetitur. Auspicantes ergo officia ex sola utilitate, in eo quod utile est, rationem ponunt ultimi finis: nam si non ponunt, jam non agunt ex sola utilitate, sed propter finem, propter quem utile appetunt. Perversus autem ordo est, appetere propter seipsum tamquam ultimum finem id, quod natura sua debet appeti propter aliud; & propterea S. Augustinus (3): »Omnis, *ajebat*, humana perversio est, »quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui «. Humana igitur officia duci nequeunt ex sola utilitate (4).

532 Demonstratur 2. p. Homo hoc differt à brutis, quod ratione ducitur. Multæ autem sunt voluptates non secundum rationem, illæ scilicet quæ ab honestate desciscunt. Nequeunt igitur homines officia sua à voluptate quapiam auspicari (5).

533 Demonstratur 3. p. Homines officia debent auspicari sua ab eo, quod est secundum rationem; id enim est eis naturaliter conveniens, quatenus sunt homines (6). Honestas au-

(1) §. 524. (2) §. 525. (3) L. 83. qq. q. 30.

(4) Vide S. Thom. 2. 2. q. 145. a. 3. Cicero l. 3. de offic. mentione injecta de consilio Themistoclis comburendi Lacedæmonum classem, cum quibus Athenienses pacem habebant: »Quod, *inquit*, Aristides cum audisset, in concionem magna expectatione venit; dixitque, »perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum: itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt «.

(5) Vide S. Thom. loc. cit.

(6) Adeundus est Seneca Epist. 76. »Id, *inquit*, in quoque »optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid »est? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos sequitur. . . Valet? Et leones. Formosus est? Et pavones. Velox est? Et equi. Non dico, in

tem est secundum rationem, ut dictum est (1); nihil enim aliud est honestas quam virtus : virtus vero est rationi conformis; moderatur siquidem res humanas secundum rationem. Homines ergo officia sua auspicari debent ex honestate (2). Quia vero quod est conveniens homini secundum rationem, delectabile est; unusquisque enim delectatur eo, quod sibi convenit : consequitur honestatem voluptas, quæ homine digna est; ideoque quodlibet honestum est item delectabile, licet non quodlibet delectabile sit honestum. Ipsa etiam virtutis honestas utilis est; refertur enim ad felicitatem sicut ad finem (3). Hominibus ergo auspicanda sunt officia ex honestate, cui utilitas, & voluptas sunt conjugatæ.

534 Ad primum respondemus, Spinozianum sophisma 1. quidem contra ipsum recidere : nam si fatetur, non omnes naturaliter esse determinatos ad agendum secundum regulas, & leges rationis : quomodo statuit, homines in agendo destitui libertate? Qui enim non sunt naturaliter determinati, oportet, ut seipsos determinent : qui autem seipsos determinant, liberi sunt. Videtis apertissimam contradictionem, 2. concedimus, homines non esse naturaliter determinatos ad agendum secundum regulas, & leges rationis; sunt enim liberi, ideoque possunt agere, & sæpissime agunt contra illas regulas, & leges. Quid vero inde? An propterea destituti sunt quacumque regula, & lege? Jam demonstravimus (4), legem naturæ indelebiliter impressam esse in mente cujusvis hominis ratione præditi, esseque ipsum lumen rationis demonstrans prima principia rectitudinis, & honestatis. Etsi ergo omnes rerum

---

» his omnibus vincitur... Corpus habet? Et arbores. Habet impetum, » & motum? Et bestiæ, & vermes. Habet vocem? sed quanto clario- » rem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem, mobi- » lioremque lusciniæ? Quid in homine proprium? Ratio : hæc recta, & » consummata felicitatem hominis implevit. Ergo si omnis res, cum bo- » num suum perfecit, laudabilis est, & ad finem naturæ suæ pervenit; » homini autem suum bonum ratio est : si hanc perfecit, laudabilis est, » & finem naturæ suæ attigit. Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eadem- » que honestum est «.

(1) §. 525.

(2) S. Thom. loc. cit.

(3) Cicero l. 3. de offic. *Honestate igitur dirigenda utilitas, & quidem sic, quod hæc duo verba inter se discrepare, sed tamen unum sonare videantur.*

(4) §. 248. sqq.

omnium ignari nascamur, statim tamen ac lumen rationis affulget, noscimus veram vivendi rationem saltem quoad generalia honestatis præcepta, ita ut inexcusabiles simus, si ea transgrediamur. Quare falsum est, magnam ætatis partem transire, antequam veram vivendi rationem noscamus. Falsum est quoque, ad id requiri habitum virtutis acquisitæ; sat enim est lumen rationis. Falsum est item, teneri nos conservare ex solo impulsu appetitus animalis: nam & ratio ad nos conservandos impellit. Falsum insuper est, naturam nobis denegasse actualem potentiam vivendi ex sana ratione; dedit enim intellectum naturali lumine instructum, quo discerneremus bonum à malo. Ex tot falsis antecedentibus, quænam deduci consequutio poterat, quæ non esset monstro similis? Talis autem est Spinozæ conclusio, qua infert, nihil non licere homini sub solo naturæ imperio, quasi natura ad omne flagitiorum genus nos comparaverit: quo nihil dici stultius potest.

535 Ad secundum dicimus, argumentationem esse Hobbesio dignam, qui quantum impietate valebat, tantum inscius erat artis ratiocinandi. Et sane quis vel Dialecticæ tiro non videt, utilitatem universalius accipi ab Hobbesio in conclusione, quam in præmissis? nam in conclusione sumitur utilitas generatim, quæcumque ea sit; in præmissis vero utilitas ad conservationem vitæ, & membrorum coarctatur: multa autem utilia sunt, quin sint necessaria ad conservanda membra, aut vitam. Quinam vero est Hobbesianæ propositionis sensus, *quæcumque quis voluerit, ideo bona sibi videntur, quia ea vult*? An voluntas est quæ facit bona, & non potius tendit in bonum sibi propositum ab intellectu? Si autem omnia quæ homo vult, sunt bona, quia ipsi bona videntur, nullum in actionibus voluntariis esse poterit malum; non enim actiones sunt voluntariæ, nisi quia homo vult. Et si ea quæ quisque vult, ideo tantum vult, quia *possunt conducere ad sui conservationem, vel saltem conducere videri*; jam mensura juris non est utilitas, seu id quod conducit, vel conducere videtur ad sui conservationem; sed sui conservatio est finis, ideoque est mensura ejus, quod conducit, vel conducere videtur. *Jure* quidem *naturæ fiunt, & habentur, quæ necessario conducunt ad tuitionem vitæ, & membrorum.* At si ad eam tuitionem conducunt, non ea quæ conducunt, sed potius ipsa tuitio est juris mensura; ex ipsa enim tuitione accipitur mensura eorum, quæ necessario conducunt. Quomodo igitur *utilitas* erit *mensura juris*, si & ipsa mensuranda est ex tuitionis necessitate? Hæc

adeo prompta, & aperta Hobbesius, impietate cæca raptus, non vidit.

536 Ad tertium concedimus, homines jugiter quærere suam utilitatem, propterea quod in omni re felicitatem quærunt; sed hoc ipso non moventur intuitu solius utilitatis: nam eam quærunt propter felicitatem. Quod si ergo felicitas quæritur in eo, in quo vere est quærenda, hoc est, in Deo totius honestatis, & bonitatis fonte; media ad ipsam conducentia vere utilia erunt; conducent enim ad veri finis ultimi adsequutionem: ejusmodi autem media sunt virtutes, quæ honestatem habent, veramque utilitatem, & sunt etiam cum delectatione conjunctæ, ut dictum est (1). Sin vero felicitas quæratur in delectationibus sensibilibus adversus Dei legem, aut in ipsis mediis, quibus utendum est, non fruendum; tunc media vere inutilia erunt ad veram felicitatem adipiscendam, & officia ab honestate recedent, nec ad virtutes, sed ad vitia pertinebunt. Hoc ipso igitur, quod homo jugiter felicitatem quærit, sequitur, non utilitatem esse officiorum mensuram, sed ipsam felicitatem, propter quam assequendam eliguntur media utilia.

537 Ad quartum non negamus, plures inter homines esse, qui quærunt quæ sua sunt: nam quod ait Apostolus, *omnes*, intelligendum est *secundum distributionem accommodam*, ut recte advertit S. Thomas (2). Et ii autem, qui quærunt quæ sua sunt, non laborant pro sola sua utilitate, sed illa appetunt propter seipsos, in hoc delinquentes, quod media referunt, quo referenda non sunt, & finis rationem in eo ponunt, in quo ponere non debebant.

538 Præstat nunc aliqua dicere de Macchiavelli impiis propositionibus (3). Ne singulas persequamur, paucas tantummodo

(1) §. 533.

(2) In c. 2. Epist. ad Phil. lect. 4.

(3) De Nicolao Macchiavello vel ipse Bælius in Diction. a. *Machiavel*, fatetur, eum omnia derisisse, nulliusque fuisse religionis, *se moquant de tout, & n' aiant nulle religion.* Testatur quoque, *ejus effata flagitiosissima esse; omnibusque persuasum esse, Macchiavellismum, & artem regnandi tyrannice terminos esse ejusdem significationis.* »Les maximes de cet Auteur sont trés mauvaises: le pu»blic en est si persuadé, que le Machiavélisme & l'art de regner ty»ranniquement sont des termes de même signification«. Similia scribunt Buddeus in tract. de atheism. & superst. c. 1. §. 24. & Conringius in introduct. ad Polit. Aristot. c. 3. qui licet conetur Macchiavel-

excerpimus ex cit. c. 18. l. de *Principe*, ut universi noscant, & quam impius, & quam ineptus is homo fuerit, quem tamen Pseudopolitici tamquam numen colunt, & admirantur. Itaque in eo cap. quod inscribitur *De modo quo Principes servare debeant fidem*, principio statuit (1), *scire omnes quidem, quam laude dignum in Principe sit servare fidem, integreque vivere, ac minime vafre. Experiendo tamen compertum esse ætate sua, illos Principes præclara gessisse, qui de æstimanda fide parum fuere soliciti, & calliditate sua hominum cerebra sciverunt in orbem agere.* Quinam sunt ii Principes? Macchiavellus non nisi unicum nominat; qui tamen à suis captus, & in arce inclusus, atque in perpetuam custodiam traditus, bonisque omnibus exutus, ærumnose decessit (2). Quanam igitur experientia fuere comperta præclara Principum gesta, qui de servanda fide nihil curarunt, si ipsum Macchiavelli exemplum ostendit, Principem illum infortunii sibi, ac miseriæ exstitisse auctorem? Innumera sunt exempla malorum, quibus Principes simulatæ virtutis sese subjecere, quorum exemplorum multa congerit Thomas Bozius in eo, quod adversus Macchiavellum scripsit opus *de imperio virtutis.*

539 Pergit Macchiavellus, & (3): *Cum bina*, inquit, *sint*

---

lum excusare; nihilominus eum vocat *subtilem iniquitatis Doctorem*, & Aristotelis *plagiarium*, hoc tantum discrimine, quod ille imprudenter præcipiat universis Principibus, quod non nisi tyrannis indixerat Aristoteles l. 5. Polit. Re tamen ipsa Aristoteles nihil aliud effecit, quam describere artes, quas tyranni usurpationis adhibent, ne ab usurpata tyrannide deturbentur. Hæc licet sint, Genuensis tamen Macchiavellum laudat, ut diximus Tom. 5. §. 1208. in not. *Macchiavellum*. Macchiavelli vero opera, etsi contra Deum impia, & supremis Potestatibus injuriosa, maxime vero Regibus, aliisque summis Potestatibus, quorum regna successiva ille insectatur veluti tendentia ad Rerumpublicarum, Imperiorumque ruinam; impune tamen typis eduntur in nonnullis ditionibus Monarchicis, quorum Principes per hæreditatem succedunt, necnon in quibusdam urbibus Catholicorum, adjectis etiam Macchiavelli præconiis. O tempora! o mores!

(1) » Sapersi da tutti, quanto sia laudabile in un Principe il mantenere la fede, e vivere con integrità, e non con astuzia. Nondimeno » vedersi per esperienza de' suoi tempi, quelli Principi aver fatte gran » cose, che della fede hanno tenuto poco conto, e che hanno saputo con » astuzia aggirare i cervelli degli uomini «.

(2) Vide Bozium de imper. virt. l. 1. c. 4.

(3) » Essendo due le generazioni di combattere, l' una con le leg-

præliandi genera, alterum per leges, alterum per vim, cumque primum illud sit proprium hominum, secundum bestiarum, nec semper primum sit satis; oportet, ut Princeps sciat bene uti bestia. Ineptissime! Ergone vi bellare belluinum est? Ergo Princeps, si in reos criminum suppliciis animadvertit, brutescit? Ergo bellum quodcumque, etiam justum, brutale est? Cur vero Macchiavellus tot dedit præcepta bellandi, quæ tamen numquam fuerunt usu recepta, quod sint imprudentissima? Perpendite autem, qua ridicula ratione adsertionem suam ille confirmet. Fabulam profert Chironis Centauri partim hominis, partim equi, cui Achilles, aliique Principes in custodiam dati fuere; aitque (1), *Veteres voluisse nos docere, Principi convenire, ut utraque utatur natura, neque unam sine altera posse subsistere.* Ratiocinatio plane Macchiavello digna! Fabula prorsus alio spectabat. Chiron fingebatur monstrosus quidem, sed maxime humanus, suavissimisque moribus, integritate, scientia, atque justitia præditus, ideoque à Peleo, & Thetide accitus, ut esset magister Achillis eorum filii indole ferocioris. Fingebatur præterea Chiron docuisse Herculem Astronomiam, Medicinamque Æsculapium: atque hi dumtaxat fuere, ex Poetarum fabulis, discipuli Centauri, qui propterea ut timidus, & ingenuus simultatem eis nequiverat instillare. Macchiavellus ergo fabulam Chironis minime tenuit; tantumque abest, ut ad illius faciat institutum, quin ejus systemati è diametro opponatur. Nihilominus ille, perinde ac si impiam adsertionem demonstrasset suam, nihilo minus imperite concludit (2): *Cum Princeps necessario brutescere debeat, seligat vulpem ad decipiendum, & leonem ad terrendum*; quibus verbis integram metamorphosim Principi præcipit.

540 Addit porro (3), *non posse Principem prudentem, nec debere fidem servare, cum ejus observatio contra ipsum facit,*

» gi, e l' altra con la forza, ed essendo quella prima propria degli uo» mini, la seconda delle bestie, e spesso non bastando la prima: è ne» cessario al Principe saper ben' usare la bestia «.

(1) » Aver voluto gli Antichi insegnarci, che conviene ad un Prin» cipe saper ben' usare l'una, e l' altra natura, e l'una senza l' altra non » esser durabile «.

(2) » Dovendo necessariamente il Principe imbestialirsi, scelga la » volpe per ingannare, & il lione per atterrire «.

(3) » Non può un Signore prudente, nè debbe osservare la fede, » quando tale osservanza gli torni contro, e che sono spente le cagioni, » che la fecero promettere «.

& circumstantiæ mutatæ sunt, ob quas eam promisit. Statim vero hujus restrictionis pœnitens subdit (1), Principes *debere eam semper violare: quod quidem præceptum bonum non foret, si homines essent boni; sed quia mali sunt, nec tibi fidem servarent, neque tu ipsis servare debes.* Quodnam hoc est argumenti genus: quia alii mali sunt, Princeps debet esse pejor? Quis nescit, mendacium, & simulationem opprobrii esse plena? indicant enim animum vilem, timidum, levem, debilem, imbecillem. Quanto magis perpetua simulandi, fallendique ars, & machinatio? *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos*, dicitur Prob. 10. v. 4. Et c. 21. v. 6. *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus, & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Et c. 29. v. 12. *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Hæc sunt Divina documenta, à quibus abducere Principes Macchiavellus conatur. Proh pudor! Ethnici ipsi, solo rationis lumine ducti, veritatem ac fidem celebrarunt; Macchiavellus vero, & qui eum consectantur, simulationem, deceptionem, & fraudem suadent. *Nulla res*, inquiebat Cicero (2), *vehementius rempublicam continet, quam fides.* Et Valerius Maximus (3) eam appellat *certissimum humanæ salutis pignus.* Livius autem (4): *Nisi in fide*, ait, *stet respublica, opibus non statura.* Romanique cæteri in eadem fuere sententia, cum Fabritio rescripserunt: *Nobis non placet, pretio, aut præmio, aut dolis pugnare* (5). Isocrates vero (6) ita de Rege scribebat: *Rex perpetuo in id studio incumbat, eamque reverentiam præ se ferat, ut verbis suis major sit fides, quam aliorum juramentis.*

541 Sed adhuc Macchiavellus pergit, & non solum fidem datam, sed omnem justitiam, & religionem exuendam, prodendamque esse Principi, docet, si utilitas postulet. En ejus verba Latine reddita (7): » Princeps non solum potest, & de-

(1) » La debbono violar sempre, e che se gli uomini fossero buoni, » questo precetto non saria buono, ma perchè son tristi, e non l' osser- » verebbono a te, tu ancora non l' hai a osservar loro «.

(2) L. 3 de offic.

(3) L. 6. c. 6. (4) L. 3.

(5) Vide S. Ambrosium l. 4. de offic. c. 14.

(6) Orat. 2. Nicocl.

(7) » Il Principe non solamente può, e deve romper la fede data » con sicurezza, che niun se ne avvegga, ma di più ha da far contro la » Giustizia, e la Religione ogni volta, che gli comple, e anche quan- » do esercita queste virtù, ha da star sempre con l' animo preparato a

»bet frangere fidem datam cum securitate, ita ut nemo ad»vertat; verum etiam adversus Justitiam, & *Religionem* fa»cere debet quotiescumque id sua refert; & cum etiam in his »exercetur virtutibus, habere semper animum paratum debet »ad eas exuendas, si ita ejus utilitas poscat... Si Religio, »Pietas, Justitia veraciter, ac stabiliter in ejus animo regna»rent, nocumento ipsi forent; semper autem ei proderit, illas »profiteri verbis, quibus universi credent, non vero factis, quæ »pauci advertunt«. Denique caput illud concludit dicens (1): *Principi unice curandum est, ut perpetuo in sua maneat dignitate, & contra Religionem, & Justitiam, omnemque virtutem agat, aut semper, si ea re ejus sit; aut sæpe, quia sæpe id facere necesse est, expeditque ita esse semper animo paratum* (2).

» spogliarsene ogni volta, che sia per essere di suo vantaggio... Quan» do la Religione, la Pietà, la Giustizia regnassero vere, e stabili nell' » animo suo, gli sarebbero di nocumento; ma sempre gli giovera il » professarle con le parole, alle quali tutti crederanno, e non a' fatti av» vertiti da pochi «.

(1) » L' unica premura del Principe sia di conservarsi nel posto » perpetuamente, e far contro la Religione, la Giustizia, e ogni » virtù, o sempre, se gli giova: o spesso, perchè spesso è neces» sario il farlo, e conviene a star sempre a ciò pronto con l' animo «.

(2) Amelotus, qui Macchiavelli *Principem* Gallice vertit, in Præfat. » De tous ceux, *inquit*, qui censurent Machiavel, vous trouve» rez que les uns avouent, qu' ils ne l' ont jamais lû, & que les au» tres qui disent l' avoir lû, ne l' ont jamais entendu, comme il pa» roît bien par le sens littéral, qu' ils donnent à divers passages, que » les Politiques savent bien interpreter autrement «. *Inter eos omnes, qui Macchiavello censuram inurunt, quosdam reperietis fatentes, se numquam illum legisse; alios vero, qui cum legisse dicunt, ipsum nequaquam intellexerunt, uti patet ex litterali sensu, quem pluribus illius textibus attribuunt, quos tamen Politici sciunt aliter interpretari.* Legimus Macchiavelli opus de Principe, etsi stomachum moveat: affirmare autem libere possumus, illud plusquam satis intellexisse: nam licet perpetuis scateat contradictionibus, & paralogismis, nullumque ordinem servet; ejusmodi tamen non est, ut vel semidoctorum fugiat aciem. Contorqueat Amelotus, contorqueant cæteri Pseudopolitici, quacumque ratione velint, recitata Macchiavelli verba; numquam efficient, ut impium possint absolvere à simulatione religionis, justitiæ, pietatis, cæterarumque virtutum, & ab animo parato, promptoque, quem in Principe requirit, ad agendum contra ipsas, si ita temporalia exigant commoda. Quod sane idem est, ac fateri, nullam veram esse Religionem, nullamque virtutem, sed ad

Quis ad hæc non horret animo (1) ? Nam quæ amplius

summum umbratilem, & simulatam. Nam quomodo paratum semper habere quis contra Religionem, & virtutes animum potest, & non tantum ex voluntatis vitio, sed etiam ex intellectus ita præcipientis errore, nisi omnem jam Religionis, virtutumque ideam exuerit, easque inter fabulas recensuerit ?

(1) Bælius loc. cit. litt. E. S. Thomam Aquinatem accusat, quasi ex ipso sententias furatus Macchiavellus fuerit : quod & faciunt Editores Macchiavelli edit. Florentinæ an. 1782. in Præfat. pag. 45. Itaque Bælius : » Je m' étonne, *inquit*, qu' on ne dise pas qu' il a dé» robé les maximes au Docteur Angelique le grand St. Thomas d' Aquin. » Voyez dans les coups d' Etat de Naudé un long passage du Commen» taire de Thomas d' Aquin sur le 5. livre de la Politique d' Aristote «. *Miror, non dici, illum* (Macchiavellum) *suas fuisse furatum sententias Doctori Angelico magno S. Thomæ Aquinati. Consulite in opere politico Naudæi longum textum Commentarii Thomæ Aquinatis super* 5. *librum Politicæ Aristotelis.* Tam magni critici hi fuerunt, ut nescierint, Commentarium super 5. librum Politicorum Aristotelis non esse S. Thomæ Aquinatis fœtum. Noster Echardus tom. 1. Script. Ord. Præd. pag. 286. jam pridem animadvertit ex fide veterum Scriptorum, quorum aliqui fuerunt S. Thomæ synchroni, Thomam scripsisse super quatuor tantum priores libros Politicorum Aristotelis ; citatque Logothetam, Petrum Rogerium, Bernardum Guidonis, Valleoletanum, & S. Antoninum. Idipsum constat ex stili diversitate in commentariis quatuor posteriorum librorum Politicæ Aristotelis; quam diversitatem quisque videt, qui sit versatus in S. Thomæ lectione. Aquinatem à calumnia absolvimus. Absolvendus nunc est Auctor illius Commentarii super 5. lib. Politicorum, qui ex Cod. Ms. quem vidit Echardus loc. cit. fuisse dicitur Petrus de Alvernia. Is ibid. lect. 11. & 12. nihil efficit aliud, quam copiosius tradere, quod concisius tradiderat Aristoteles. Jam vero Aristoteles in eo 5. lib. sibi explicandum proposuerat, qua ratione corrumpantur, & conserventur diversi Principatus, Democraticus, Aristocraticus, Monarchicus, & Tyrannicus. Oportebat igitur, ut quemadmodum de aliis Principatibus, ita & de tyrannico constitueret, quid tyranno faciendum esset, sive potius, quid tyrannus faceret, ut in tyrannide se conservaret. Et quia simulatio etiam circa Religionem ad id conferre videbatur, Aristoteles, & qui eum est commentatus, artem tyranni describunt in simulanda etiam Religione. Paucis de tyranno illi loquuntur, non de Principe juste regnante. De tyranno, inquam, de quo idem Aristoteles ibid. scribit : » Tyrannus, ut sæpe jam diximus, ad nullam communem respi» cit utilitatem, nisi gratia proprii commodi «. Quid ergo mirum, si tyrannus simulet ? Macchiavellus ergo, qui simulationem Principibus suadet, ut habeant quod placet, non Reges, sed tyrannos constitue-

esse religio, pietas, justitia, virtus potest, si contra eas agere licet, cum ita fert rerum temporalium utilitas, animumque ita agendi paratum semper habere? Vere Macchiavellus, ejusque assecclæ videntur de numero illorum esse, à quibus ut caveat veræ sapientiæ studiosus, monet Salomon Prov. 1. v. 10. sqq. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum... abscondamus tendiculas contra insontem frustra; deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrum, quasi descendentem in lacum.* Hos impios, ut Principes imitentur, Macchiavellistæ volunt; Salomon vero ex ore Dei, ut caveant, præcipit. Quod & præcipitur universis Christianis 1. Petr. 2. v. 1. sq. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Ipseque Christus jam præceperat Matt. 18. v. 3. iis verbis: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*; jubens, ut exponit S. Hieronymus, ut non ætate, sed malitia parvuli simus. Sed quid de Scriptura cum Macchiavellistis, qui de Religione nihil laborant?

ARTICULUS II.

Utrum officia ex honestate ducta sint virtutum actus.

542 Postulat articuli explicatio, ut leviter attingamus quæ de virtutibus, & vitiis fusiori oratione à Moralibus Philosophis, ac Theologis disseruntur. Principio igitur dicimus, virtutem moralem (de hac loquimur, non de virtutibus intellectualibus mere theoreticis) recte definiri à S. Augustino (1):

re conabatur. Quod autem ajunt præfati Editores, Macchiavelli scopum fuisse, tyrannum describere, vanum effugium est: nam ille *Principem* quemcumque instituit nullo facto discrimine. Quod addunt, ipsum voluisse describere, quid tunc Principes facerent, & frequentius faciant, vel Mediceis laqueum tendere, ut eos institutione sua redderet odiosos, falsum quoque est, & iniquum: nam Catholici Principes numquam, ut regnarent, Religionem simularunt, idque de Mediceis præsertim affirmare, nemo sine atroci calumnia potest; ii enim semper fuere religiosissimi.

(1) L. 5. cont. Julian. c. 3. & l. 83. qq. q. 31. & l. 2. de lib. arb. c. 19.

Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nemo male utitur (1). Ponitur *qualitas* loco generis, non quidem proximi, sed remoti: nam genus proximum est habitus (2). Dicitur *bona qualitas mentis*, id est animi, in cujus potentiis virtutes resident. Additur *qua recte vivitur*, ut discernatur virtus à vitiosis habitibus, quibus non recte vivitur. Dicitur *qua nemo male utitur*, ut virtus distinguatur ab habitibus, qui quandoque ad bonum, quandoque ad malum se habent, ut scientia, & artes, quibus bene, & male quis uti potest (3). Solet etiam

---

(1) Non placet hæc definitio impio Voltairio in Dict. Phil. art. *vertu.* Virtutem definit » Bienfaisance envers le prochain «. *Beneficentiam erga proximum.* Ait porro: » Puis-je appeller vertu autre chose » que ce qui me fait du bien «? *Possum aliud appellare virtutem, nisi id quod mihi bonum facit?* Si ita est, cur impius excludit à ratione virtutis fidem, spem, temperantiam, prudentiam, &c. Nonne hæ bonum aliquod nobis creant?

(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4.

(3) Lockius de intell. hum. l. 2. c. 2. 18. §. 10. *Ubique terrarum,* inquit, (verba Gallica latine fideliter reddimus, ne simus longiores) *adseritur, atque statuitur, notionibus virtutis, & vitii significari actiones bonas, & malas natura sua; & quoties hoc sensu reipsa applicantur, virtus perfecte conformatur cum Lege Divina, de qua loquor; & vitium huic Legi est omnino contrarium. At quæcumque sint hac in re hominum adsertiones; perspicuum est, quod nomina virtutis, & vitii considerata prout inter diversas nationes, & societates in terra degentes accipiuntur, constanter, & unice attribuuntur his, vel illis actionibus, quæ in unaquaque regione, & societate honestæ, vel inhonestæ reputantur. . . Ita mensura ejus, quod appellatur virtus, & vitium, & quod in toto orbe ut tale habetur, est hæc approbatio, vel improbatio, hæc æstimatio, aut vituperatio, quæ constitutæ sunt ex secreto, tacitoque consensu in diversis societatibus, conventibusque hominum; ob quem consensum diversæ actiones æstimantur, aut vituperantur inter ipsos, prout cujusque loci ferunt judicium, sententiæ, mores.* Hanc eamdem sententiam sequutus Barbeyracius fuit not. 1. *sur les loix natur. de Richard. Cumberland. c.* 8. §. 1. Quam hæc proxime accedant ad illorum errorem, qui, ut diximus §. 171. moralitatem actuum humanorum repetebant ab hominum institutis, & opinionibus, quisque videt vel nobis tacentibus. Nam si mensura virtutis, & vitii ubique terrarum est approbatio, vel improbatio actionum ex nationum consensu, exque judiciis, sententiis, ac moribus uniuscujusque loci, actum est de intrinseca honestate virtutum, & de intrinseca turpitudine vitiorum: & quod in uno loco est virtus, in altero erit vitium, & è converso. En denique Lockius per verborum

virtus definiri, *dispositio perfecti ad optimum*; quia virtus est, quæ animæ potentias perficit, disponitque ad actus rectos, qui sunt optimum potentiæ. Ideoque Cicero ajebat (1): *Virtus est affectio animi constans, consentanea rationi, laudabiles efficiens eos, in quibus est.* Definitur etiam virtus ab Aristotele (2): *Est quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit*, id est efficit, ut homo operetur secundum rationem, & opus ejus sit secundum rationem (3).

543 Porro virtutes morales, ad quas cæteræ morales reducuntur, *cardinales* appellantur, & quatuor recensentur, *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*: cujus divisionis hanc egregiam rationem tradit S. Thomas (4). Virtus enim versatur circa rationis bonum: hoc autem vel consistit in ipsamet consideratione rationis, sic vero respicitur à Prudentia. Vel est circa passiones: & quidem ponere ordinem rationis in passionibus irascibilis, pertinet ad Fortitudinem: ponere vero ordinem rationis in passionibus concupiscibilis, ad Temperantiam spectat. Prudentia perficit ipsam rationem; Justitia perficit appetitum rationalem, seu voluntatem; Fortitudo, & Temperantia appetitum sensitivum, ut secundum rationem operetur (5); ideoque Prudentia in intellectu, Justitia in volun-

---

circuitum, ut lectores implicet, in Spinozæ, & Hobbesii recidit errorem. Quid enim proficit dixisse, affirmari ubique, per virtutes, & vitia intelligi actiones bonas, & malas natura sua; si statim præcipit, mensuram virtutum, & vitiorum esse ubique judicia, sententias, moresque hominum? Sunt quidem in nonnullis locis brutales quidam homines, qui dicunt bonum malum, & malum bonum; sed quis, nisi impius, affirmabit, hoc eorum corruptum judicium esse *mensuram ejus*, *quod appellatur virtus*, *& vitium*? Ipsimet brutales homines, qui dicunt v. g. furtum, proditionem, homicidium non esse peccata, nolunt tamen, ut alii ipsis furentur, vel eos prodant, aut necent. Jam diximus, malas consuetudines obscurare posse rationis lumen, quo virtutes à vitiis discernuntur, omnino delere non posse.

(1) Lib. 4. Tuscul.

(2) Lib. 2. Ethic. c. 6. (3) 2. 2. q. 123. a. 1.

(4) 1. 2. q. 61. a. 2.

(5) Omnia more suo irridens Voltairius loc. cit. » Mais, *inquit*, » que deviendront les vertus cardinales & théologales? Quelques unes » resteront dans les écoles. Que m' importe que tu sois tempérant? » c' est un précepte de santé que tu observes; tu t' en porteras » mieux, & je t' en felicite... Tes vertus théologales sont des dons

tate, Fortitudo in irascibili, Temperantia in concupiscibili resident.

» celestes; tes cardinales sont d' excellentes qualités qui servent à te » conduire: mais elles ne sont point vertus par rapport à ton pro» chain. . . St. Paul a eu raison de te dire que la charité l' empor» te sur la foi & sur l' espérance. Mais quoi, n' admettra-t-on de ver» tus que celles qui sont utiles au prochain? Eh! comment puis-je en » admettre? Nous vivons en société; il n' y a donc de véritablement » bon pour nous que ce qui fait le bien de la société «. *At quid continget de virtutibus cardinalibus, & theologalibus? Pleræque earum in scholis remanserunt. Quid mea interest, si tu temperans es? Est hoc sanitatis præceptum, quod servas; utque melius seres, tibi fortuno. . . Theologales tuæ virtutes sunt dona cœlestia; cardinales sunt excellentes qualitates, quæ te informant: at virtutes non sunt respectu proximi. . . S. Paulus merito dixit, charitatem superexcedere fidem, & spem. Quid vero? Nullæne admittendæ erunt virtutes, præter illas, quæ proximo sunt utiles? Qui possum eas admittere? In societate vivimus; nobis igitur revera bonum non est, quod bonum societatis non efficit.* Quis umquam vidit hominem æque ineptientem, atque omnia tumultuosissime pervertentem? In scholisne remanserunt pleræque omnes virtutes cardinales, & theologales? Ita cupiebat ille, qui bellum universis indixerat virtutibus. Quid vero essent homines fere universi, si virtutes cardinales, & theologales ad scholas tantum essent ablegatæ? Nihil Voltairio intererat, an temperantes, necne, homines forent; ideoque temperantiam à præcepti *sanitatis* observatione non distinguebat; quasi is tantum dicendus temperans foret, qui voluptates etiam illicitas ea moderatione caperet, quæ sanitati corporis minime obesset, de reliquo nihil solicitus, ut Epicurei olim præcipiebant. Fatetur impius, imo fateri videtur, ut illudat magis, virtutes theologales esse dona cœlestia, virtutes cardinales esse eximias qualitates; at negat, posse appellari virtutes, quia proximo nihil conferunt. Quam vero imperite! Quis enim est magis proximus, quam quisque sibi? Si qualitates proximo utiles ut virtutes admittuntur, cur virtutes non erunt dona illa cœlestia, & excellentes qualitates illæ, quæ tantas nobis adferunt utilitates? Virtutis sequemur viam, dum proximi utilitati studebimus: à virtute alieni erimus, dum nostræ consulemus utilitati? Proh dementia! S. Pauli testimonio sacrilege impius abutitur; non enim Apostolus ideo charitatem fidei præfert, & spei, quia charitas proximum juvat, sed quia per affectum unit hominem Deo, quod fides, & spes non faciunt, & quia charitas æternum manet, atque in Patria perficitur; fides vero, & spes evacuantur. Respicit quidem charitas proximum, at non tamquam objectum primarium, sed

De Prudentia, ejusque partibus, ac vitiis oppositis.

544 Prudentiam definiens Cicero (1): » Prudentia, *in-*»*quit*, quam Græci φρόνησιν dicunt, est rerum expetendarum, »fugiendarumque scientia (2) «. Eam vero Aristoteles (3) definit: *Recta ratio agibilium.* Est enim prudentia, quæ rationem perficit, ut recte sese habeat in eligendo, judicando, & agendo; ejusque proinde actus sunt, 1. consiliare de mediis aptis inveniendis ad debiti finis adsequutionem; 2. judicare de mediis inventis, an revera sint apta; 3. præcipere exequutionem eorumdem mediorum, ut finis habeatur (4). Prudentiæ propterea adjunguntur *Eubulia* (5), *Synesis* (6), & *Gnome* (7); Eubulia quidem, ut virtus bene consilians circa ea, quæ in humanis agenda sunt; Synesis, ut virtus bene judicans circa par-

---

ut objectum secundarium diligendum propter Deum, qui est ejus primarium objectum. Denique cum Voltairius nullam aliam admittit virtutem, nisi eas tantum, quæ ad bonum conferunt societatis, in qua vivimus, non alium agnoscit ultimum finem, quam ipsum societatis bonum, quod in nos redundat; ideoque omnia concludit hujus vitæ finibus, nec aliam agnoscit vitam futuram: quod plane cum ejus incredulitate consonat; similiterque loquitur Auctor syst. nat. cum cæteris incredulis.

(1) De Oratore.

(2) Similiter prudentiam definit S. Augustinus l. 1. de lib. arbit. c. 13. & l. 83. qq. q. 31.

(3) L. 6. Ethic. c. 5.

(4) Vide Arist. loc. cit. c. 10. sqq.

(5) »Eubulia (inquit S. Thomas 2. 2. q. 51. a. 1.) importat »bonitatem consilii; dicitur enim ab εὖ, quod est *bonum*, & βουλὴ, »quod est *consilium*, quasi *bona consiliatio*, vel potius *bene con-*»*siliativa*«.

(6) Idem S. Thomas loc. cit. a. 3. »Synesis, *ait*, importat ju-»dicium rectum... circa particularia operabilia... Unde secundum sy-»nesim dicuntur aliqui in græco σύνετοι, id est, sensati, vel εὐσύνετοι, »id est, homines boni sensus; è contrario qui carent hac virtute, »dicuntur ἀσύνετοι, id est, insensati«. Oritur enim synesis à verbo συνίημι, *intelligo.*

(7) »Gnome (inquit S. Thomas ib. a. 4.) importat quamdam per-»spicacitatem judicii«. Oritur à græco verbo γινώσκω, *nosco.* Vide Damascenum l. 3. de Fide c. 14.

ticularia agenda; Gnome, si judicium dirigatur per altiora principia.

545 Vitia autem prudentiæ opposita sunt, 1. *Præcipitatio*, id est, inordinatio consilii, ad quam reducitur temeritas in agendo; 2. *Inconsideratio*, quæ est defectus recti judicii in iis, quæ agenda sunt; 3. *Inconstantia*, sive recessus à bono proposito, quod prudentia præceperat; 4. *Negligentia*, ob quam quis deficit à debita solicitudine in iis, quæ agenda sunt (1). Atque hæc quidem vitia manifeste opponuntur prudentiæ. Sunt autem aliqua vitia, quæ falsam ac simulatam prudentiæ speciem præ se ferunt, scilicet, *Prudentia carnis*, quæ inimica est Deo (2); *Astutia*, qua simulatis viis tenditur ad finem sive bonum, sive malum (3); *Dolus*, & *Fraus* ad exequenda astutiæ consilia, dolus quidem verbis, aut factis, fraus factis tantum; ac denique *Solicitudo nimia temporalium rerum* (4).

De Justitia, ejusque partibus, ac vitiis oppositis.

546 Jam vero Justitia definitur (5): *Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi* (6). Dicitur *voluntas*

---

(1) Confer S. Thom. loc. cit. q. 53. sq.

(2) Vide eumdem ibid. q. 55. a. 1.

(3) Astutiam reprobavit Apostolus 2. ad Cor. 4. v. 2. cum ait: *non ambulantes in astutia*; hoc est, in simulatione, & hypocrisi, ut S. Thomas exponit ib. lect. 1.

(4) De his vide eumdem S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 1. sqq.

(5) Leg. 10. ff. de just. & jure l. 1.

(6) Non placet hæc definitio Pufendorfio, qui propterea de jur. nat. & gent. l. 1. c. 7. §. 6. postquam distinxit justitiam *personarum* à justitia *actionum*, addiditque, in justitia de personis usurpata, *justum esse significare idem, quod juste faciendo delectari, justitiæ studere, vel conari facere in omni re id, quod justum est*; ait: » Ex »quo patet, definitionem justitiæ, 1Ctis Romanis familiarem, qua »eam dicunt constantem, & perpetuam voluntatem suum cuique »tribuendi, spectare ad justitiam personarum, non actionum «. Notate primum hominis arrogantiam, qui plus vidisse se gloriatur, quam cæteri sapientissimi viri, qui illam definitionem probarunt. Deinde quam vehementer sit deceptus, videte. Eccur enim definitio illa spectat tantum ad justitiam personarum, sive ad eos, qui justa faciendo delectantur? Anne ad delectationem tantum pertinet, *jus suum cuique tribuere*? Nonne ipsum *tribuere* actio est, qua reddi-

accepta voluntate pro actu voluntario, quia actus virtutis justitiæ, ad quem justitia inclinat, debet esse voluntarius. Dicitur *constans*, *& perpetua*, ad designandam actus firmitatem. Dicitur *jus suum cuique tribuendi*, quia justitia est circa ea, quæ ad alterum sunt, tenditque ad reddendum unicuique jus suum (1).

547 Dividitur autem justitia in *universalem*, quæ *legalis* dicitur, & *particularem*, quæ rursus dividitur in *distributivam*, & *commutativam* (2). Cujus divisionis hanc rationem tradit S.

---

tur alteri quod suum est? Quomodo igitur definitio tradita respicit tantum personas, non item actiones?

(1) S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 1. sq.

(2) Idem Pufendorfius loc. cit. §. 11. sententiam Grotii refert, qui, neglecta differentia justitiæ in universalem, & particularem, justitiam dividit in *expletricem*, quæ nimirum respicit jus *perfectum*, quod alteri debetur, v. g. domino in rem ablatam; & *attributricem*, quæ respicit jus *imperfectum*, ad quod præstandum cogi quis minime potest, v. g. jus mendici ad stipem, quam à divite petit. Cur vero Grotius communem justitiæ divisionem respuerit, rationem Pufendorfius ibid tradit, quia *vocabulum συναλλακτικῆς, commutativæ justitiæ ideo expletrici examussim non quadrat, quod ut possessor rei meæ illam mihi reddat, non est ἐκ συναλλάγματος, & tamen ad justitiam expletricem pertinet ... Ergo datur actus justitiæ expletricis, circa quem non intervenit σύναλλαγμα. Vocabulum autem διανεμητικῆς justitiæ ideo attributrici undequaque non congruit, quia διανέμειν subinnuit plures, inter quos distributio debet fieri. Atqui justitia attributrix exercetur, etiam quando uni dumtaxat quid præstatur, ad quod ipse plus erat aptus.* Reprehenduntur sæpe à recentioribus Philosophis Scholastici, quod quæstiones de nominibus instituant. Hæ in Scholasticis enormia delicta sunt: in Grotio, & Pufendorfio, & qui eum commentatur, Mascovio sunt venustates. Itaque ex Grotio vocabulum συναλλακτικῆς, id est *commutativæ*, non quadrat justitiæ, quia nulla commutatio est, cum possessor rei meæ illam mihi reddit. Jam pridem animadverterat cum Aristotele S. Thomas 5. Ethic. lect. 4. duo esse genera commutationum. » Quædam, » *inquit*, sunt voluntariæ, quædam involuntariæ. Dicuntur autem vo» luntariæ propter hoc, quod principium commutationis est voluntа» rium ex utraque parte, sicut patet in venditione, & emptione, & » in permutatione, & in fidejussione, & in usu, & in depositione, & in » conductione. Involuntariarum vero commutationum quædam sunt » occultæ, sicut furtum, adulterium, veneficium, servi seductio, do» losa occisio, falsum testimonium. Quædam vero sunt involuntariæ » commutationes, quæ fiunt per violentiam manifestam, sive aliquis in» ferat violentiam in personam verberando, vel ligando, vel occi-

Thomas: nam homo potest considerari ut pars communitatis, atque ita bonum cujuslibet virtutis ordinantis hominem sive ad seipsum, sive ad alias singulares personas, referri potest ad bonum commune. Sic autem ordinare actus omnium virtutum, ad justitiam pertinet ordinantem hominem ad ipsum commune bonum. Hæc autem justitia *legalis* dicitur, quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune; eademque justitia dicitur propterea *virtus generalis*, non quod sit eadem cum cæteris virtutibus, sed quia cæteras ordinat ad bonum commune. Præterea justitia potest respicere privatas personas: sic autem dicitur *justitia particularis*. Privatarum autem personarum duplex potest esse ordo. Nam vel est ordo unius privatæ personæ ad alteram: hunc vero ordinem respicit justitia *commutativa*, quæ est inter privatas personas invicem. Vel est ordo communitatis, sive ejus qui curam communitatis habet, ad singulas personas: hunc vero ordinem dirigit justitia *distributiva*, quæ communia secundum proportionalitatem distribuit. Itaque justitia vel est privatorum ad communitatem, vel est privatorum invicem, vel communitatis ad privatos. Prima est justitia *legalis*; altera est *commutativa*; tertia est *distributiva*.

548 Etsi vero proprium justitiæ sit respicere *medium rei*,

» dendo; sive etiam in res, puta rapiendo bona; sive etiam infe» ratur violentia per infamiam, & injurias, sive contumelias irrogando «. Addit vero Angelicus, in commutationibus voluntariis satis esse recompensare rem secundum æqualitatem; in involuntariis vero, in quibus fit injuria, recompensari etiam deberi injuriam. Jam videtis redactam in fumum primam Grotii animadversionem; non enim ille distinxit commutationes voluntarias ab involuntariis: in furto autem nulla est commutatio voluntaria; exstat vero commutatio involuntaria, ad quam fur à lege, & à judice adigitur. Altera vero animadversio seipsa cadit, si in eo, qui communia distribuit, consideretur non id tantum, quod facit respectu unius, cum unus tantum est aptus; sed id quod facere debet secundum proportionalitatem ad singulas personas in distributione communium rerum, respectu quarum accidit omnino, ut non sit aliquando nisi una persona apta; in quo etiam casu persona illa debet conferri cum cæteris, ut de ejus aptitudine præ cæteris constet. Frustra ergo commutatæ sunt à Grotio veteres justitiæ acceptiones, novæque inductæ, quæ minus accuratæ sunt: nam si sola justitia *expletrix* respicit jus perfectum, ipsa sola erit vera justitia, & justitia *attributrix* vera justitia non erit, sicut imperfectum jus non est verum jus; ideoque vera justitia dividi nequit in *expletricem*, & *attributricem*.

per quod differt ab aliis virtutibus moralibus, quæ cum præcipue consistant circa passiones, respiciunt *medium* tantummodo *rationis* secundum comparationem ad ipsum hominem, cujus sunt pasiones; nihilominus justitia *commutativa* non eodem modo respicit medium rei, sicut justitia *distributiva*: nam hæc respicit medium *secundum proportionalitatem geometricam*, id est, æquale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem; illa respicit medium *secundum arithmeticam proportionalitatem*, id est, secundum parem quantitatis excessum. Igitur in justitia distributiva non attenditur æqualitas rei ad rem, sed proportio rerum ad personas, ita ut præmia, vel pœnæ distribuantur relate ad merita, vel demerita personarum. In justitia vero commutativa attenditur æqualitas rei ad rem, ita ut si quis acceperit ab altero v. g. quinque, quinque etiam restituat.

549 Ex penitiori Mathesi id explicat S. Thomas (1). Ac de proportionalitate quidem præmittit dicens: » Omnis pro»portionalitas ad minus consistit in quatuor. Est enim duplex »proportionalitas: una quidem disjuncta, & alia continua. Dis»juncta quidem proportionalitas est æqualitas duarum pro»portionum non convenientium in aliquo termino. Cum ergo »omnis proportio sit inter duo, manifestum est, quod propor»tionabilitas disjuncta in quatuor terminis consistit; ut si di»cam: sicut se habet sex ad tria, ita se habet decem »ad quinque; utrobique enim est dupla proportio. Conti»nua autem proportionalitas est æqualitas duarum proportio»num convenientium in uno termino; puta si dicam: sicut »se habent octo ad quatuor, ita se habent quatuor ad duo; utro»bique enim est dupla proportio. In hac igitur, continua propor»tionaliter sunt quodammodo quatuor termini, inquantum scili»cet utimur uno termino ut duobus, unum terminum bis dicen»do, scilicet in utraque proportione; ut si dicam: quæ est pro»portio A ad B, id est octo ad quatuor, eadem est pro»portio B ad C, id est quatuor ad duo; utrobique enim est »dupla. Sic ergo B dicitur bis; unde quamvis B sit unum »subjecto, quia tamen accipitur ut duo, erunt quatuor pro»portionata«.

550 Exponens deinde proportionalitatem in justitia distributiva: » Sicut, *inquit*, proportionalitas, ita & justum ad mi»nus inter quatuor invenitur, in quibus attenditur eadem pro-

(1) 5. Ethic. lect. 5.

»portio, quia scilicet secundum eamdem proportionem dividun»tur res quæ distribuuntur, & personæ quibus distribuuntur. »Sit ergo A unus terminus, puta duæ libræ: B autem sit »una libra: G autem sit una persona, puta Sortis, qui duo»bus diebus laboravit: D autem sit Plato, qui uno die la»boravit. Sicut ergo se habet A ad B, ita se habet G ad »D, quia utrobique invenitur dupla proportio. Ergo permu»tatim, sicut se habet A ad G, ita B ad D. Quæcumque »autem sunt invicem proportionabilia, & permutatim propor»tionabilia sunt, sicut patet in prædicto exemplo: sicut se »habet decem ad quinque, ita octo ad quatuor. Ergo commu»tatim, sicut se habet decem ad octo, ita se habet quinque »ad quatuor; utrobique enim est sesquiquarta proportio. Sic »ergo & permutatim erit verum dicere, quod sicut se habet »A ad G, id est duæ libræ ad eum, qui duobus diebus la»boravit; ita B ad D, id est una libra ad eum, qui uno die »laboravit«.

551 Præterea animadvertit, considerandum esse »quod in »his, quæ sic sunt proportionalia, quæ est proportio unius ad »alterum, eadem est proportio totius ad totum. Puta, si quæ »est proportio decem ad octo, eadem est proportio quinque »ad quatuor; sequitur ulterius, quod quæ est proportio de»cem ad octo, & quinque ad quatuor, eadem sit proportio »decem, & quinque simul acceptorum, quæ sunt quindecim, »ad octo, & quatuor simul accepta, quæ sunt duodecim, quia »hic etiam est sesquiquarta proportio. Et unde? quia quinde»cim continet duodecim, & quartam ejus partem, scilicet ter»narium. In proposito sequitur, quod sicut se habet ista res »ad istam personam; ita se habet illa ad illam personam; & »ita etiam se habet totum ad totum; id est utraque res si»mul accepta ad utramque personam simul acceptam: & »hoc est, quod distributio conjungit. Et si ita aliquis distribuen»do res hominibus, conjungat, juste facit. Patet ergo, quod »conjunctio A cum G, id est rei duplæ cum persona duplo »digniore; & B cum D, id est dimidii cum dimidio, est »justum distributivum, & tale justum est medium. Injustum »autem est præter hanc proportionalitatem. Proportionale enim »est medium inter excessum, & defectum, quia proportionalitas »est æqualitas proportionis (1)«. Quare autem hæc propor-

(1) Perspicitis, quam necesse sit, in Mathematicis versatum esse illum, qui etiam Moralia tractat; quî enim fieri potest, ut Ma-

tionalitas dicatur *geometrica*, rationem tradit idem Angelicus (1) inquiens: » Proportionalitas, quæ attenditur secundum »æqualitatem proportionis, à Mathematicis vocatur *geome-*»*trica*, in qua scilicet accidit, quod ita se habet totum ad »totum, sicut altera partium ad aliam, ut in præmissis di-»ctum est. Non autem hoc accidit in proportionalitate *arithme-*»*tica*«.

552 Pergit ad explicandam hanc proportionalitatem arithmeticam, quæ attenditur in justitia commutativa, & ait (2): »Æquale in justitia commutativa non attenditur secundum pro-»portionalitatem illam, scilicet *geometricam*, quæ attendebatur in »distributivo justo, sed magis secundum *arithmeticam*, quæ sci-»licet attenditur secundum æqualitatem quantitatis, & non se-»cundum æqualitatem proportionis, sicut *geometrica*. Sex enim »secundum *arithmeticam* proportionalitatem medium est inter »octo, & quatuor; exceditur enim ab uno, & excedit al-»terum in duobus, sed non est proportio eadem utrobique: nam »sex se habet ad quatuor in sesquialtera proportione: octo »autem ad sex in sesquitertia. Econtrario vero secundum *geo-*»*metricam* proportionalitatem medium exceditur, & excedit »secundum eamdem proportionem, sed non secundum eamdem »quantitatem: sic enim sex est medium inter novem, & qua-»tuor; utrobique enim invenitur sesquialtera proportio, sed non »eadem quantitas; novem enim excedunt sex in tribus, sex vero »quatuor in duobus«.

553 Et paulo post (3) idipsum explicat exemplo: » Si »sint duo æqualia, quorum utrumque habeat duas mensuras, »puta duos palmos, aut duos pedes, & medietas auferatur »ab uno, & apponatur alteri; manifestum est, quod illud »quidem, cui apponitur, superexcedit alterum in duobus, quia »ei cui subtrahitur, non remanet nisi unum: illud autem cui »superadditur, habet tres. Sed si id quod subtrahitur ab »uno, non apponatur alteri, manifestum est, quod non erit »excessus nisi in uno. Per id autem, cui nihil additur, vel »subtrahitur, intelligitur ipsum medium justitiæ, quia habet quod »suum est, nec plus, nec minus. Per id autem, cui additur,

---

thesis omnino expers præfatam intelligat proportionalitatis doctrinam, quam Angelicus repetit etiam in Summa 2. 2. q. 61. a. 2.

(1) Lect. cit.

(2) Ibid. lect. 6.

(3) Ibid. lect. 7.

»intelligitur ille, qui plus habet. Per id autem, cui subtrahi»tur, intelligitur ille, qui minus habet. Sic ergo patet, quod »ille, qui plus habet, excedit medium in uno, quod scilicet est »sibi superadditum: medium autem excedit id, à quo est ablatum, »in uno, quod scilicet est sibi subtractum. Hoc ergo medio cogno»scemus, & quid debet auferri ab eo, qui plus habet, & quid »oportet apponere ei, qui minus habet.



554 Amplius etiam id exponit in lineis: »Sint tres »lineæ æquales, in quarum »una scribatur in terminis »aa, in alia bb, in tertia »gg; linea ergo bb maneat »indivisa, linea vero aa dividatur per medium in puncto e, »linea vero gg dividatur per medium in puncto 3. Aufera»tur ergo à linea, quæ est aa, una pars, quæ est ae, & appo»natur lineæ, quæ est gg, & vocetur hoc appositum gd. Sic er»go patet, quod tota linea dg excedit eam, quæ est ae, in »duobus, scilicet in eo quod est gg, & in eo quod est gd; »sed lineam, quæ est bb, excedit in uno solo, quod est gd. »Sic ergo patet, quod id, quod est maximum, excedit medium in uno: minimum autem in duobus ad modum arithmeticæ pro»portionabilitatis (1) «. Constat igitur, justitiam distributivam respicere medium secundum *proportionalitatem geometricam*; justitiam vero commutativam secundum *proportionalitatem arithmeticam*.

555 Nunc autem pauca addenda sunt de virtutibus justitiæ adnexis, quæ partes ejus *potentiales* dicuntur (2). Sunt autem 1. *Religio* erga Deum. 2. *Pietas* erga parentes, & patriam. 3. *Observantia* erga homines dignitate, aut virtute præstantes. 4. *Obedientia*, quæ est observantiæ pars. 5. *Veritas*, seu *Veracitas*, qua quis talem se exhibet in verbis & factis, qualis est. 6. *Gratia*, seu grati animi virtus pro beneficiis acceptis. 7. *Vindicatio*, qua quis de malis vindictam sumit, non ulciscendi animo, sed ad peccantis emendationem, vel saltem ad ejus cohibitionem, ad aliorum quietem, ad justitiæ conserva-

(1) Hæc putavimus exponere diligentius, ad sternendam viam doctrinis, quæ sæpe recurrunt etiam apud Theologos agentes de satisfactione Christi, de Pœnitentia, &c.

(2) Quare dicantur potentiales, vide apud S. Thomam 2. 2. q. 80. a. 1.

tionem, & ad Dei honorem; modo cæteræ circumstantiæ debitæ concurrant. 8. *Liberalitas* in rebus suis dandis, non prodigendis. 9. *Urbanitas*, sive facilitas in communi hominum consuetudine. 10. *Amicitia*, sive mutua affabilitas, & benevolentia, non ob utilitatem propriam, aut voluptatem, sed propter virtutem (1). Epiikia autem (2), ut S. Thomas ostendit (3), est pars justitiæ communiter dictæ, seu quædam regula humanorum actuum, de quibus leges dantur. De iis vero, quia infinitis modis variari possunt, non potuit institui aliqua lex, & regula certa, quæ in omnibus casibus humanos actus dirigeret, & ideo necesse est, ut detur aliqua æquitatis regula leges interpretans in singularibus illis casibus; quæ quidem æquitas Epiikia dicitur (4).

---

(1) De his vide S. Thom. 2. 2. q. 81. sqq.

(2) Ἐπιείκεια nomen est græcum, latine *æquitas*, ab ἐπὶ, quod in compositione vim habet augendi, & εἰκὸς, *par, decens, consentaneum*; quasi valde decens, & æquum. Est enim Epiikia, seu Epiicia virtus, qua, prætermissis verbis legis, sequimur id, quod poscit justitiæ ratio, & commune bonum, ipsaque legis intentio, ac finis.

(3) 2. 2. q. 120. a. 1. sq.

(4) Multa de legum interpretatione congerit Genuensis l. 1. de offic. c. 5. Ne singula persequamur, in pauca animadvertimus. Ac primum quidem in ea, quæ scribit §. 8. de legibus Mosaicis. » Leges, inquit, sunt e. g. Mosaicæ, *ne comedas agnum coctum lacte matris: ne ares bove, & asino junctis: ne vestem gestes ex lana, & lino textam: non seres mixta semina*; & plures aliæ ejusdem generis; quæ profecto causam aliquam habuere aut in clima-te, aut in solo, aut in moribus Judæorum, abditam tamen nobis «. Memoratæ leges à Moyse quidem traditæ fuerunt populo Judæorum, sed à Deo constitutæ, erantque leges observantiarum cæremonialium, quæ propterea post Christi mortem nobis mortiferæ sunt effectæ. Nihilominus Genuensis earum causam repetit à clima-te, à solo, à moribus Judæorum. Apostolus 1. ad Cor. 10. v. 11. de hujusmodi legalibus observantiis ajebat: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Genuensis vero naturales quærit causas. Cur carnes *hædi* (Genuensis dicit *agnum*) non deberent ab Hebræis coqui cum lacte matris suæ, ut præcipitur Exod. 23. v. 19. & Deut. 14. v. 21. rationes vide apud S. Thomam 1. 2. q. 102. a. 6. ad 4. Cur præciperetur Deut. 22. v. 10. ne quis araret in bove simul, & asino, idem S. Thomas exponit loc. cit. ad 9. Explicatio ejus ad rem facit maxime: » Non est, inquit, simul arandum in bove, & asino, quia fatuus sapienti in prædicatione (*idem in scriptione librorum*) non est sociandus, quia unus impedit alium «. Idem S. Tho-

556 Vitia autem justitiæ opposita sunt *Acceptio personarum*, quæ opponitur justitiæ distributivæ, *Homicidium*, *Mutilatio*, *Verberatio*, *Detentio*, *Furtum*, *Injusta sententia*, *Injusta accusatio*, *Injusta defensio*, *Contumelia*, *Detractio*, *Susurratio*, *Derisio*, *Maledictio*, *Fraus in contractibus*, & *Usura*; quæ quidem vitia opponuntur justitiæ commutativæ. Religioni autem opponitur *Irreligio*, & *Superstitio*, itemque *Tentatio Dei*, *Perjurium*, *Sacrilegium*, *Simonia*. Pietati opponitur *Impietas* erga parentes, & patriam, & inordinatus parentum, & patriæ amor. Observantiæ opponitur *Contemptus*; Obedientiæ *Inobedientia*; Veritati *Mendacium*, *Simulatio*, *Hypocrisis*, *Jactantia*, *Ironia*; Grati animi virtuti *Ingrati animi vitium*; Vindicationi *Sævitia*, & *Remissio* in puniendo; Liberalitati *Avaritia*, & *Prodigalitas*; Urbanitati *Rusticitas*, & nimia *Severitas*; Amicitiæ *Adulatio*, & *Litigium* (1). Animadvertit autem S. Thomas (2), præcepta Decalogi ad justitiam pertinere.

---

mas ib. ad 6. explicat legem Levit. 19. v. 19. *Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.* Atque ait: »In vestimento contexto ex »lana, & lino interdicitur conjunctio simplicitatis, & innocentiæ, quæ »figuratur per lanam; & subtilitatis, & malitiæ, quæ figuratur per »linum«. Denique ipsemet Angelicus ibid. ad 9. explicat præceptum illud Levit. 19. v. 19. *Agrum tuum non seres diverso semine*: atque: »In Ecclesia, *inquit*, quæ est spiritualis vinea, non est seminanda »aliena doctrina, id est Catholica, & hæretica«. Genuensis ergo videat, ne ejusmodi leges spiritualiter intellectæ ipsum fortasse attingant, qui in Vineam Domini tantam importavit diversarum doctrinarum segetem.

Deinde §. 17. quærens, *an competat Judicibus jus interpretandi, an satius sit labi interdum, quam leges hominis ingenio mancipare?* distinguit inter *Judices philosophos, legum peritos, ac probos; & imperitos, aut pravos.* Atque ab illis fieri interpretationem posse dicit, secus ab istis. Addit vero: *Cæterum ubinam gentium illi velut ex Republica Platonis descripti Judices?* Videte, quo insolentiæ sit progressus, ut universos Judices tamquam gregem habuerit hominum imperitorum, & improborum. Ipse autem, qui philosophus erat, nescivit, interpretationem legum in dubiis, si tempus, & facultas ferant, non ad Judices, sed ad ipsum Legislatorem pertinere. S. Thom. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3. »Interpretatio, *inquit*, locum »habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione Principis »à verbis legis recedere«.

(1) De his vide S. Thomam 2. 2. q. 92. sqq.

(2) Ibid. q. 122. a. 1. sqq.

De Fortitudine, & ejus actibus, & virtutibus adnexis, & vitiis oppositis.

557 Quod ad Fortitudinem spectat, eam definit cum Tullio (1) S. Thomas (2), est *considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio*, ne scilicet voluntas retrahatur à bono prosequendo ob timorem mali corporalis. Sive, ut eam S. Augustinus definit (3), *Animæ affectio, qua omnia incommoda, & damna in nostra potestate constitutarum rerum contemnimus.* Ejus actus sunt, *sustinere*, id est immobiliter sistere in periculis, reprimendo timorem: & *aggredi* difficilia, moderando audaciam (4). Præcipuus vero fortitudinis actus est *Martyrium* (5). Adjunguntur autem fortitudini 1. *Magnanimitas*, quæ modum rationis ponit circa magnos honores (6). 2. *Magnificentia*, quæ est circa magnos sumptus (7), præsertim in Dei honorem (8). 3. *Patientia*, qua mala æquo ani-

(1) Lib. 2. de Invent. (2) 2. 2. q. 123. a. 2.
(3) Lib. 1. de lib. arbitr. (4) S. Thom. ibid. a. 6.
(5) Idem ibid. q. 124. a. 1. sqq.
(6) Ibid. q. 129. a. 1. sqq.
(7) Ibid. q. 134. a. 3.
(8) Hæc non placent Montesquio, qui de spir. leg. l. 25. c. 7. videtur quidem agere *de luxu superstitionis*; revera tamen omnem magnificentiam excludit in exteriori Religionis cultu; imo laudans sententiam Platonis reprobantis eos, qui putabant, numina sacrificiis placari posse, videtur reprobare sacrificiorum utilitatem, Religionemque loco superstitionis habere. Addit porro, *curare homines debere, ut Divinitati exhibeant cultum, qui longe distet à magnificentia, ne si ei thesauros offeramus nostros, demonstremus, æstimare nos illasmet res, quas ut contemnamus Deus vult.* Quo dici quid potest iniquius? nam si verum id foret, peccasset Salomon excitando magnificentissime Templum Hierosolymitanum: peccassent tot sancti, & pii Reges, præsertimque Constantinus Magnus, qui magnos impenderunt sumptus, ut Divinum amplificarent cultum. Inepta autem est Montesquii ratio: nam Deus non præcipit, ut absolute contemnamus divitias, sed ut eas contemnamus, ne impedimento sint ad virtutem, æternamque felicitatem. Cæterum & ipsæ divitiæ sunt Dei dona, & si eis bene utimur, ad Deum nos ducunt. Tantum ergo abest, ut qui magnificus est in Dei cultu, divitias inordinate æstimet, quin illas æstimet, ut æstimandæ sunt, nimirum relate ad

mo toleramus, id est, sine perturbatione tristitiæ, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus (1). 4. *Perseverantia* virtus, ad quam pertinet in virtuosis operibus diuturnitatem sustinere, prout necesse est (2).

558 Fortitudini opponitur *Timor*, & *Audacia*; timor quidem, quando quis timet in eo, quod timere non debet, & dicitur *Timiditas*: non timere autem, quando oportet timere, est etiam vitium, quod dicitur *Intimiditas*. Insuper nihil, aut parum audere, *Vecordia* dicitur: nihil autem non audere, vocatur *Temeritas* (3). Magnanimitati vero per excessum opponitur *Præsumptio*, qua quis contendit ad opera, quæ præferuntur suæ virtuti; insuper *Ambitio*, quæ est inordinatus appetitus honoris (4); præterea *Inanis gloria*, qua quis inordinate humanam appetit gloriam (5). Per defectum vero Magnanimitati opponitur *Pusillanimitas*, quæ ex animi parvitate retrahit à magnis (6). Magnificentiæ autem opponitur *Parvificentiæ* vitium, cum scilicet quis in parvo, quod non vult expendere, perdit bonum magnifici operis; vel ex consequenti intendit parvitatem operis, quam non recusat, dummodo parvum sumptum faciat (7). Denique sicut Patientiæ opponitur *Impatientia*, ita Perseverantiæ *Mollities*, cum quis propter tristitiam recedit à bono; & *Pertinacia*, cum quis in propria sententia perseverat plus quam oportet (8).

---

virtutem, & ad Deum; easque propter Deum contemnat, illas expendens in Dei cultum. Hæc de magnificentia cultus generatim; non enim loquimur de casibus peculiaribus, in quibus & ipsa Ecclesia profundit sua in subsidium pauperum, vel in Reipublicæ necessitates.

Audivimus, Montesquium paulo ante mortem pœnituisse eorum quæ scripserat, idque testatur Gauchat. Si ex animo id fecit, ut credimus, ei gratulamur. Idque satis est semel notasse, ut postea Montesquium impugnantes, non ipsum, sed ejus errores nos impugnare omnes sciant.

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 136. a. 1. sqq.
(2) Ibid. q. 137.
(3) Ibid. q. 125. sqq. (4) Ibid. q. 130.
(5) Ibid. q. 132. a. 2. (6) Ibid. q. 133. a. 1.
(7) Ibid. q. 135. a. 1. (8) Ibid. q. 138. a. 1. sq.

De Temperantia, ejusque partibus, speciebus, & virtutibus adjunctis, atque oppositis vitiis.

559 Ad Temperantiam devenientes, hæc aliquando accipitur pro moderatione quadam, quam ratio ponit in humanis actibus: sic autem non est virtus specialis, sed generalis. Aliquando accipitur, prout appetitum refrenat in his, quæ maxime alliciunt: sic vero est virtus specialis, ac definitur: *Virtus medium rationis ponens in delectationibus corporeis, potissimum tactus* (1). Sive, ut habet Aristoteles (2), est *mediocritas in voluptatibus corporalibus.* Vel, ut eam S. Augustinus definit (3), est *rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio.*

560 Partes temperantiam quasi integrantes sunt *Verecundia, & Honestas.* Ac verecundia quidem est *timor alicujus turpis, quod est exprobrabile* (4), scilicet vitii, cui proprie debetur exprobratio (5). Ex Nysseno (6) autem advertit S. Thomas (7), verecundiam dupliciter respicere culpam: *uno modo, ut aliquis desinat vitiose agere propter timorem vituperii: alio modo, ut homo in turpibus quæ agit, vitet conspectus publicos propter timorem vituperii*; atque ait, primum illud pertinere ad erubescentiam, posterius ad verecundiam. Honestas autem licet sit communis omnibus virtutibus, nihilominus speciali ratione competit temperantiæ, quæ moderatur concupiscentias pravas, ac brutales voluptates (8).

561 Species temperantiæ sunt *Abstinentia, Sobrietas, Castitas, & Pudicitia.* Abstinentia moderatur usum ciborum secundum rectam rationem (9). S. Augustinus (10) Deum alloquens ait: *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Ad abstinentiam pertinet Jejunium (11). Sobrietas moderatur usum potus rationem perturbantis (12). Castitas moderatur venereas voluptates ex

(1) Ibid. q. 141. a. 4. (2) L. 3. Ethic. c. 13.
(3) Lib. 83. qq. q. 31.
(4) 2. 2. q. 144. a. 2. (5) Ibid.
(6) L. 4. de creat. hom. c. 14. (7) Loc. cit.
(8) Ibid. q. 145. a. 3. (9) Ibid. q. 146. a. 1. sqq.
(10) L. 10. Confess. c. 31.
(11) S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 1. sqq.
(12) Ibid. q. 149. a. 1. sqq.

præscripto rectæ rationis, & ad eam revocatur Pudicitia (1).

562 Adjunguntur autem temperantiæ 1. *Continentia*, qua retrahimur à pravis concupiscentiæ motibus in delectationibus tactus (2). 2. *Clementia*, & *Mansuetudo*; clementia quidem, quæ pœnas minuit in exteriori punitione; mansuetudo vero, quæ iræ passionem minuit (3). 3. *Modestia*, qua quis in motibus internis, & externis compositionem debitam servat (4). Modestiæ autem species sunt 1. *Humilitas*, quæ animum refrenat, ne immoderate tendat in excelsa (5); 2. *Studiositas*, quæ moderatur appetitum scientiæ (6); 3. *Eutrapelia*, quæ ludis, & jocis modum imponit (7).

563 Porro temperantiæ per defectum opponitur *Insensibilitas*, si quis scilicet ita delectationes aversaretur, ut prætermitteret ea, quæ necessaria sunt ad naturæ conservationem (8); per excessum vero opponitur *Intemperantia*, quæ stricte sumpta est vitium, quo quis in voluptatibus corporeis modum excedit (9). Verecundiæ autem opponitur *Inverecundia*; Honestati *Turpitudo*; Abstinentiæ *Gula* (10); Sobrietati *Ebrietas* (11); Castitati *Luxuria* (12); Continentiæ *Incontinentia* (13); Clementiæ, & Mansuetudini *Ira*, *Crudelitas*, & nimia *Lenitas* (14); Modestiæ *Luxus* (15), & *Immodestia*; Humilitati

(1) Ibid. q. 151. a. 1. sqq. (2) Ibid. q. 155. a. 1. sqq.
(3) Ibid. q. 157. a. 1. sqq. (4) Ibid. q. 160. a. 1. sq.
(5) Ibid. q. 161. a. 1. sqq. (6) Ibid. q. 166. a. 1. sq.
(7) Ibid. q. 168. a. 1. sqq.
(8) Ibid. q. 142. a. 1. (9) Ibid. a. 2. sqq.
(10) Ibid. q. 148. a. 1. sqq. (11) Ibid. q. 150. a. 1. sqq.
(12) Ibid q. 153. a. 1. sqq. & q. 154. de luxuriæ partibus.
(13) Ibid. q. 156. a. 1. sqq. (14) Ibid. q. 158. sq.
(15) De luxu agens Genuensis 1. p. Lectionum Œconom. Civ. cap. 10. multa congerit more suo: atque inter cætera §. 9. sq. postquam dixit, vocem *luxus* esse *vagam*, & *obscuram*, ac Melonem laudavit arbitrantem, vocem illam nihil reale continere; itemque alios, qui putarunt, luxum esse repositum vel in nimiis expensis, vel in nimiis deliciis, exquisitisque voluptatibus tam corporis, quam animi; tandem iis subscribit, qui censent »che il lusso sia raffinare le »mode di vivere al di sopra di quel, che richiede il grado di ciascuno, e questo per distinguerci da' nostri eguali, o per agguagliarci a coloro, a' quali per altro riguardo siamo inferiori«. *Luxum reponi in comptiori vivendi forma supra id, quod uniuscujusque exigit gradus, ut ab æqualibus nos distinguamus, atque iis æquemur,*

Superbia (1); Studiositati *Curiositas* (2); Eutrapeliæ nimia *Morositas*, vel *Scurrilitas* (3).

---

quibus aliunde inferiores sumus. Deinde post multa indigesta, quæ longum esset referre, & impugnare, §. 41. de hoc luxus genere hanc v. statuit legem: » che questo lusso moderato si debba piuttosto » chiamar proprietà, decenza, e gentilezza d' un popolo culto, che » lusso: e che anzi di esser vizio è una virtù, come un mezzo » proporzionale tra la rozza, e sordida parsimonia, e la stolta, e » vana prodigalità «. *Is moderatus luxus vocari potius debet vivendi proprietas, decentia, nitor populi culti, quam luxus: nec vitium est, sed virtus, tamquam medium proportionale inter rudem, ac sordidam parsimoniam, & stultam, ac vanam prodigalitatem.* Ad quænam reservati tempora sumus, ut has lectiones excipere debeamus non à Philosopho tantum, sed à Catholicæ Ecclesiæ Sacerdote, cujusmodi Genuensis erat! Itaque ipso auctore, non vitium, sed virtus est moderatus luxus, quo quis non profundit quidem substantias suas, sed nihilominus superare in cultu exteriori vult eos, qui sibi conditione æquantur, & ad eorum arrepere æqualitatem, qui gradu conditioneque præstant. Quis non videt, in hoc ipso inanem quæri hominum gloriam, pervertique rectum ordinem rationis præscribentis, ut quisque conditionis suæ statum non excedat? Quid illud velle distingui ab æqualibus, & superioribus æquari, nisi ex inani gloria? nam Christiana humilitas, rectusque rationis ordo postulat, ut quisque suum occupet locum. Non omnem exteriorem cultum damnamus vitii; imo & in ipso cultu, si recte fiat, virtutem agnoscimus. Sed is cultus longe distat à luxu, qui semper in malam partem accipitur. Si Genuensis legisset S. Thomam 2. 2. q. 169. a. 1. sq. bone Deus! quam veram, accuratamque lectionem Œconomicam tradere potuisset in hac ipsa re de cultu exterioris ornatus, & quantopere promovisset Reipublicæ utilitatem, non approbando luxum ob inanem gloriam captandam, sed decentiam cultus dimetiendo ex probatis moribus, & consuetudinibus, atque etiam in mulieribus, ut viris suis placeant, modo reliquæ absint pravæ circumstantiæ actum vitiantes, ut loc. cit. S. Thomas ostendit cum S. Augustino. Comparetur duplex ille S. Thomæ articulus cum integro cit. c. 10. Genuensis, quod ferme 49. paginis continetur; & perspicietur, quam ille rectus sit, & verax, & quam is deceptor, & falsus.

(1) 2. 2. q. 162. a. 1. sqq. (2) Ibid. q. 167.

(3) Ibid. q. 168. sq.

De virtutibus Theologicis, vitiisque eis oppositis.

564 Atque hæc quidem breviter de virtutibus cardinalibus, eisque adnexis. Nunc pauca de virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis, quæ licet supernaturales sint (1), complent tamen virtutum chorum, imo inter ipsas sunt præcipuæ. Itaque Fide credimus Deo revelanti ea, quæ humanæ rationis superant captum. Spe nitimur Dei potentia, & bonitate, ut ipsum Deum tamquam beatitudinem nostram adsequamur. Charitate Deum super omnia diligimus ut ultimum finem nostrum, & proximum nostrum propter Deum. Præcipuus ejus actus est dilectio; effectus autem exteriores sunt *Misericordia, Beneficentia, Eleemosyna, & Correctio fraterna.*

565 Ut vero Fidei opponitur *Infidelitas*, sive sit *Gentilium*, sive *Judæorum*, sive *Hæreticorum*; & Fidei confessioni *Blasphemia*: ita Spei opponitur *Desperatio*, & *Præsumptio*. Charitati vero erga Deum opponuntur *Odium Dei*, & *Acedia*. Charitati erga proximum opponuntur *Odium proximi*, *Invidia*, *Discordia*, *Contentio*, *Schisma*, *Bellum injustum*, *Rixa*, *Seditio*, *Scandalum* (2), *&c.*

566 Post hæc de virtutibus, & vitiis compendio dicta, accedimus ad propositam controversiam; in qua quidem Stoici arbitrantes, officia alia esse *media*, alia *perfecta*, ut supra dictum est (3), docuerunt, officia *media* neque in bonis, neque in malis esse ponenda, sed medium occupare locum inter virtutes, & vitia, eaque esse singulis hominibus communia; officia vero perfecta dumtaxat mereri virtutis nomen, eaque propria esse tantum Sapientis (4). Contra vero Montesquius (5) virtu-

(1) Ejusmodi virtutes appellantur *Theologales*, quia Deum habent pro objecto; eæque supernaturales sunt, & à Deo infunduntur, ut cæteræ virtutes etiam morales infusæ, nec possunt humanis actibus acquiri, ut virtutes morales, quæ dicuntur *acquisitæ*.

(2) De his late S. Thomas 2. 2. q. 1. sqq.

(3) §. 524. (4) Vide Tullium l. 1. de offic.

(5) Cum Montesquius *l. 3. de l' esprit des loix* c. 5. statuisset, *virtutem non esse principium gubernii Monarchici* » la vertu n' est point » le principe du gouvernement Monarchique « ut se defenderet ab injuria Regnis Monarchicis irrogata, & lectoribus suis imponeret, notam adposuit, in qua ait, *loqui se de virtute politica, quæ virtus moralis est, qua ratione dirigitur ad bonum commune; parcius vero de virtutibus moralibus particularibus; parcissime de virtute, quæ refer-*

tis moralis nomen extendit etiam ad officia mere politica, licet non sint cum virtutibus moralibus particularibus conjuncta. Heineccius autem (1) duplex officiorum genus distinguit,

---

tur ad veritates revelatas. » Je parle ici de la vertu politique, qui est » la vertu morale, dans le sens qu' elle se dirige au bien général; » fort peu des vertus morales particulieres; & point du tout de cet- » te vertu, qui a du rapport aux vérités révélées «. Etiamsi de virtute mere politica fuisset loquutus, nonne atrox esset injuria, illam sejungere ab initiis gubernii Monarchici? Quid virtus politica, nisi virtus civica? Quomodo Regna Monarchica stabunt sine virtute civica? Et cum virtus politica respiciat bonum commune, ipso fatente Montesquio; si virtus politica non est principium gubernii Monarchici, tale gubernium nihil curat de bono communi. Gubernium autem nihil curans de bono communi tyrannicum est. Igitur gubernium Monarchicum ex Montesquio tyrannicum est, cum ejus principium non sit virtus politica. Non negamus virtutes politicas, sed hæ separandæ non sunt à virtutibus moralibus particularibus. » Quia homo » (inquit S. Thomas 1. 2. q. 61. a. 5.) secundum suam naturam est » animal politicum, virtutes ejusmodi (*cardinales*), prout in homine » existunt secundum conditionem suæ naturæ, *politicæ* vocantur, prout » scilicet homo secundum has virtutes recte se habet in rebus humanis gerendis «. Ad virtutes ergo politicas etiam spectat, ut homo recte se habeat in rebus humanis gerendis. Recte autem se habere non potest, nisi habeat etiam virtutes morales particulares: nam quomodo sine his recte curabit de rebus humanis? S. Thomas loc. cit. ad 4. » Sola, *inquit*, justitia legalis directe respicit bonum com- » mune; sed per imperium omnes alias virtutes ad bonum commune » trahit, ut in 5. Ethic. dicit Philosophus. Est enim considerandum, » quod ad politicas virtutes, secundum quod hic dicuntur, pertinet » non solum bene operari ad commune, sed etiam bene operari ad » partes communis, scilicet ad domum, vel aliquam singularem » personam «. Montesquius ergo excludit à Regnis Monarchicis non modo virtutes politicas, sed etiam particulares, à quibus virtutes politicæ, ut veræ virtutes sint, nequeunt esse sejunctæ. Id Montesquius ipse testatur: nam totum illud caput insumit, ut exaggeret vitia majoris partis Aulicorum, ambitionem, superbiam, divitiarum sitim, adulationem, proditionem, perfidiam, &c. quæ vitia ab Aulicis in reliquum populum facillime transeant. Hæc autem vitia non mere politica, sed particularia sunt. Ut quid ergo strophis ludit, ac se de virtutibus tantum politicis loquutum fingit? Fallitur vero turpissime: nam vitia illa, si quæ sint in Regnis Monarchicis, non ex gubernii constitutione manant, sed ex hominum corruptione: quæ duo ille confundit.

(1) De jur. nat. & gent. l. 1. §. 122. Addit in not. » Officia

perfectorum, & *imperfectorum*; ac *perfecta* proficisci putat ex obligatione perfecta, seu lege; *imperfecta* ex virtute. In eadem sententia Genuensis fuit (1). Nuperus vero Scriptor ope-

---

» perfecta sunt, neminem lædere, servare pacta, damna data resarcire, & similia. Imperfecta, opis nostræ indigis subvenire, stipem elargiri pauperibus, errantibus comiter monstrare viam, &c. « Qua in re notandum 1. Heineccium opera consilii, quæ sunt perfectionis opera, nec proficiscuntur ex obligatione præcepti, reponere inter officia *imperfecta*: quod est contra doctrinam Christi ajentis illi, qui dicebat, se præcepta servasse, Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Ne miremini: Heineccius Lutheranus erat, nec ejusmodi opera consilii tamquam opera perfectionis agnoscebat. Interea per cuniculos hæresim infundebat. Notandum 2. inter opera imperfecta, seu largæ obligationis illum reponere, opem præstare indigentibus, & stipem elargiri pauperibus, cum tamen ex præcepto charitatis ad hæc teneamur, si proximus noster in gravi sit necessitate constitutus.

(1) L. 1. de offic. c. 6. §. 3. Heineccii doctrinam, etsi mutilam, Genuensis transcribit; ait enim, *officia*, ex recentibus Philosophis, *alia esse juris perfecti, quæ in nemine lædendo consistunt; alia juris imperfecti, sive mutui auxilii*; quasi jus perfectum præcepta tantum *negativa* complectatur, nec præcepta colendi, diligendique Deum, parentes, Principes, &c. jure perfecto contineantur; aut quasi omnia officia mutui auxilii, ut liberare innocentem à morte, opem alteri præstare in extrema necessitate, patriam defendere, &c. sint juris imperfecti. Dividit porro officia in *naturalia, Christiana, civilia, ecclesiastica, & canonica*; atque inter præcepta Christiana ponit, nulla facta restrictione, *non litigare, non jurare, divitias non possidere*; quasi omnes, qui ad jura sua legitime tuenda lites suscipiunt, aut qui ex necessitate jurant, aut divitias possident, agant contra Christi præcepta. De Canonicis autem officiis hanc subnectit notam: » Canones autem dico Ecclesiæ aut provinciæ cujusque, aut Catholicæ, seu Universæ regulas, quas *Veteres* conscripsere Patres. De Decretalibus, ut vocantur, alia est disceptandi ratio, tametsi *jus canonicum* sæpe ab imperitis appellari audias «. Auctore igitur Genuensi, Canonum Ecclesiæ vim non habent Canones Conciliorum etiam Œcumenicorum, Tridentini, Florentini, Lugdunensis, Viennensis, Lateranensium, &c. propterea quod à *veteribus* Patribus non fuere conscripti. Mutatane est Ecclesiæ forma? aut non idem Spiritus Sanctus, qui posuit Episcopos eam regere, ipsi adest, sicut veteribus aderat Patribus? Quid hoc est aliud, quam negare Ecclesiæ auctoritatem condendi Canones postremis hisce temporibus? Quod ait de Decretalibus nihilo minus est impium: nam si veræ

ris Exam. Œconom. syst. civ. l. 1. c. 2. §. 2. ultra progreditur, atque in ipsam Stoicorum sententiam denique recidit. *Vera virtus*, inquit (1), *unice dici potest magnanimus ille conatus*

Pontificum Decretales non continent jus Canonicum, nulla est in summis Pontificibus auctoritas etiam in iis, quæ ad mere spiritualia pertinent. Hæc in usum tironum ille scribebat.

(1) » Virtù vera unicamente può dirsi quel magnanimo sforzo dell' » essere intelligente, che non agisce *contra* la legge, non *secondo* la » legge, ma *oltra* il precetto della legge, o per amor del supremo » Legislatore, o per amor di se stesso, o per amor de' suoi simili «. Itaque si hunc Scriptorem audimus, in virtutibus numerandi sunt dumtaxat magnanimi conatus, qui sunt ultra præceptum legis, hoc est, actiones heroicæ, quas nisi quis efficiat, virtute præditus dici non possit. Peregrina sane doctrina, & ad Stoicam Philosophiam plane composita! Sed quid disjunctio illa, *aut propter amorem Supremi Legislatoris, aut propter amorem suimet, aut propter amorem suorum similium*? Eruntne heroicæ virtutes, si homo sistat in amore sui, suorumque similium? imo vero neque erunt veræ virtutes *simpliciter*: nam quomodo vera virtus *simpliciter*, si est omnibus modis à Dei charitate sejuncta, quæ dat virtutibus formam? » Solæ » (inquit S. Thomas 1. 2. q. 65. a. 2.) virtutes infusæ sunt per» fectæ, & simpliciter dicendæ virtutes, quia bene ordinant homi» nem ad finem ultimum simpliciter; aliæ vero virtutes, scilicet ac» quisitæ, sunt secundum quid virtutes, non autem simpliciter; ordi» nant enim hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, » non autem respectu finis ultimi simpliciter «. Quanam vero ratione Scriptor ille confirmat adsertionem suam? Nulla prorsus, sed tantum adserendo, more ejusmodi Philosophorum. Nam quod addit, eum qui ulciscitur offensam, agere contra legem, esseque subditum contumacem; eum qui ultionem remittit publicæ Potestati, agere secundum legem, & esse probum; eum qui offensorem beneficiis prosequitur, agere ultra legem, & esse hominem virtute præditum: non est absolute verum; qui enim remittit offensam propter Deum, cum animo beneficiis prosequendi offensorem, si opus sit, non agit ultra legem, sed secundum legem, quæ ut ita remittat, & animo sit paratus, præcipit. Exemplis vero, quæ ille adfert, juste est quod succenseamus; ait enim: » Quindi lo spettatore s' inorridisce al fu» ror di Catilina; si appaga alla moderazione di Esther; e versa lagri» me di tenerezza su la clemenza di Augusto, perche abomina il vizio » del primo, perchè stima la probità della seconda, perchè ama la » virtù dell' ultimo «. *Hinc spectator exhorrescit ad Catilinæ furorem; ei placet moderatio Esther; teneras lacrymas fundit super Augusti clementia; execratur enim vitium primi, æstimat probitatem secundæ,*

entis intelligentis, non agentis neque contra legem, neque secundum legem, sed ultra præceptum legis, vel propter amorem supremi Legislatoris, vel propter amorem suimet, vel propter amorem suorum similium.

567 Videtur autem dicendum cum Stoicis, officia etiam ex honestate ducta non pertingere ad rationem virtutis, nisi sint omnino perfecta, 1. quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut dictum est (1). Nisi quis ergo officia omnino perfecta præstet, virtutis actus non efficit.

568 II. Actus qui non sunt omnino perfecti, aliqua ratione deflectunt à regula; si enim nullo modo ab ea deflecterent, essent omnino perfecti; perfectio siquidem in moralibus pendet à conformitate cum regula. Sed actus aliquo modo deflectentes à regula, nequeunt esse actus virtutum, quæ conformant actus cum regula. Ergo actus virtutum debent esse omnino perfecti.

569 III. Virtutes sunt media ad assequendum finem ultimum. Oportet ergo, ut ille, qui virtutis officium præstat, sit rectus circa finem ultimum. Qui autem ita rectus est, habet virtutes perfectas: nam finis ultimus rectus universa facit recta. Sola igitur officia perfecta merentur dici actus virtutis; cætera vero ad summum erunt media inter virtutes, & vitia.

Prop. I. *Nullum exstare potest officium medium ex honestate ductum, quod neque in bonis, neque in malis sit habendum.* II. *Non oportet autem, officia esse undique perfecta, ut sint ex virtutis præscripto.* III. *Exstant vero officia honesta, quæ non procedunt ex virtutum habitibus, & nihilominus in bonis censeri debent.* IV. *Exstant quoque officia imperfecta, quæ à virtutibus proficiscuntur, licet hæ non sint veræ virtutes simpliciter.* V. *Officia autem virtutum simpliciter non sunt nisi ejus, qui perfectas simpliciter habet virtutes.*

570 Prob. p. p. Officia ex honestate ducta, quæ ab ho-

postremi virtutem amat. Indigna comparatio, indigniorque prælatio Ethnici hominis, qui superbia, & vanitate ducebatur, supra Esther, quæ à Deo fuit electa pro Judæorum salute.

(1) §. 542.

mine præstantur, sunt actus morales, non in specie tantum, sed etiam in individuo. Demonstratum est autem (1), nullum dari posse in individuo actum moralem indifferentem, qui non sit neque bonus, neque malus. Nullum igitur exstare potest officium medium ex honestate ductum, quod neque bonum sit, neque malum. Quare qui officia etiam honesta in seipsis faciunt ob pravum finem, ut est v. g. dare eleemosynam ob inanem gloriam; ii male agunt: nam bonum faciunt male: malum autem est ex quocumque defectu.

571 Prob. 2. p. Officia undique perfecta, perfectione scilicet tam essentiali, quam accidentali, sunt ex virtutibus, quas S. Thomas (2) *purgati animi* vocat; quia scilicet sunt eorum, qui Divinam jam assequuntur similitudinem. Sed hæ virtutes non nisi beatorum sunt, aut nonnullorum paucorum in hac vita perfectissimorum; reliqui vero communiter homines in hac vita ad eam omnimodam perfectionem non pertingunt. Sane quilibet justus una cum charitate reliquas virtutes habet, quæ simul cum charitate infunduntur, ut S. Thomas ostendit (3); charitas enim, quæ ordinat hominem ad Deum finem ultimum, est principium omnium bonorum operum, quæ in eum finem ordinari possunt. Non omnia autem officia hominis justi habent omnimodam perfectionem; nemo enim justus tenetur ad officia summe perfecta, sed satis est, ut in omni opere suo Deum diligat super omnia, nihilque admittat, quod Divinæ charitati repugnet. Non ergo in officiis, ut

---

(1) §. 227.

(2) 1. 2. q. 61. a. 5. ubi virtutes cardinales dividit in *politicas*, *purgatorias*, *purgati animi*, & *exemplares*, uti Platonici cum Plotino dividebant. Atque *exemplares* quidem eas vocat, quæ sunt ipsum Divinum virtutum exemplar, in quo præexistunt humanæ virtutes, sicut præexistunt rerum omnium rationes. *Politicas* vero appellat illas virtutes, secundum quas homo recte se habet in humanis rebus gerendis. *Purgatorias* autem eas nominat, quibus veluti per motum quemdam tendimus in Divinam similitudinem, licet eam nondum simus adsequuti. Denique virtutes *purgati animi* dicit esse *virtutes jam adsequentium Divinam similitudinem, ita scilicet quod prudentia sola Divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum Divina mente perpetuo societur, eam scilicet imitando.* De his autem postremis ait: *quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.*

(3) 1. 2. q. 65. a. 3.

sint ex virtutum præscriptis, requiritur omnimoda perfectio (1).

572 Prob. 3. p. Virtutes non insunt nobis à natura, nisi tantum secundum quamdam aptitudinem, & inchoationem; ideoque vel infunduntur à Deo, si sint virtutes supernaturales; vel per actus nostros acquiruntur, si sint virtutes naturales (2). Actus autem, quibus virtutes naturales acquirimus, sunt quidem boni: nam si mali forent, generare habitum virtutis non possent; non procedunt vero à virtutum habitibus, cum hi habitus nondum sint per eos geniti, & acquisiti. Præterea, etiam in ordine supernaturali plurimi sunt actus, qui à virtutibus infusis non procedunt, ii scilicet, quibus peccatores ad justificationem disponuntur per contritionem imperfectam, quæ ab habitu pœnitentiæ, & charitatis non procedit: quamquam non sit sine auxilio supernaturali Dei moventis, & adjuvantis. Exstant igitur officia honesta, quæ non procedunt ex virtutum habitibus; & nihilominus in bonis censeri debent.

573 Nunc prob. 4. p. ex S. Thoma (3). Virtutes morales, prout sunt operativæ boni in ordine ad finem non excedentem facultatem hominis naturalem, possunt acquiri humanis actibus, licet non sint veræ virtutes *simpliciter*, quia etsi hominem ordinent bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non tamen respectu finis ultimi *simpliciter*, ut dictum est (4). Si

---

(1) De hac ipsa Stoicorum sententia loquens S. Thomas 1. 2. q. 66. a. 1. animadvertit, virtutem ejusdem speciei (idemque dicendum de officiis) dici posse majorem, vel minorem dupliciter, uno modo secundum seipsam, alio modo ex parte subjecti eam participantis. Ait porro, virtutem primo modo non suscipere magis, vel minus, quia ratio virtutis consistit in maximo; quicumque enim habet v. g. temperantiam, habet ipsam quoad omnia, ad quæ temperantia se extendit; alioqui temperantia non foret: & *secundum hoc*, inquit, *bene dixerunt Stoici.* At vero ex parte subjecti potest unus præ alio, & ipsemet etiam diversis temporibus, esse magis, vel minus dispositus ad attingendum medium virtutis; sic vero virtus potest esse major, vel minor. *Et in hoc deficiebant Stoici, existimantes, nullum esse virtuosum dicendum, nisi qui summe fuerit dispositus ad virtutem. Non enim exigitur ad rationem virtutis, quod attingat rectæ rationis medium in indivisibili, sicut Stoici putabant, sed sufficit prope medium esse.*

(2) Vide eumd. S. Thom. ibid. q. 63. a. 1. sq.

(3) Ib. q. 65. a. 2. & 3.

(4) In not. ultim. §. 566.

ergo ejusmodi virtutes in actus exeant, hi actus erunt officia imperfecta quidem, quia virtutes sunt imperfectæ, proficiscentur vero ab iisdem virtutibus, quæ non sunt veræ virtutes *simpliciter* (1). Dum autem dicimus, non esse *veras* virtutes, non intendimus eas reponere inter virtutes falsas, ut est prudentia carnis, & temperantia avarorum (2); sed negamus tantum, esse virtutes *simpliciter veras*, id est virtutes perfectas quoad modum. S. Thomas (3): »Si, *inquit*, illud bonum »particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel »aliquid hujusmodi, erit quidem *vera* virtus, sed *imper-*»*fecta*, nisi referatur ad finale, & perfectum bonum. Et »secundum hoc *simpliciter vera* virtus sine charitate esse non »potest«.

574 Denique postrema pars sequitur ex dictis (4). Si enim virtutes *simpliciter* sunt eæ, quæ ordinant hominem respectu finis ultimi *simpliciter*, qui Deus est, oportet, officia verarum virtutum *simpliciter* non nisi eorum esse, qui virtutes per charitatem perfectas habent. Accedit, quod virtutes morales perfectæ ita sunt invicem connexæ, ut una sine altera esse nequeat (5). Nulla enim virtus moralis potest esse perfecta sine prudentia, ad quam pertinet dirigere electionem rectam circa agibilia. Prudentia autem haberi nequit, nisi cæteræ virtutes morales habeantur; est enim prudentia recta ratio omnium agibilium. Officia igitur virtutum verarum *simpliciter* sunt illorum dumtaxat, qui habent virtutes perfectas.

575 Ad primum respondemus, virtutem dici dispositionem perfecti ad optimum, quatenus ordinatur ad actum, per quem res finem suum consequitur, ut dictum est (6). Vel dicendum, virtutem, quæ vocatur dispositio perfecti ad optimum, esse illam, *quæ ordinat ad principale bonum hominis*, scilicet Deum; *& sic nulla vera virtus*, proindeque nullum veræ virtutis of-

(1) Ita negavit sæpe S. Augustinus, præsertim vero lib. 4. cont. Julian. n. 26. Gentilium officia esse actus virtutum verarum; accipiebat enim virtutes *veras* pro virtutibus *simpliciter*, seu charitate formatis.

(2) Vide S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 7.

(3) Loc. cit.

(4) §. præced.

(5) Vide S. August. l. 6. de Trin. c. 9. S. Ambrosium l. 1. de Offic. c. 27. S. Greg. M. lib. 22. Mor. c. 1. & S. Thomam 1. 2. q. 65. a. 1.

(6) §. 542.

ficium, *potest esse sine charitate. Sed si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum*, ut S. Thomas scribit (1). Ita in eo etiam, qui charitate destituitur, potest esse aliquod officium moraliter bonum à virtute imperfecta procedens.

576 Ad secundum dicimus, actus morales duplicem habere perfectionem posse, alteram essentialem, & quoad substantiam; alteram accidentalem, & quoad modum. Ut autem sint perfecti essentialiter, sat est, eos esse rectæ rationi conformes; ita enim congruunt cum regula proxima humanorum actuum, quæ est recta ratio; cujusmodi est elargitio eleemosynæ ad sublevandum pauperem.

577 Ad tertium respondemus ex dictis (2), hominem per virtutes *simpliciter* perfectas ordinari ad finem ultimum *simpliciter*, scilicet Deum; & harum virtutum actus sunt officia charitate perfecta. Sed quia homo potest ordinari respectu finis ultimi in aliquo tantum boni genere per virtutes imperfectas, idcirco possunt in ipso dari aliqua officia bona quidem moraliter, sed imperfecta, si sint à charitate separata.

ARTICULUS III.

Utrum officia, ut sint virtutum actus, debeant esse ab omni passione libera.

578 ANalysim virtutum, & vitiorum in præcedenti fecimus articulo: nunc breviter passionum est analysis instituenda. Passiones ergo, ut illas S. Augustinus (3) describit, sunt *animi motus, quos Græci πάθη* (4), *nostri autem quidam, sicut Cicero, perturbationes; quidam affectiones, vel affectus; quidam vero, sicut iste de Græco expressius, passiones vocant* (5).

(1) 2. 2. q. 23. a. 7. (2) §. 573.
(3) Lib. 9. de Civ. cap. 4.
(4) Hinc Stoicorum ἀπάθεια, sive immunitas à passione, quam illi requirebant in sapiente. Vide Laertium l. 7.
(5) Stoici de passionibus late tractabant. Vide Laert. loc. cit. & Stobæum in Eclog. Ethic. Illos imitatus est Tullius præsertim in Tusculanis. Cartesius librum de passionibus edidit in tres partes divisum. De hoc autem libro Thomasius Cautel. p. 1. c. 14. §. 34. »Etsi Cartesius, *ait*, nobilissimam Ethicæ doctrinam *de passionibus*

Passionis autem nomen æquivocum est: nam, ut advertit S. Thomas (1), quandoque accipitur communiter, *secundum quod omne recipere est pati*; & sic etiam intellectus pati dicitur, quatenus recipit species rerum, suasque intellectiones. Quandoque accipitur proprie; sic vero *consistit in abjectione unius contrarii, & alterius receptione per viam transmutationis*; ut cum quis infirmatur, abjecta sanitate, is proprie dicitur pati. Quia vero transmutatio ab uno ad aliud contrarium non potest esse nisi tantum in corporibus, in quibus dumtaxat invenitur motus, & contrarietas qualitatum; idcirco passio proprie dicta non potest competere animæ, quæ est incorporea, nisi *per accidens*, quatenus scilicet compositum patitur.

579 » Illud ergo, quod per se patitur passione propria, »(ut S. Thomas (2) recte infert) corpus est. Si ergo passio »proprie dicta aliquo modo ad animam pertineat, hoc non »est, nisi secundum quod unitur corpori, & ita *per accidens*. »Unitur autem corpori dupliciter. Uno modo ut forma (3), »inquantum dat esse corpori vivificans ipsum. Alio modo ut »motor (4), inquantum per corpus suas operationes exercet.

» *animi* solide se demonstrasse opinatus fuerit, infinitis tamen eam» dem contradictionibus repletam esse, facile ostendi potest «. Multis magnisque est hæc tractatio obsita difficultatibus, & propterea Maximus Tyrius Diss. 31. ajebat, eam *non esse rem parvam, neque simplicem, non directam, neque expeditam.* Eam tamen S. Thomas mirum in modum declarat.

(1) 1. 2. q. 23. a. 1. & q. 26. de ver. a. 1. sqq.

(2) Q. 26. cit. a. 2.

(3) Hanc unionem animæ cum corpore non videtur negare vel ipse Cartesius, cum loc. cit. p. 1. a. 30. statuit, *animam esse unitam omnibus corporis partibus conjunctim*, ratione scilicet dispositionis organorum, quamvis a. 31. ponat animam habere sedem principalem in glandula cerebri, in qua suas functiones specialius exerceat.

(4) Etsi Cartesius loc. cit. a. 5. dicat, *erroneum esse credere, animam dare motum corpori*, idque *esse primam causam, quominus huc usque bene explicari potuerint passiones, sive affectus*; nihilominus a. 34. concedit, *posse glandulam varie moveri ab anima*; quasi grandula non sit corpus. Et a. 43. demonstrandum adsumit, *quomodo anima possit movere corpus*, quia scilicet *cum incedere volumus, aut alio modo movere nostrum corpus, hæc voluntas efficit, ut glans impellat spiritus ad musculos, qui huic rei inserviunt.* At nisi glans moveatur ab anima, quomodo voluntas efficiet, ut glans impellat? Quid efficiet voluntas, si glans ut impellat, non pendet ab anima? Si autem

»Et utroque modo anima patitur *per accidens*, sed diversi»mode: nam id quod est compositum ex materia, & forma, »sicut agit ratione formæ, ita patitur ratione materiæ; & ideo »passio incipit à materia, & quodammodo *per accidens* pertinet »ad formam. Sed passio patientis derivatur ab agente, eo quod »passio est effectus actionis. Dupliciter ergo passio corporis attri»buitur animæ *per accidens*. Uno modo ita quod passio incipiat à »corpore, & terminetur in anima, secundum quod unitur corpori ut »forma, & hæc est quædam passio corporalis: sicut cum læditur »corpus, debilitatur unio corporis cum anima, & sic *per accidens* »ipsa anima patitur, quæ secundum suum esse corpori unitur. Alio »modo ita quod incipiat ab anima, inquantum est corporis motor, »& terminetur ad corpus; & hæc dicitur passio animalis: sicut »patet in ira, & timore, & aliis hujusmodi: nam hujusmodi per »apprehensionem, & appetitum animæ peraguntur, ad quæ »sequitur transmutatio... Et sic corpore transmutato per altera»tionem aliquam, ipsa anima pati dicitur *per accidens* (1)«. Igitur sive passio incipiat à corpore, & terminetur in anima, ut in doloribus corporis; sive incipiat ab anima, & terminetur in corpore, ut in ira, & timore: numquam est sine aliqua transmutatione corporali. Si enim incipiat à corpore, perspicuum est, eam oriri ex transmutatione corporis. Si autem incipiat ab anima, & ex ea transeat in corpus, manifestum quoque est, debere esse in ea potentia, quæ organo corporali adjungitur; alioquin non transiret in corpus.

580 Sequitur autem ex dictis, passiones inveniri magis in appetitu sensitivo (2), quam in appetitu intellectivo; is enim

---

anima potest movere glandem, ut hæc impellat, cur non poterit cætera corporis membra? Sed de glande animæ sede jam diximus Tom. 5. §. 944.

(1) Tradita doctrina explicat clarissime commercium animæ cum corpore. Vide quæ diximus Tom. 5. §. 1012. sqq.

(2) Cartesius loc. cit. a. 47. declarare aggreditur, *in quo consistant conflictus, quos vulgo imaginantur inter partem inferiorem, & superiorem animæ*. Vulgusne ita imaginatur? *Caro*, inquit Apostolus ad Galat. 5. v. 17. *concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis*. Conflictus ergo inter partem inferiorem, & superiorem non sunt ex vulgi imaginatione, sed ex doctrina Fidei. Nam si explicentur, ut eos Cartesius explicat »adeo ut nulla alia lucta sit, »nisi quod, cum grandula quæ est in medio cerebri, possit impelli ex »una parte ab anima« (quomodo id fiet, si erroneum est dicere, ani-

non est actus alicujus organi corporalis, cum sit incorporeus, sicut ipsa anima: passio autem cum non sit sine transmutatione corporali, necessario debet esse virtutis utentis organo corporali, sicut est appetitus sensitivus, qui nihil est aliud, quam vis & potentia animæ in organo corporeo ad appetendum bonum sensibile; quemadmodum appetitus rationalis, sive voluntas est animæ vis & potentia ad appetendum bonum intellectuale, seu bonum secundum rationem.

581 Quoniam vero appetitus sensitivus duplex est, ut S. Thomas demonstrat (1), *concupiscibilis* nempe, & *irascibilis*; sequitur etiam, recte ab eodem S. Doctore (2) passiones numerari ad undecim (3), quarum sex pertinent ad *concupiscibi-*

---

mam dare motum corpori?) » & ex alia à spiritibus animalibus, qui » nil nisi corpora sunt, sæpe eveniat, ut hæ duæ impulsiones sint contrariæ, & ut fortior impediat effectum alterius «: Si, inquam, ita explicentur, quomodo verum erit, *carnem concupiscere adversus spiritum*, & *spiritum adversus carnem*? An spiritus animales, qui nihil nisi corpora sunt, aut glandula, quæ etiam corpus est, habebunt vim concupiscendi adversus spiritum, ita ut conflictus nihil aliud sint, quam impulsiones illæ corporeæ invicem contrariæ? Quod si *omnes animæ appetitus volitiones sunt*, ut ait Cartesius, explicet, quomodo caro concupiscit, sive appetit adversus spiritum, cujus sunt volitiones. Audiat S. Thomam, qui exponens verba Apostoli ib. lect. 4. proposito dubio, *quia cum concupiscere sit actus animæ tantum, non videtur quod competat carni*; respondet: » Ad hoc dicendum » est secundum Augustinum, quod caro dicitur concupiscere, in» quantum anima secundum ipsam carnem concupiscit, sicut oculus di» citur videre, cum potius anima per oculum videat. Sic ergo anima » per carnem concupiscit, quando ea quæ delectabilia sunt secundum » carnem, appetit «. Hæc autem dicitur pars inferior, non animæ solius (ut putat Cartesius imperite redarguens eos, qui admittunt partem superiorem, & inferiorem in homine, quasi anima habeat partes), sed hominis, cujus anima per carnem concupiscit; delectabilia enim carnis sunt infra nos, sicut delectabilia spiritus sunt supra nos. Eadem igitur anima est, quæ appetit delectabilia carnis per carnem, & hæc in nobis dicitur pars inferior, & appetitus sensitivus; & delectabilia spiritus per voluntatem, seu appetitum rationalem, qui est pars superior, cum delectatur in his, quæ sunt secundum spiritum, sicut sunt opera virtutum, & contemplatio divinorum, & meditatio sapientiæ.

(1) 1. p. q. 81. a. 2.

(2) 1. 2. q. 23. a. 4.

(3) Haud ignoramus, Cartesium loc. cit. p. 2. a. 51. sqq. longam constituisse passionum seriem, quamvis a. 69. universas ad sex

lem, scilicet *amor*, & *odium*; *desiderium*, & *fuga*; *gaudium*, & *tristitia*. Ad *irascibilem* vero pertinent quinque reliquæ, nimirum *spes*, & *desperatio*; *timor*, & *audacia*; & *ira*. Inter has autem animæ passiones præcipuæ sunt *spes*, & *timor*, *gaudium*, & *tristitia*, ut idem S. Thomas (1) profunde demonstrat. Quia vero *concupiscibilis* versatur circa bonum sensibile secundum se spectatum, *irascibilis* vero circa idem bonum ut arduum; ideo passiones ad *concupiscibilem* spectantes sunt ordine priores passionibus spectantibus ad *irascibilem*.

De amore, & odio.

582 Prima igitur passio est amor, qui, ut loquitur S. Thomas (2), est *complacentia appetibilis*, sive *immutatio appetitus ab appetibili*; sive, ut idem Thomas habet (3) ex Aristotele (4), *amare est velle alicui bonum*. Cum enim objectum appetitus sit bonum, quod naturaliter appetimus; primus motus appetitus debet esse circa bonum, quod hoc ipso appetitum immutat, ex quo appetitus sibi complacet in eo (5).

---

tantum primitivas passiones coarctet, nimirum *admirationem*, *amorem*, *odium*, *cupiditatem*, *lætitiam*, *mœrorem*. Ne tempus in eo refutando inutiliter teramus, hæc pauca habeto: Admiratio, quæ oritur ex eo, quod quis videt effectum, & causam ignorat, vel non pertinet ad partem appetitivam; vel si pertineat, reduci potest ad timorem, ut infra dicemus. Si autem amori respondet passio odii; & lætitiæ, seu gaudio respondet mœror, sive tristitia: quare cupiditati, seu desiderio non debet respondere fuga, sive aversio? Quod enim ait ille, eumdem esse motum, qui simul fert ad prosequendum bonum, & ad fugiendum malum ipsi contrarium; cur locum habere non debet in amore, & gaudio? cur non debet esse idem motus, quo amamus bonum, & odio habemus malum ei oppositum, nec idem motus, quo lætamur de bono, & tristamur de malo opposito? Motus distinguuntur ex terminis: tam vero diversi sunt termini cupiditatis, seu desiderii, & fugæ, seu aversionis, quam diversa sunt bonum, & malum.

(1) Q. 26. de ver. a. 5.
(2) 1. 2. q. 26. a. 2. (3) Ibid. art. 4.
(4) Lib. 2. Rhetor. cap. 4.
(5) Cartesius loc. cit. a. 79. amorem definit: » Amor est commotio animæ producta à motu spirituum, qui eam incitat ad se » voluntate jungendum objectis, quæ ipsi convenientia videntur «. Si

583 Cum autem appetitus duplex sit, sensitivus, & intellectivus, ut dictum est (1); duplex quoque est amor, *sensitivus*, & *intellectivus* (2). Ac sensitivus quidem est *complacentia in bono sensibili*; intellectivus vero est *complacentia in bono intelligibili*. Uterque autem passio quædam est, cum uterque sit quædam immutatio ab appetibili; sed tamen amor, prout est in appetitu sensitivo, proprie passio est; amor vero qui est in voluntate, dicitur passio improprie (3), propterea quod in anima incorporea nulla esse potest propria passio, ut dictum est (4). Ad hunc amorem qui est in voluntate, pertinet *dilectio*, quæ est in voluntate tantum, ut probat S. Thomas (5); dilectio enim addit electionem supra amorem: electio autem ad voluntatem pertinet. Ad dilectionem vero pertinet *charitas*, quæ amoris perfectionem continet, qua magni æstimatur res amata (6).

---

objecta videntur convenientia, igitur hæc convenientia objectorum voluntati ostensa præcedit commotionem animæ productam à motu spirituum, qui non possent incitare animam, ut sibi per voluntatem uniret objecta, nisi hæc visa essent ipsi convenientia. Qua igitur ratione commotio spirituum producet commotionem animæ, si omnis commotio pendet ex objectis, quæ animæ convenientia videntur? multoque magis, qua ratione amor erit ipsa commotio producta à motu spirituum, si hic motus sequitur ad voluntatem jam incitatam ex convenientia objectorum, ut sibi ea uniat? Præclare S. Augustinus l. 8. de Trin. c. 10. » Quid est amor, nisi quædam vita, duo » aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod » amatur «. Quæ est ipsa immutatio appetitus ab appetibili.

(1) Tom. 5. §. 1058. & hic §. 581.

(2) Non loquimur hic de amore *naturali*, qui non consequitur cognitionem sive sensitivam, sive intellectivam ejus qui appetit; is enim amor quodammodo dicitur amor, quia est ex cognitione instituentis naturam, estque pondus, & propensio quædam rei in finem sibi proportionatum, ad quem coaptata fuit à Deo naturæ auctore, ut lapidis propensio in centrum. Vide S. Thomam 1. 2. q. 26. a. 1. sq. & S. Augustinum l. 11. de Civ. c. 28. ubi ait: *amores corporum momenta sunt ponderum.*

(3) Adeatur S. Thomas 1. 2. q. 26. a. 2.

(4) §. 578. (5) Loc. cit. a. 3.

(6) Charitas apud Latinos auctores significat amorem honestum in eos, qui amantur gratuito, & vicissim redamare possunt. Vide Ciceronem l. 1. de offic. De discrimine inter amorem, dilectionem, & charitatem vide S. Augustinum l. 14. de Civ. c. 7. & S. Thom. loc. cit.

584 Dividitur etiam amor in amorem *amicitiæ*, quo amicum amamus propter amicum (1); & amorem *concupiscentiæ*, quo aliquid amamus propter nos ipsos (2). Verum amor amicitiæ pertinet ad voluntatem; procedit enim ex electione; ideoque inter passiones proprias concupiscibilis non est reponendus (3).

585 Prima & propria amoris causa est *bonum* (4), quod est ejus objectum, ut dictum est (5). Et quia pulchrum, & bonum ratione dumtaxat differunt, ut S. Thomas advertit (6); ideo 2. ejus causa est etiam *pulchrum* (7). Nequit autem bo-

---

(1) Verus amor amicitiæ est amor propter virtutem, & iste est tantummodo verus amor proximi; sic enim non amamus ipsum propter bonum nostrum, ut in amore concupiscentiæ, sed propter bonum ejus. Vide S. Thomam Opusc. 4. c. 7.

(2) Vide S. August. l. 83. qq. q. 35. & S. Thom. 1. 2. q. 26. a. 4.

(3) Missa hic facimus quæ Plato in *Phædro*; *& Convivio*; *& Lyside*; *& Charmide*, multa scribit de natura, & multiplicitate amoris; quæque Plotinus Enneade 3. l. 5. aliique Platonici tradiderunt; siquidem magna ex parte mystica sunt; nisi quis velit cum Theodoreto serm. 12. cont. Græcos, sermones amatorios, quibus disputationes Socratis, & Platonis opera abundant, pertinere ad amorem impurum, velatum, data opera, quibusdam documentis de intelligibili pulchritudine, ejusque amore. Certe Nazianzenus Jambic. 18. v. 188. sqq. de *Charmide* Platonis loquens, ait: *Et Charmides, & pallii velum exteri, sub quo docebat puberum pulchrum gregem Divina. Soli pulchri enim ingenio valent.* Et Apulejus ipse in Apologia, pro suorum amatoriorum carminum defensione profert Platonis carmina tamquam suis impuriora. Hinc amor ille impurus, *Platonicus amor* dictus.

(4) Vide S. Thom. 1. 2. q. 27. a. 1. Non probamus autem quod Heineccius habet in Elem. Phil. mor. §. 34. » Dubitari sane non po» test, quin in affectu mens semper à malo ad bonum moveatur «. Non enim voluntas potest aversari malum, nisi quia movetur ad bonum; malum siquidem est privatio boni: nemo autem à mera privatione potest moveri, cum privatio nihil sit, ideoque nequeat appetitum incitare, ut ab ea moveatur. Qui ergo refugit malum, hoc ipsum facit ex amore boni, ad quod inclinatur; ideoque bonum est id, quod primum movet affectum.

(5) §. 582. (6) Loc. cit. ad 3.

(7) Apud Græcos idem nomen καλὸς & bonum, & pulchrum significat. Est autem καλὸς à καλεῖν, vocare ad se, sive allicere, ut advertit Auctor l. de Div. nom. c. 4. nam bonum, & pulchrum allicit, & ad se trahit. Vide S. August. l. 15. de Civ. c. 13.

num amari, nisi cognoscatur; non enim ferimur in incognita; quapropter *cognitio* est 3. amoris causa (1): & quo major est cognitio bonitatis objecti, eo intensior est amor (2). Additur *similitudo*, quæ est 4. amoris causa (3); dicitur enim Eccli. 13. v. 19. *Omne animal diligit simile sibi* (4). Ipsemet *amor* est 5. causa amoris. Quare illud Senecæ (5): *Si vis amari, ama.* Et illud S. Augustini (6): „Nulla ma„jor est ad amorem incitatio, quam prævenire amando: & „nimis durus est animus, qui si dilectionem nolebat im„pendere, nolit rependere (7)". 6. *Conversatio* insuper, & *colloquia* accedunt ad fovendum amorem; & idcirco qui cum Deo frequenter agunt, Divina meditando, & orando, Divino inardescunt amore. Psalm. 38. v. 4. *in meditatione mea exardescet ignis.* Qui vero cum hominibus perpetuam habent consuetudinem, profano flagrant amore, maxime si consuetudine periculum adeant honestatis. 7. *Labor* in re paranda impensus amorem excitat erga ipsam (8); in hoc enim genere homo veluti suum laborem amat. 8. *Raritas* rei, si ejus pretium, & bonitatem augeat, ad amorem conducit; bonum enim æstimatur majus ex ipsa raritate (9). 9. Oritur amor ex *con-*

---

(1) Adeatur S. Thomas loc. cit. a. 2.

(2) Hinc amor in Beatis perfectus est; sequitur enim claram Dei visionem. Potest tamen aliquid plus amari, quam cognosci; justi enim in via amant Deum per seipsum, quem tamen per seipsum minime cognoscunt. Vide S. Thomam loc. cit. a. 2.

(3) Ibid. art. 3.

(4) Amorem præsertim excitat similitudo morum, affectuum, & studiorum. Nec obstat illud Hesiodi à Dione Chrysostomo orat. 77. memoratum, *figulus figulo invidet*: nam in amore concupiscentiæ homo amans alterum, in eo potius seipsum amat; ideoque si alter impedit ipsum à consequutione alicujus boni, v. g. lucri, aut muneris, vel prædæ, prævalet amor concupiscentiæ erga seipsum. Vide S. Thom. loc. cit.

(5) Epist. 9.

(6) L. de catechiz. rudibus c. 4.

(7) Vide S. Ambros. l. 2. de Offic. c. 7.

(8) Propterea, ut S. Augustinus advertit tract. 96. in Joann. catechumenis olim negabatur inspectio mysteriorum, ut postea impensius eam amarent. Ideo etiam matres ardentius amant filios, ut adnotat Aristoteles l. 1. Ethic. c. 7.

(9) Hac ratione filius unigenitus parentibus est magis dilectus.

junctione. Parentes, inquit Aristoteles (1), *amant liberos, quasi ex se quiddam sint: liberi autem parentes, quasi ex illis quidpiam sint ... Fratres autem se mutuo diligunt ex eo, quod ex iisdem nati sunt.* Et quia libri sunt veluti Auctorum fœtus, ideo hi amorem eis impendunt (2). Denique ipsa *corporis constitutio* præcalida, ut in his qui sanguine abundant, quales sunt juvenes, solet aliqua ratione in amorem influere (3).

586 Jam inter effectus amoris S. Thomas (4) numerat *unionem, inhæsionem, extasim, zelum, liquefactionem, fruitionem, languorem*, & *fervorem*; item *læsionem* amantis, si bonum amatum non est ei conveniens. Tandem omnis actio agentis propter finem est amoris effectus (5).

587 Ad inordinati amoris remedia quod attinet, præcipua sunt, 1. ut incipienti amori deordinato resistamus: nam, ut recte Seneca (6), *imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat: excluditur facilius, quam expellitur.* Si autem in consuetudinem abeat, in alteram veluti naturam convertitur, vixque est spes, ut evellatur. 2. mens, & cogitatio avocari statim debet ab objecto alliciente, alterique honesto objecto defigenda; cum enim cognitio sit amoris causa, ut dictum est (7), mutato objecto cognitionis, mutatur & causa amoris. 3. sensus cohibendi sunt, præsertim oculi, & tactus; nam species ad mentem per sensus deferuntur. De prima muliere dicitur Gen. 3. v. 6. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* Et c. 6. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum*, &c. 4. mens sanctis est honestisque rebus applicanda, atque otio

---

(1) Lib. 8. Ethic. c. 12. al 14.

(2) Vide eumd. Arist. l. 9. Ethic. c. 7.

(3) Adeatur Aristoteles l. 2. Rhet. cap. 4.

(4) 1. 2. q. 28. a. 1. sqq. Ejusmodi effectus operosius investigare, instituti ratio non sinit. Vide S. Thom. loc. cit. & Richardum Victorinum in duplici tract. de charitate.

(5) Hinc sequitur, amorem esse cæterarum passionum radicem, & originem. » Amor, inquit S. Augustinus l. 14. de Civ. c. 7. in» hians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, » lætitia est: fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si » acciderit sentiens, tristitia est «. Vide S. Thom. 1. 2. q. 25. a. 2.

(6) Epist. 116. (7) §. 585.

bellum indicendum : nam & ipse Diogenes (1) dicere solebat *amorem vacantium occupationem.* 5. cibo, & potu parce utendum, & caro mortificanda; hæc enim concupiscit adversus spiritum. 6. expendenda mala manantia ex amore perverso, omnia scilicet peccata *ab illa erroris, & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur*, ut ait S. Augustinus (2). 7. cum eodem Augustino (3) enixe à Deo postulandus est amor sanctus, qui ædificat cœlestem civitatem Jerusalem; & sæpe repetendum: *Da quod jubes, & jube quod vis . . . O amor qui semper ardes, & numquam extingueris, charitas Deus meus, accende me.* Ita enim amor impurus, & noxius à nobis recedet, nihilque amabimus nisi in Deo, & propter Deum. Denique præ oculis habenda sunt, atteque menti figenda aurea ejusdem S. Doctoris verba (4): „ In hac vi„ta non est, nisi diligere, quod diligendum est. Id eligere, „Prudentia est; nullis inde averti molestiis, Fortitudo est; „nullis illecebris, Temperantia est; nulla superbia, Justitia est. „Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo ni„hil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid „vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. „Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, „quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed aman„do . . . Ad eum ergo, qui ubique præsens est, & ubique „totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem „nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod diligit, „dijudicari solent. Nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi bo„ni, vel mali amores“.

588 Quemadmodum vero objectum amoris est bonum, ita objectum odii est *malum*; appetitus enim sicut naturaliter fertur in id, quod apprehenditur ut conveniens, ita aversatur id, quod apprehenditur ut repugnans, & noxium (5). Quare odium est aversio à malo apprehenso ut repugnante, & noxio.

589 Odium, sicut amor, aliud est appetitus intellectivi, aliud appetitus sensitivi. Hoc posterius proprie est passio; prius vero illud est passio improprie. Utrumque dividitur in odium *abo-*

(1) Apud. Laertium lib. 6.
(2) L. 22. de Civ. cap. 22.
(3) Lib. 10. Confess. cap. 29.
(4) Epist. 155. al. 51. cap. 4.
(5) Vide S. Thomam 1. 2. q. 29. a. 1.

minationis, & *inimicitiæ*. Hoc personam respicit, & opponitur amori amicitiæ: illud respicit rem, quæ apprehenditur ut repugnans, & noxia. Quapropter odium inimicitiæ semper est malum, quia respicit personam proximi, quam tenemur amore prosequi; odium vero abominationis potest esse bonum, si odio habeatur res mala in seipsa, sicuti est odium peccati: si autem res bona in seipsa sit nobis mala, non licet rem ipsam odio prosequi, maxime si eam amare teneamur (1).

590 Causæ odii sunt, 1. malum verum, vel apparens. 2. amor; nam, ut advertit S. Thomas (2), » necesse est, quod amor »sit prior odio, & quod nihil odio habeatur nisi per hoc, »quod contrariatur convenienti, quod amatur (3) «. 3. invidia, qua bonum alterius existimamus malum nostrum, vel bonum nostrum diminuens (4). 4. ira, qua ferimur in vindictam ob offensam ab altero acceptam, quæ si diutina sit, mutatur in odium (5). 5. superbia, ob quam superbi impense se amant, & facile se credunt maxime læsos. 6. accedit ipsa corporis constitutio: nam ii, qui frigidi, & sicci temperamenti sunt, odium facile nutriunt: accedente autem calore acuitur, & alte infigitur. Hæ sunt generales quædam odii causæ: peculiares autem totidem sunt, quot sunt causæ molestia afficientes.

---

(1) Naturaliter homo aversatur mortem, & omnia illa, quæ naturali ejus constitutioni repugnant: hæc autem aversatio vacat à culpa, nisi forte quis nolit se Divinæ voluntati ita disponenti subjicere; non enim qui hæc aversatur, odit rem bonam in seipsa, sed pœnam odit, & malum quod sibi repugnat. Si qui autem virtutem odio habent, ut erant illi, qui dicebant Job. 22. v. 14. *scientiam viarum tuarum nolumus*, vel qui oderunt veritatem redarguentem; ii peccant, eoque magis, quo se voluntariis obvolvunt tenebris. Vide S. Thom. loc. cit. a. 5.

(2) 1. 2. q. 29. a. 2.

(3) Quomodo autem amor, qui opponitur odio, possit esse odii causa, explicat S. Thomas loc. cit. ad 2. quia scilicet tunc amor, & odium sunt contraria, cum versantur circa idem: at si sint de contrariis, tunc amor unius est causa, quare ejus contrarium odio habeatur.

(4) Vide S. Thom. 2. 2. q. 34. a. 6.

(5) Idem ibid. ad 3. S. Augustinus Epist. 38. al. 149. » Inveterascens ira fit odium, dum quasi justi doloris admissa dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat «.

591 Primus odii effectus est divisio animorum, ita ut qui se odio prosequuntur, aversentur mutua colloquia, & consuetudinem; imo quandoque ita sunt affecti, ut nequeant de alio cogitare, quam de accepta noxa, vel injuria. Alter effectus est malevolentia, seu voluptas ex malo inimici; item invidia, sive tristitia de bonis ejus; insuper indignatio, sive dolor ex ejus rebus prosperis. Tertio ex odio manant contentiones, calumniæ, irrisiones, maledicta, rixæ; imo sæpe machinationes in hostis mortem vel aperte, vel per insidias; & aliquando odium in demortui etiam cadaver sævire facit. Denique odium est passio plusquam brutalis: nam bruta non solent odio habere alia bruta ejusdem speciei.

592 Huic autem passioni medendum est, 1. vigilando, ne odium cordis intima teneat (1). 2. perpendendo ejus fœditatem (2). 3. considerando mala, in quæ incurrit qui alium odit (3). 4. meditando beneficia, quibus nos Deus affecit, cum essemus inimici ejus; & exemplum, quod nobis Christus Dominus præbuit, qui pro nobis crucem pertulit, & pro suis persequutoribus, & carnificibus oravit (4).

---

(1) Ibid. S. Augustinus: » Incomparabiliter, *ait*, salubrius est, » etiam iræ juste pulsanti non aperire penetrale cordis, quam admittere non facile recessuram «.

(2) Seneca l. 2. de ira c. 31. » Cogita, inquit, fœdam esse, & » execrabilem vim nocendi, & alienissimam homini, cujus beneficio » etiam sæva mansuescunt «.

(3) Præclare S. Augustinus serm. 82. al. 16. de verb. Dom. c. 2. » Non potest fieri, ut qui odit alterum, non sibi prius noceat, » Illum enim lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus. Quantum autem animus noster corpore major est, tantum ei prospicere » debemus, ne ipse lædatur. Lædit autem animum suum, qui odit alterum. Et quid facturus est ei quem odit? ... Quidquid nocet, forinsecus nocet: sibi attende quid noceat. Intus enim sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed quia non sentit quid sibi mali » faciat, in alterum sævit, eo periculosius vivens, quo non sentit quid » secum mali agit; quia & sæviendo sensum perdidit, &c.

(4) Vide eumd. August. Enarr. in Psalm. 68. n. 9. ubi exponens verba illa, *oderunt me gratis*: » Accipiant, *inquit*, membra vocem » hanc, discant odio haberi gratis «.

De desiderio, & fuga.

593 Desiderium, quod & *concupiscentia* dici solet, est appetitus boni delectabilis absentis; qua ratione differt ab amore, quo bonum appetimus in seipso, abstrahendo à præsente, vel absente. Si desiderium in sola voluntate consistat, passio dici nequit; quia passio, ut dictum est (1), cum corporali transmutatione conjungitur. Itaque desiderium, prout est passio, *concupiscentia* proprie vocatur, estque de bono absente delectabili secundum sensum (2). Hujusmodi autem concupiscentiæ vel *naturales* sunt, illæ videlicet, quæ feruntur in bonum sensibile naturæ animali congruum, ut cibus, & potus: atque hæ finitæ sunt; natura enim intendit semper aliquid finitum, & certum; ideoque homo non nisi finitum cibum, & potum concupiscit. Vel sunt de rebus, quæ apprehenduntur ut convenientes animali; & hujus generis concupiscentiæ dicuntur *non naturales*, & vocari solent *cupiditates*: hæ autem infinitæ sunt; sequuntur enim apprehensionem rationis, cui competit in infinitum procedere (3). Desideriorum porro causæ, & effectus eadem sunt ac amoris; nisi quod ea quæ in promptu sunt, nullum ferme excitant desiderium; in vetita autem desiderium inardescit.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.
Sic interdictis invidet æger aquis.

Ad desideria ergo pertinent omnia, quæ ab homine fiunt, sive bona, sive mala; quare necessum est, ut desideria moderemur nostra ad rectæ rationis normam. Id autem præstabimus, si regulam S. Augustini sequamur (4): *Si vultis armati esse contra tentationes in sæculo, crescat, & roboretur desiderium Jerusalem æternæ in cordibus vestris.* Nisi tale desiderium regnet in corde, homo rabidam semper patietur famem; res enim creatæ nequeunt immensam cordis nostri capacitatem explere. Nu-

(1) §. 578.
(2) Vide S. Thom. 1. 2. q. 30. a. 1.
(3) De hisce concupiscentiis naturalibus, & non naturalibus, & de posteriorum infinitate, conferatur Plato l. 8. de Republ. Chrysostomus Hom. 73. in Joann. Philo l. in Decal. Simplicius ad c. 61. Enchir. Epicteti; Maximus Tyrius diss. 19. Seneca lib. 2. de benefic. c. 27. & Tullius l. 2. de fin.
(4) Enarr. in Psalm. 136. n. 22.

triamus igitur charitatem. *Nutrimentum* autem charitatis *est imminutio cupiditatis*: *perfectio nulla cupiditas*, ut idem Augustinus ait (1).

594 De fuga vix est quidpiam quod dicere debeamus: nam, ut S. Thomas advertit (2), » passio quæ directe opponitur con-» cupiscentiæ, innominata est, quæ ita se habet ad malum, » sicut concupiscentia ad bonum. Sed quia est mali absentis, » sicut est timor, quandoque loco ejus ponitur timor; sicut & » quandoque cupiditas loco spei «. Fugimus autem malum absens, quod vel est culpæ, vel pœnæ. Quia vero, ut S. Augustinus (3) ait, » nemo est qui non magis dolorem fugiat, quam » appetat voluptatem «, demus oportet fugæ locum, sed justæ: fugiamus à pœna, sed magis à culpa, propter quam meremur pœnam. Magna enim cæcitas est, omni cura, atque conatu fugere temporalia mala, quæ sunt peccati pœnæ; tanta vero facilitate peccata perpetrare, quæ sunt illorum malorum causæ. Denique sectemur ejusdem Augustini monitum (4): » Vis à » Deo fugere? ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato? fuge ad » placatum. Placabis eum, si speres in misericordia ejus: at- » que ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis deprece- » ris, ut tibi dimittantur «.

De gaudio, & delectatione.

595 Ut desiderium respicit bonum absens, ita gaudium, & delectatio sunt circa bonum præsens, & possessum. Differt autem gaudium à delectatione, quod delectatio potest esse etiam de his, quæ naturaliter concupiscimus; gaudium vero locum habet tantum in delectatione, quæ consequitur rationem (5). Quare *de omnibus de quibus est delectatio, potest esse gaudium in habentibus rationem, quamvis non semper de omnibus sit gaudium; quandoque enim aliquis sentit aliquam delectationem secundum corpus, de qua tamen non gaudet secundum rationem*, ut S. Thomas observat (6).

---

(1) L. 83. qq. q. 36.

(2) 1. 2. q. 30. a. 2. ad 3. (3) Loc. cit.

(4) Enarr. in Psalm. 146. n. 20.

(5) Verum gaudium non est nisi bonorum; *mali enim homines*, ut S. Augustinus ait l. 2. de Serm. Dom. in monte n. 81. *non gaudere, sed gestire dicuntur proprie.*

(6) 1. 2. q. 31. a. 3.

596 Duplex autem est delectationis species; altera quidem in appetitu intellectivo, seu in voluntate: atque hæc est simplex voluntatis motus gaudentis de spirituali bono habito, & possesso. Altera est in appetitu sensitivo, cum aliqua transmutatione corporali: & hæc passio est (1). Etsi vero delectationes spirituales, & intelligibiles seipsis potiores sint delectationibus sensibilibus corporalibus, tum quia bonum spirituale præstat corporali; tum quia delectationes spirituales totæ simul percipiuntur per simplicem voluntatis actum, corporales vero successionem admittunt, nec sunt totæ simul; tum quia firmiores illæ sunt, istæ autem fluxæ, cum corporalia bona sint corruptioni obnoxia, secus bona spiritualia (2): nihilominus quoad nos delectationes corporales vehementiores sunt, non modo quia sensibilia sunt nobis magis nota; verum etiam quia conferunt contra corporales defectus, ac molestias (3). Hinc S. Thomas cum Aristotele infert (4), hominibus necessarias esse quasdam delectationes etiam corporales, *quia indigent eis sicut medicina contra tristitias.* Præsertim vero *juvenes maxime indigent delectatione.* In iis enim *propter augmentum sunt multæ commotiones spirituum, & humorum... Et ideo propter hujusmodi laborem, juventus maxime quærit delectationem.* Insuper *melancholici secundum naturalem dispositionem semper indigent medicina contra tristitias, quia corpus eorum corrosionem patitur quamdam propter siccitatem complexionis; & ideo habent vehementem appetitum delectationis, per quam hujusmodi tristitia repellatur... Et inde est, quod frequenter fiunt intemperati, & pravi.* Delectationibus ergo corporalibus tamquam medicinis utendum est, id est parce, prout necessitas postulat, ad repellendas tristitias, non ad fovendam voluptatem. Maxime vero laborandum est, ne quæpiam delectatio obrepat, quæ minus congruat cum Divina Lege, & recta ratione. Ad rem S. Bernardus (5): » E »duobus malis longe melius est in necessitate gradi, quam »in cupiditate. Multiplex illa, sed ista amplius, & per omnem »modum, imo ultra omnem modum multiplicior invenitur «.

(1) Ibid. a. 4.

(2) S. Augustinus serm. 179. al. 27. de div. n. 6. » Delectatio, »*inquit*, cordis humani de lumine veritatis, de affluentia sapientiæ, »delectatio cordis humani, cordis fidelis, cordis sancti, non invenitur voluptas, cui possit aliqua ex parte comparari... alterius generis est, »longe aliud est, &c.

(3) S. Thom. loc. cit. a. 5. (4) 7. Ethic. lect. 14.

(5) Serm. 11. in Psalm. *Qui habitat.*

597 Delectationes præterea aliæ sunt honestæ, ac licitæ; aliæ turpes, & illicitæ (1); aliæ, quæ nihil molestiæ habent admixtum (2); aliæ, quibus molestia aliqua adjungitur, cujusmodi sunt omnes corporales deliciæ (3).

598 Multæ sunt delectationis causæ, quas Angelicus recenset (4), videlicet 1. boni possessio, & cognitio (5). 2.

---

(1) Describimus aurea S. August. verba serm. 159. al. 17. de verb. Apost. num. 2. » Inter omnia quæ delectant, plus te delectet ipsa ju» stitia: non ut alia non delectent, sed plus ipsa delectet. Delectant » enim quædam naturaliter infirmitatem nostram, ut cibus, & potus » delectant esurientes, atque sitientes; ut nos delectat hæc lux, quæ » de cœlo funditur sole exorto... delectat canora vox, & suavissima » cantilena; delectat odor bonus; delectant etiam tactum nostrum quæ» cumque pertinent ad carnis aliquam voluptatem. Et hæc omnia, quæ » nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, » ut dixi, oculos spectacula ista magna naturæ: sed delectant oculos » etiam spectacula theatrorum. Hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer » suaviter cantatus delectat auditum: sed delectant etiam auditum » cantica histrionum. Hoc licite, illud illicite... Delectat gustum » cibus non prohibitus: delectant gustum etiam epulæ sacrilegorum sa» crificiorum. Hoc licite, illud illicite. Delectant conjugales ample» xus: delectant etiam meretricum. Hoc licite, illud illicite. Videtis » ergo charissimi, esse in istis corporis sensibus licitas, & illicitas de» lectationes. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectatio» nes; & ei delectationi, qua licite delectaris, præpone justitiam «. Idem tamen Augustinus serm. de util. jejunii c. 5. *Qui*, ait, *à nullis refrenat licitis, vicinus est & illicitis.*

(2) Delectationes spirituales non habent directe secundum seipsas quidpiam tristitiæ admixtum, licet indirecte eis admisceri possit afflictio, vel dolor. Vide S. Thom. 1. 2. q. 35. a. 5.

(3) Vide S. Gregorium M. Hom. 33. in Evang. Has delectationes S. Thomas 7. Ethic. lect. 12. appellat delectationes *per accidens*. » Et » hujus, *inquit*, signum est, quia si essent hujusmodi vere, & sim» pliciter delectabilia, in omni statu delectabilia essent: quod patet » esse falsum, quia non eodem delectabili gaudet natura superimpleta, » puta cum homo nimis comedit, & natura bene disposita... Gaudent » enim homines repleti, quibusdam acutis, & amaris, eo quod fa» ciunt digerere cibum, cum tamen nihil eorum sit naturaliter de» lectabile «.

(4) 1. 2. q. 32. a. 1. sqq.

(5) Utraque requiritur, ut quis delectetur: nam si quis possideat bonum quod non cognoscit, non propterea delectatur; cognitio enim sicut amoris, ita delectationis est causa.

Varietas, & mutatio; nulla enim finita res est tam jucunda, quæ semper delectet (1). 3. Spes, & memoria rei adipiscendæ, quæ aliquo modo præsens est in apprehensione (2). 4. Ipsa tristitia solet aliquando delectationem excitare, vel propter memoriam rei dilectæ, vel propter memoriam tristitiæ, à qua quis evasit (3). 5. Accedunt aliorum operationes, quibus vel aliquod consequimur bonum (4), vel augetur æstimatio nostra per aliorum laudes (5), vel aliorum operationes putantur quodammodo nostræ ob amoris vim (6). 6. Beneficentia est etiam delectationis causa (7). 7. Item similitudo (8). 8. Item admiratio (9).

599 Plures quoque sunt delectationis effectus. 1. Dilatatio cordis, & quodammodo propter gaudium illius diffusio (10). Ex qua cordis dilatatione sequitur etiam quandoque corporis sanitas; spiritus enim puriores evadunt, & sanitati conferunt. 2. Sitis, & desiderium rei non perfecte habitæ, vel intensio actus tollens fastidium; qua ratione dicitur Eccli. 24. v. 29.

---

(1) Vide eumdem S. Thom. 7. Ethic. lect. 14. Hinc varietas rerum in hoc adspectabili mundo mirifice delectat; sed neque singulæ, neque tota earum collectio, cum finitæ sint, delectare plene perfecteque queunt. In Deo igitur tantummodo plena potiri delectatione possumus; ipse enim solus sicut est omnino immutabilis, ita est infinite perfectus; ideoque perfecte explere potest appetitum nostrum. Psalm. 15. v. 10. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.*

(2) S. Prosper. Epig. 67.

Gratior est fructus, quem spes productior edit
Ultro objectorum vilius est pretium.

(3) Vide S. Augustinum l. 8. Confes. c. 3. & l. 22. de Civ. c. ult. Et S. Greg. M. l. 4. Moral. & Cassiodorum l. 8. Epist. 20. & Chrysostomum Hom. 37. in 1. ad Cor.

(4) Ita SS. Martyres & in ipsis tormentis gaudebant, quia digni habebantur pro Nomine Jesu contumeliam pati.

(5) Ita solent plerisque hominibus placere etiam adulatorum laudes.

(6) Hoc spiritu ductus Apostolus ad Phil. 1. v. 18. scribebat: *Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim, quia hoc mihi provenit ad salutem.*

(7) Benefacere aliis est amoris effectus: amor autem delectationem parit, si bonum amatum jam possidetur.

(8) Ut similitudo est causa amoris, ita & delectationis.

(9) Vide S. Thom. 1. 2. q. 32. a. 8.

(10) Vide S. Thom. 1. 2. q. 33. a. 1.

Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient (1). 3. Impedimentum usus rationis, si delectationes corporales sint, & nimiæ: nam spirituales rationem magis perficiunt (2). 4. Perfectio operationum, quas homo alacrius propter delectationem exequitur (3). 5. Multorum colluvies malorum, si delectationes sint inhonestæ (4).

600 Contra illicitas delectationes hæc sunto remedia: 1. sæpe à licitis abstinere, ut dictum est (5). 2. diligenter lustrare, expendereque turpitudinem, anxietatem, crudelem servitutem (6), & alia incommoda cum hujus (7), tum futuræ vitæ (8), quæ secum afferunt illicitæ voluptates: 3. earum vanitatem (9): 4. verarum deliciarum sinceritatem, atque præstantiam; ideo enim terrenis rebus tantopere delectamur, quia cœlestium, & divinarum sumus obliti. Nam, ut S. Gregorius M.

---

(1) Ibid. a. 2. (2) Ibid. a. 3.
(3) Ibid. a. 4. (4) Ibid. q. 34. a. 1.
(5) Not. 1. §. 597.

(6) Seneca l. de vita beata c. 14. » Hi, *inquit*, qui voluptati tradidere principia . . . non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cujus aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deferuntur ab illa: miseriores, si obruuntur. Sicut deprehensi in mari syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur . . . ita habenti magnæ voluptates in magnum malum evasere, captæque cepere. Quæ quo plures, majoresque sunt, eo ille minor, ac plurium servus est, quem felicem vulgus appellat «. Pudere Christianos deberet, se ab ethnico vinci Philosopho.

(7) Idem Seneca Epist. 95. pleraque enumerat mala, quæ ex gulæ vitio oriuntur in corpore. Digna plane est quæ legatur epistola; nam mores etiam depravatos ætatis nostræ describere videtur.

(8) Meditentur sæpe voluptuosi verba Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.*

(9) S. Augustin. serm. 157. al. 23. de verb. Apost. c. 4. sq. » Ubi, *inquit*, sunt deliciæ vestræ, propter quas ambulatis per vias pravas? Non dicimus, Ubi erunt, cum hæc vita transierit; sed modo ubi sunt? Cum hesternum diem hodiernus abstulerit, & hodiernum crastinus ablaturus sit, quid eorum quæ diligitis, non transcurrit, & transvolat? Quid non fugit pene antequam capitur, cum ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda. Ipsius horæ unius, quæ præsens videtur, nihil est præsens; omnes enim partes ejus, & omnia momenta fugitiva sunt. Propter quid peccat homo, si non excæcatus est, cum peccat, vel cum peccaret, attendat, &c. «

admonet (1) : » Si consideremus quæ, & quanta sunt, quæ no-» bis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ ha-» bentur in terris «.

601 In ipsis vero delectationibus, quæ secundum se licitæ sunt, adhibenda moderatio est. Nam, ut Seneca ait (2), *voluptas vergit ad dolorem, nisi modum teneat.* Et quandoque nimia lætitia, præsertim repentina, ob spiritus magno impetu erumpentes è corde, mortem accersit.

602 Denique tenendum est S. Augustini (3) monitum, qui loquens de mundi amatoribus : » Gaudium, *inquit*, ipsorum » quasi phreneticorum est. Quomodo autem phreneticus gau-» det in insania plerumque, & ridet; & plangit illum qui » sanus est : sic & nos, charissimi, si receperimus medicinam » de cœlo venientem, quia & nos omnes phrenetici eramus, » tamquam salvi facti, quia ea quæ diligebamus, non diligimus, » gemamus ad Deum de iis qui adhuc insaniunt. Potens est » enim, ut & ipsos salvos faciat «.

De dolore, & tristitia.

603 Quemadmodum delectatio respicit bonum præsens, ita dolor, & tristitia sunt de malo præsenti. Dolor autem, prout est in appetitu sensitivo, passio dicitur animæ; sicut molestiæ corporales dicuntur passiones corporis (4). Differt vero dolor à tristitia, sicut delectatio à gaudio, ut dictum est (5). Nam si dolor ex interiori apprehensione mali causatur, tristitia dicitur; si vero dolor causatur ex perceptione exterioris sensus, maxime tactus, distinguitur à tristitia, & dolor corporalis dicitur; non quod sit solius corporis, sed quia est animæ dolentis in corpore (6). Itaque tristari quis potest tam de

(1) Hom. 37. in Evang. (2) Epist. 23.
(3) Tract. 7. in Joann. num. 2.
(4) S. Thomas 1. 2. q. 35. a. 1. (5) §. 595.
(6) S. Thom. loc. cit. dolorem diserte statuit in anima operante per appetitum sensitivum; ideoque ipsum ponit inter animæ passiones. » Dolor, *ait*, secundum quod est in appetitu sensitivo, pro-» priissime dicitur passio animæ, sicut molestiæ corporales proprie pas-» siones corporis dicuntur «. Et ad 1. *Dolor dicitur esse corporis, quia causa doloris est in corpore, puta cum patimur aliquod nocivum corpori; sed motus doloris semper est in anima.* Idem repetit 3. p. q. 15. a. 5. indeque probat, vere in Christo fuisse sensum doloris. Non quod

malo præsenti, quam de præterito, & futuro, præsenti tamen in mente, vel imaginatione, quia interior apprehensio ad ea extendere se potest : dolere autem non nisi de præsenti in seipso malo quis potest, quia sensus exteriores non nisi præsentia mala sentire queunt (1). Cæterum vocabula doloris, & tristitiæ sæpe commutantur, & tristitia vocari solet dolor interior (2).

604 Dolorum multiplicitas attendi potest ex diversitate causarum corpus male afficientium, ejusque constitutionem vel dissolventium, vel perturbantium ; quæ cum pæne infinitæ sint, dolorum corporis numerus decerni vix, aut ne vix quidem potest. Doloris quoque interni, sive tristitiæ, quæ funditur per mala nobis propria sine habitudine ad alios, varia multiplicitas est pro varietate malorum, quibus sumus obnoxii. Si autem objectum tristitiæ sit aliquid extraneum, sic tristitiæ species enumerantur à S. Thoma (3) post Damascenum (4), 1. *misericordia*, quæ est de malo alterius, propter quod excitamur ad subveniendum proximo ; 2. *invidia*, ob quam bonum alterius existimatur malum proprium ; 3. *anxietas* (5), sive *angustia*, cum non apparet extrinsecum refugium ; 4. *acedia*, quatenus membra etiam exteriora immobilia redduntur, ne operentur.

605 Generatim vero sunt tristitiæ, sive doloris causæ, 1. malum præsens, idque magis proprie, quam bonum amissum; de hoc enim ideo tristamur, quia ejus amissio malum reputa-

---

sensatio in sola mentis perceptione consistat : quod improbavimus Tom. 1. §. 245. sqq. sed quia anima per appetitum sensitivum, qui est facultas utens organo corporeo, cum dolet, patitur in corpore. S. Hilarius l. 10. de Trin. n. 14. » Ea, *inquit*, natura corporum est, » ut ex consortio animæ in sensum quemdam animæ sentientis ani» mata, non sit hebes inanimisque materies : sed & attacta sentiat, » & compuncta doleat, & algens rigeat, & confota gaudeat, & ine» dia tabescat, & pinguescat cibo. Ex quodam enim obtinentis se » penetrantisque animæ transcursu, secundum ea in quibus erit, aut » oblectatur, aut læditur, &c. « Ex his autem procedit ad declarandum dolores in Christo patiente. Quæ certe cum S. Thomæ doctrina plane congruunt, ostenduntque, quam longe recesserint Philosophi recentiores ab avita SS. Patrum doctrina.

(1) S. Thom. loc. cit. a. 2. ad 2.
(2) Vide S. Thom. ibid. a. 7.
(3) Loc. cit. a. 8. (4) L. 2. de Fide c. 14.
(5) Vide Arriani Epictetum l. 2. c. 13.

tur (1). 2. concupiscentia, quatenus bonum concupitum retardatur, vel omnino aufertur (2). 3. amor, sive appetitus unitatis, eodem modo quo concupiscentia, est doloris causa (3). 4. potestas cui non potest resisti, si tamen remaneat inclinatio appetitus in contrarium (4); nisi enim hæc remaneat, non erit dolori, aut tristitiæ locus (5). 5. desperatio boni optati. 6. memoria mali perpetrati (6). 7. Additur iracundia, & invidentia: quia ira, & invidia semper admixtam habent tristitiam. Denique ipsa corporis constitutio, ob quam nonnulli præ aliis sunt magis tristitiæ obnoxii, ut senes, & ægri, iique in quibus melancholicus humor abundat (7).

606 Transeuntes ad tristitiæ effectus, hos S. Thomas (8) enumerat. 1. Tristitia impedit, vel etiam aufert facultatem addiscendi (9). 2. aggravat animum, & quandoque homo remanet stupidus (10). 3. debilitat operationem circa id, quod cum

---

(1) S. Thom. 1. 2. q. 36. a. 1. (2) Ibid. a. 2.

(3) Ibid. a. 3. (4) Ibid. a. 4.

(5) Hac ratione SS. Martyres magna perfusi erant lætitia in tormentis, etsi potestati, à qua cruciabantur, non poterant absque culpa resistere: nam divina charitate accensi, & propter spem futurorum bonorum, incitabantur potius, quam retraherentur ab appetitu tormentorum. Atque hinc erant illa S. Ignatii M. verba in Epist. ad Rom. » Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ. . . Ignis, crux, be» stiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis con» tritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo » fruar «. Christus autem, etsi nulli subjiceretur potestati, quam absolute non posset effugere: quia tamen, ut pro nobis magis pateretur, voluit ut natura humana in ipso omnia sustineret, quæ ejusdem naturæ erant propria; idcirco summa fuit tristitia affectus in Passione sua. Vide S. Thom. 3. p. q. 46. a. 6.

(6) Nullum est malum, de quo concipere tristitiam dignum sit, si cum peccato, quod principaliter, & verissime malum est, conferatur. Potissimum ergo de peccatis commissis debemus tristari, eaque expiare pœnitentia, quæ, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 35. a. 8. ad 2. *est de malo proprio, quod est per se objectum tristitiæ.*

(7) Vide Plinium Hist. nat. l. 7. c. 19.

(8) 1. 2. q. 37. a. 1. sqq.

(9) Art. cit. ad 3. S. Thomas animadvertit, S. Gregorium M. intermisisse expositionem Ezechielis propter tristitiam. Vide ejus Homil. 10. lib. 2. num. 24.

(10) Idem S. Gregorius l. 1. Mor. c. 36. al. 37. » Sæpe, *ait*, gra» vitatem cordis quasi ex latere subjuncta tristitia sequitur; atque omne

tristitia facimus (1). 4. nocet etiam corpori plusquam cæteræ passiones (2). Hæc autem intelligenda sunt de nimia tristitia, vel dolore: nam moderatus mœror, ad rectæ rationis præscriptum exactus, fructus gignit optimos, nimirum despectionem rerum fluxarum, æternarumque amorem: *& ita*, inquit Chrysostomus (3), *ex omni parte anima transfertur ad philosophiam, ut deliciarum, atque suavitatum hujus vitæ ne ratio quidem ulla habeatur; imo si quid prius delectabile visum sit, si quid gratum, id nunc amarissimum, & odibile dicitur.* Optanda est hæc tristitiæ species, de qua Apostolus 2. ad Cor. 7. v. 8. sqq. » Etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: »etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad ho»ram) vos contristavit, nunc gaudeo; non quia contrista»ti estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam... Quæ »enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem »stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem opera»tur (4)«.

607 Inter tristitiæ remedia S. Thomas (5) reponit 1. delectationem quamlibet: sic enim tristitia mitigatur. 2. fletum, quia sic interior tristitia ad exteriora diffunditur. 3. compassionem amicorum, quia cum hæc compassio sit effectus amoris, quamdam delectationem producit. 4. contemplationem veritatis, maximeque rerum divinarum, futuræque beatitudinis; hæc enim contemplatio magnam adfert delectationem (6). 5. somnum, & balnea; ita enim corpore refecto ac recreato, inducitur quædam delectatio, quæ tristitiam mitigat (7).

»opus, quod mens bona intentione inchoat, hoc velamine mœroris »obumbrat«.

(1) Propterea ajebat Apostolus 2. ad Cor. c. 9. v. 7. *non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

(2) Vide Chrysostomum Epist. 3.

(3) L. de compunct. cordis.

(4) S. Greg. M. l. 10. Mor. c. 18. n. 24. ostendit, tristitiam ex tentatione, Dei misericordiam pro nobis exorare. Et lib. 31. c. 45. n. 88. describit filias tristitiæ, quæ non est secundum Deum, scilicet malitiam, rancorem, pusillanimitatem, torporem circa præcepta, & vagationem mentis circa illicita.

(5) 1. 2. q. 38. a. 1. sqq.

(6) Apostolus 2. ad Cor. 4. v. 17. ajebat: *Momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

(7) Vide S. Augustinum l. 9. Confess. c. 12.

Addunt considerationem inutilitatis tristitiæ ad repellenda mala temporalia, quæ tristitiam causant (1). Et idcirco Chrysostomus (2) unam tantum tristitiam utilem putat, quæ est secundum Deum, & pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Addunt quoque assuetudinem patiendi, quæ allevatio quædam tristitiæ est (3). Addunt præterea cantum, qui animum avertit à tristi objecto, concitatque spiritus præ tristitia torpentes (4). Atque hæc quidem de passionibus ad concupiscibilem pertinentibus.

De spe, & desperatione.

608 Ad passiones irascibilis devenientes, ad spem aggredimur, de qua hic non loquimur, prout virtus Theologica est, qua speramus à Deo æternam beatitudinem (5); sed de spe, prout est passio, & versatur circa bonum non præcise qua bonum, ut amor, sed quatenus est futurum, arduum, & possibile. Si enim bonum esset præsens, de ipso foret gaudium, non spes. Si non esset arduum, spes non differret à cupiditate. Si non esset possibile adipisci, nemo illud speraret (6).

609 Causæ ad spem inducentes potissimæ sunt, 1. experientia; qui enim versatus sæpe est in difficultatibus superandis, felicemque in susceptis habuit exitum, in spem erigitur similium eventuum (7). Multoties autem experientia spem minuit, vel aufert; si scilicet quis experiendo comprobarit, rem obtineri minime posse (8). 2. Doctrina, persuasio, fortitudo, divitiæ, amici, patroni, omneque id, quod potestatem au-

(1) Videri potest Chrysostomus Hom. 5. & 7. ad Populum.
(2) Hom. 5. cit.
(3) Conferatur Stobæus serm. 121.
(4) Chrysologus serm. 10. » Omnes, *inquit*, qui arduas operum sub» levant, & solantur angustias, probant ad solatium laboris datam » nobis naturaliter cantilenam. Hinc nautæ cantu superant marina discri» mina. Hinc immensa pondera adducunt levamine canticorum. . . Hinc » præliatores ipsos præcedens cantus subire concitat amara bellorum «.
(5) De hac S. Thomas agit 2. 2. q. 17.
(6) Vide S. Thom. 1. 2. q. 40. a. 1.
(7) Hac ratione senes, & veterani in nonnullis negotiis in spem firmiorem veniunt, dum juvenes, & inexperti desperant.
(8) Vide S. Thom. 1. 2. q. 40. a. 5.

get, spem nutrit; ita enim adeptio, etsi ardua, existimatur possibilis (1). 3. Spem injicit experientiæ defectus, ob quem, ut Aristoteles animadvertit (2), juvenes tamquam inexperti in spem facile adducuntur rerum etiam dificilium obtinendarum (3). Accedit in juvenibus spirituum fervor, ne facile cedant difficultatibus quæ objiciuntur (4). Ob quam rationem senes non ita facile spem concipiunt. Effectus autem spei sunt, 1. longanimitas in expectando; 2. patientia in tolerando; 3. audacia in aggrediendo; 4. alacritas in operando (5).

610 Adversus spem vanam hoc tantum esto remedium, quod habetur Psalm. 39. v. 5. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Vanitates enim, & insanias falsas sectantur, qui nimia rerum terrenarum cupiditate ducti, nihilque, aut vix de æternis rebus soliciti, spes acuunt sine termino, semper futuris caducis bonis inhiantes, & majora semper avide sperantes, sibique promittentes. *O quanta dementia est*, ajebat Seneca (6), *spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum lassam, & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quispiam de futuro debet promittere.*

611 Spei opponitur desperatio, quæ, ut S. Thomas advertit (7), » non importat solam privationem spei, sed importat »quemdam recessum à re desiderata propter æstimatam impos»sibilitatem adipiscendi «. Quia vero oppositorum oppositæ sunt causæ, & effectus: causæ, & effectus desperationis opponuntur causis, & effectibus spei. Etsi autem desperationis radix sit ignavia, ut advertit Chrysostomus (8); nonnumquam

---

(1) Vide S. Thom. loc. cit. Pii homines facile eriguntur in spem bonam, quia norunt, Deo nihil esse impossibile. Quare Synesius Epist. 103. *probi malos superant bona spe.*

(2) L. 2. Rhet. cap. 2.

(3) S. Thom. loc. cit. a. 6. (4) Ibid.

(5) Spes bona est omnium virtutum janua. Adeatur Philo l. de Abraham.

(6) Epist. 101. (7) 1. 2. q. 40. a. 4. ad 3.

(8) In 1. Paræn. ad Theodorum: *Quæ tandem*, inquit, *est radix, & mater desperationis? Ignavia, inquam... Ignavia desperationem parit: ab hac mutuo & illa nutritur.*

tamen, ut ait Seneca (1), *animus ex ipsa desperatione sumitur.... Nullus perniciosior hostis est, quam quem audacem angustiæ faciunt.* Quare non ita sunt cogendi homines, ut, veluti desperata sorte, agantur rabie.

612 Circa temporalium rerum adeptionem quod quis in desperatione ruat ob insuperabiles difficultates, non est admodum laborandum; numquam tamen desperandum est de Divina Misericordia. Non est autem desumenda occasio peccandi ob spem in Deum; stultitia enim est se vulnerare ob spem sanitatis recuperandæ (2).

De timore, & audacia.

613 Timor post tristitiam, ut adnotat S. Thomas (3), magis obtinet rationem passionis. Est autem de malo futuro difficili, cui resisti facile non potest (4). Sex ejus species assignantur à S. Thoma (5) cum Damasceno (6). 1. *segnities*, cum quis refugit operari propter timorem excedentis laboris. 2. *erubescentia*, cum quis timet, ne ob actus turpitudinem sua lædatur existimatio. Quod quidem si accidat in ipsa patratione actus turpis, est *erubescentia*; si autem sit de actu turpi jam patrato, est *verecundia*, quæ tertia est timoris species; & utraque est timor infamiæ, vel contumeliæ. 4. *admiratio*, cum quis considerat magnum aliquod malum, cujus non valet exitum videre (7); vel cum refugit judicium proferre, metuens, ne decipiatur (8). 5. *stupor* ex insueti mali consideratione. 6. *agonia*, cum malo futuro provideri non potest.

614 Si autem timor consideretur, prout à Deo per ipsum aliquo modo avertimur, vel convertimur; dividitur à S. Thoma (9) in *mundanum*, *servilem*, *initialem*, & *filialem*. Atque *mundanus* quidem timor est, cum quis propter mala quæ timet, à Deo recedit; ideoque semper est malus. *Servilis* au-

(1) L. 2. quæst. nat. c. 59.

(2) S. Augustinus serm. 352. al. Hom. 27. inter 50. n. 9. »Ne »desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rur»sus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus«.

(3) 1. 2. q. 41. a. 1. sq. (4) Ibid a. 2.

(5) Ibid. a. 4. (6) L. 2. de Fide c. 15.

(7) S. Thom. a. 4. cit. ad 4. (8) Ibid. ad 5.

(9) 2. 2. q. 19. a. 2.

tem est, cum timetur pœna; quæ si timeatur tamquam principale malum, timor dicitur *serviliter servilis*, estque malus; non enim refugit culpam, sed tantum pœnam; quæ si non foret, culpa placeret. Si autem timeatur quidem pœna, sed non tamquam principale malum, timor dicitur *simpliciter servilis*, & quoad substantiam est actus bonus, eoque, si sit gehennæ timor, peccator disponitur ad justificationem, ut definivit Tridentina Synodus (1). *Initialis* vero timor est, cum timetur & culpa, & pœna. Denique *filialis* timor est, cum quis timet culpam, quia est Dei offensa.

615 Ut vero malum præsens est causa tristitiæ, ita malum futurum est prima timoris causa. Altera est amor boni oppositi malo, quod timetur. *Ex hoc enim*, ait S. Thomas (2), *quod aliquis amat aliquod bonum, sequitur, quod privativum talis boni sit ei malum, & per consequens quod timeat ipsum tamquam malum.* Tertia causa dispositiva est defectus: nam ex defectu virtutis provenit, quod quis non possit facile repellere imminens malum (3). Atque ad hanc causam refertur cum defectus roboris, divitiarum, amicorum, & potestatis ad repellendum malum; tum conditio temperamenti frigidioris, aut mollioris, quæ timidiores facit præsertim fœminas. Ad hanc refertur etiam scelerata conscientia; *proprium est* enim *nocentium trepidare*, ut adnotat Seneca (4).

616 Effectus autem timoris hi numerantur à S. Thoma (5): 1. contractio & hebetatio caloris, & spirituum; idque ex ipsa debilitate virtutis, ob quam malum non ita facile potest depelli. 2. pallor, ac tremor; consequuntur enim ex ipsa contractione, & hebetatione caloris, & spirituum; quibus proinde exteriora corporis membra destituuntur (6). 3. sitis, solutio ventris, loquendi difficultas, & aliquando etiam mors, nimirum ob caloris, & spirituum hebetationem, propter quam spiritus à cerebro, & à corde refugiunt (7). 4. excogitatio consilii, quæ quidem utilis esse potest, si timor sit parvus; si

(1) Sess. 6. can. 8. (2) 1. 2. q. 43. a. 1.
(3) Ibid. a. 2. (4) Epist. 97.
(5) Loc. cit. q. 44. a. 1. sqq.
(6) Ibid. a. 3. ad 1.
(7) Hæc quoque causa est, propter quam aliquando ob nimium timorem repentina nascitur canities, quia capite destituto spirituum copia, pituita, quæ est canitiei materies, concoqui non potest.

vero timor sit vehemens, timens vult quidem consilium capere, sed adinvenire non potest (1). Denique timor ob caloris defectum operationem exteriorem impedit, quoad ipsum pertinet; si tamen sit moderatus, timentem cautum reddit, efficitque, ut diligentius operetur. *Qui timet Deum, nihil negligit*, ut dicitur Ecclæ. 7. v. 19. Hinc duo alii existunt timoris effectus, & quod sit peccatorum frenum, & quod homines providos, cautosque efficiat.

617 Jam primum mali timoris remedium est, considerare, multa quæ nos terrent, revera non esse timenda. *Nolite*, inquiebat Christus Matth. 10. v. 28. *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Ex quo sequitur alterum remedium, nimirum consideratio pœnarum futuri sæculi, quæ & acerbissimæ sunt, & finem non habent. Tertium est, spem omnem in Deo reponere, prout S. Petrus monet in Epist. 1. c. 5. v. 7. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Nam, ut Regius Vates ajebat Ps. 26. v. 1. sq. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Quartum remedium est bona conscientia; ut enim vel ipse Cicero ait (2): „ Magna est vis conscientiæ, & „magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil com„miserint; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui „peccarint“.

618 Timori opponitur audacia, quæ nihil est aliud, quam *prosequutio mali terribilis imminentis, quod aliquis sperat superare*; ideoque audacia consequitur spem (3); atque proinde quidquid potest spem causare, & timorem excludere, est causa audaciæ (4). Audaces, qui non ex judicio rationis aggrediuntur pericula, sed ex sola passione, initio promptiores sunt ad pericula subeunda; cum vero experiuntur pericula, quæ non ita magna putabant, deficiunt, animisque concidunt. At ii, qui præmeditata pericula aggrediuntur, initio remissiores sunt; in ipsis vero periculis invictum retinent animi robur (5).

(1) Ibid. a. 2. ad 2.
(2) In Orat. pro Milone.
(3) S. Thom. 1. 2. q. 45. a. 1. sqq.
(4) Ibid. a 3. (5) Ibid. a. 4.

De ira.

619 Superest ira, cui nulla alia opponitur passio, ut S. Thomas demonstrat (1); sed ei tantum opponitur cessatio à motu, quæ est negatio, vel privatio iræ. Est autem ira *appetitus vindictæ*, ut eam S. Augustinus definit (2).

620 Tres iræ species S. Thomas (3) recenset cum Damasceno (4), nimirum 1. χολὴ, seu bilis (5), quæ cito accenditur, & *excandescentia* vocari solet; 2. μῆνις, sive *bilis diuturnior* (6), ex parte tristitiæ causantis iram, quæ diu in memoria manet; 3. κότος, seu *ira ulciscendi occasionem captans, animoque reposita* (7), hoc est, *ira inveterata* (8).

---

(1) 1. 2. q. 23. a. 3. (2) L. 2. Confess. c. 6.

(3) 1. 2. q. 46. a. 8. (4) L. 2. de Fide c. 16.

(5) A *chole* est *cholera*, de qua Eccli. 31. v. 23. *Vigilia, cholera, & tortura viro infrunito.* Primam hanc iræ speciem S. Thomas loc. cit. *fel* vocat; in felle enim est sedes, & materia bilis.

(6) *Menis* idem est ac ira permanens; eamque S. Thomas loc. cit. pertinere ait ad maniam, quæ à manendo dicitur, ἀπὸ τοῦ μένειν, id est, quod maneat. Est enim ira, præsertim diuturnior, quædam insania. *An est*, inquit Tullius l. 4. Tuscul. *quidquam similius insaniæ, quam ira, quam bene Ennius initium dixit insaniæ: color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum, atque factorum, quam partem habent sanitatis?*

(7) Hanc pertinere ad *furorem*, qui numquam quiescit, donec puniat, docet S. Thomas loc. cit.

(8) Triplicis hujusce speciei iræ meminit Aristoteles l. 4. Ethic. c. 11. ubi quosdam irascentium vocat *acutos*, sive *celeres* in ira concipienda; quosdam *amaros*, qui diu retinent iram; quosdam *difficiles*, sive *infensos*, qui sine ultione non quiescunt. Audiendus est S. Thomas 4. Ethic. lect. 13. De primis ait: » Illi, qui dicuntur iracundi, id » est prompti ad iram, velociter irascuntur, & etiam personis quibus » non oportet, & in quibus rebus non oportet, & vehementius quam » oportet; non tamen multo tempore durat eorum ira, sed velociter ab » ea requiescunt ... quia vel retribuunt statim vindictam, vel qua» litercumque manifestant iram suam per aliqua signa, propter velocita» tem motus iræ: & sic ira exterius exhalante, requiescunt; sicut etiam » calor inclusus magis conservatur, evaporans autem citius evanescit. » Ad hanc autem speciem iræ maxime videntur disponi cholerici pro» pter subtilitatem, vel velocitatem choleræ. In hac autem velocitate » superabundantiam obtinent *acrocholi*, id est, extremi in ira, ab *acros*,

621 Causæ, ex quibus ira profluit, sunt, 1. aliquid factum contra illum qui irascitur; nemo enim irascitur, nisi aliquid contra ipsum fiat. 2. despectus, sive contemptus irascentis; is enim contemptus opponitur excellentiæ propriæ, quam homines quærunt; ideoque iram facile concitat. 3. est defectus alicujus rei necessariæ, aut desideratæ; quare *infirmi*, ut Aristoteles observat (1), *egentes, & qui non habent id quod concupiscunt, facilius irascuntur, quia facilius contristantur* (2). 4. causa est naturale temperamentum corporis; qui enim copiosiori abundant bile, ad iram sunt procliviores; & si bilis magis accendatur, ut æstivo tempore, magis ad iram provocantur.

622 Effectus iræ sunt, 1. delectatio ex vindicta sive exequutioni mandata, sive animo cogitata. 2. alteratio corporalis ex fervore sanguinis, & spirituum circa cor; ideoque Damascenus (3) iram definit: *Sanguinis qui cordi affusus est, ebullitio, ex exhalatione, seu fuligine bilis proveniens* (4). 3. mentis perturbatio, quæ sequela quædam est perturbationis corporalis (5). Cæteros iræ effectus cum in alios, tum in ipsum qui

---

» quod est *extremum*, & *cholos*, quod est *ira*, quia sunt acuti, & » prompti, ut irascantur «. De iis vero, qui retinent iram in corde: » Tunc, » *ait*, eorum ira quiescit, quando retribuunt vindictam pro injuria » illata. . . sed si hoc non fiat, afliguntur interius, quia non mani- » festant iram suam: & nullus potest persuadendo eorum iram mi- » tigare, quæ ignoratur. Sed ad hoc quod eorum ira digeratur, est » necessarium longum tempus, per quod paulatim tepescat, & extin- » guatur accensio iræ. Tales qui sic iram retinent diuturnam, sunt sibi » ipsis molestissimi, & præcipue amicis, cum quibus delectabiliter non » possunt convivere, & propter hoc vocantur *amari*. Ad hanc au- » tem speciem superabundantiæ maxime videntur esse dispositi me- » lancholici, in quibus impressiones susceptæ diu propter humoris gros- » sitiem perseverant «. Denique de illis, quos Aristoteles appellat *difficiles* ad deponendam iram, sive *infensos*, ait: » Non est in eis diuturni- » tas iræ ex sola retentione, ut possit tempore digeri, sed ex proposito » firmato ad puniendum «.

(1) L. 2. Rhet. c. 2.

(2) De hisce causis confer S. Thom. 1. 2. q. 47. a. 1. sqq.

(3) L. 2. de Fide c. 16.

(4) Ita in edit. Opp. Damasceni P. Lequien. S. Thomas autem 1. 2. q. 48. a. 2. ad 1. retinuit veterem versionem, quæ quoad rem idem refert.

(5) De his vide S. Thom. 1. 2. q. 48. a. 1. sqq. Quæ adeo vera

irascitur, copiose describit Seneca (1).

623 Ad mitigandam aliorum adversum nos iram hæc adhiberi remedia possunt: 1. fateri errorem nostrum, veniamque rogare, & iratis minime contradicere; ita enim tollitur iræ causa (2). Ita placatur ira Dei in nos. Ps. 31. v. 5. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* 2. declinare ab irato, & silentium servare, nec ullo pacto resistere. *Si fieri potest*, ait Apostolus ad Rom. 12. v. 18. sq. *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* 3. removere suspicionem contemptus; is enim iram commovet, ut dictum est (3).

624 Ut autem in nobis ipsis sedemus iræ motus, 1. curandum est, *primum irritamentum iræ protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus; & dare operam, ne incidamus in iram*, ut Seneca monet (4). 2. Volvendum animo est, quod idem Seneca ait (5), *maximum remedium iræ dilatio est*; quare cum ira insurgit, cavendum est, ne simus præcipites (6). 3. Expendendæ sunt injuriæ iram commoventes, quæ multoties leviores sunt, quam videntur (7). 4. Libranda voluntas, conditioque inferentium injuriam; fiet enim, ut Seneca inquit (8), ut *prudentiori cedamus, stultiori remittamus.* 5. Ponderanda sunt mala, quæ iram sequuntur (9). 6. Vitandum est iracundorum consortium (10). Prov. 22. v. 24. sq. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: Ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* 7. Exempla nobis proponere debemus hominum mansuetorum, qui

---

sunt, ut non solum ira *per vitium*, sed etiam ira *per zelum*, ut S. Gregorius habet l. 5. Mor. c. 30. sapientes turbet.

(1) L. 1. de ira c. 1. sq.

(2) Adeat. Arist. l. 2. Rhet. c. 3.

(3) §. 621. (4) Loc. cit. c. 7.

(5) Lib. 3. de ira cap. 12.

(6) S. Ambrosius, ut scribit Theodoretus l. 5. Hist. c. 17. auctor fuit Theodosio post cædem Thessalonicam, ut legem conderet, qua sententiæ per iracundiam pronunciatæ irritæ essent, cognitionesque causarum de cæde, & publicatione bonorum ad triginta dies scriptis proditæ manerent.

(7) Vide Senecam loc. cit. c. 29.

(8) Ibid. cap. 24. (9) Ibid. cap. 5.

(10) Vide Chrysostomum Hom. 29. ad Populum.

ab ira temperarunt, præsertim Christi Domini, qui, ut dicitur 1. Petr. 2. v. 23. *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste.*

625 Hæc de passionibus, earumque remediis breviter attigimus (1). Nunc autem ad id, quod initio articuli quærebamus, redeundo: cum Stoici officiis tantum perfectis nomen virtutis tribuerent, ut dictum est (2); perfecta autem ea tantum officia reputarent, quæ erant ab omni passione (3) soluta; proinde nullum agnoscebant virtutis actum, qui esset cum aliqua animi passione conjunctus; ideoque ab omni passione sapientem immunem esse dicebant (4). Quam Stoicorum sententiam Tullius (5) multis est prosequutus. Idipsum saltem ex parte docuerat Thomasius (6) statuens, omnes affectus

---

(1) Non est tamen prætereundum, passiones concupiscibilis cohiberi potissimum virtute temperantiæ, ut ostendit S. Thomas 2. 2. q. 141. a. 2. sqq. passiones vero irascibilis, præsertim timorem, & audaciam, reprimi per virtutem fortitudinis, ut idem S. Thomas demonstrat ibid. q. 123. a. 6. Quæ vero ad passiones pertinent, partem constituunt Theologiæ mysticæ, præcipue illam, quam *Mysticam Purgationem* vocant. Docte de hisce scripsit Nicolaus Terzagus Episcopus Narniensis in opere Theol. Hist. Myst. typis edito an. 1764. in quo S. Thoma magistro potissimo utitur, ad Pseudomysticos confutandos.

(2) §. 566.

(3) Ut idem S. Thomas advertit 1. 2. q. 24. a. 2. & q. 26. de ver. a. 8. ad 2. Stoici omnes passiones reputabant malas; Peripatetici vero passiones moderatas dicebant esse bonas. Vix tamen, quod ad rem pertinebat, dissidebant invicem. Nam Stoici, quos postea Cartesius sequutus est l. de passion. a. 47. negabant distinctionem inter appetitum sensitivum, & intellectivum, omnesque appetitiones vocabant volitiones; passiones autem dicebant motus progredientes extra limites rationis, eosque appellabant *animæ morbos*. Motus autem prætergredientes rectam rationem, moraliter boni esse non possunt; bonitas enim moralis pendet à conformatione cum recta ratione. Quare Zeno, ut ex Laertio l. 7. passionem, sive perturbationem definiebat, *præternaturalem animi motionem*; vel, ut Cicero refert l. 4. Tuscul. *aversam à recta ratione contra naturam animi commotionem*. Videri potest Lipsius in Manud. ad Phil. Stoic.

(4) Vide Laertium loc. cit.

(5) L. 3. Tuscul.

(6) Ethic. p. 2. c. 6. n. 9. sq.

etiam bonos esse eradicandos ; etsi postea hunc errorem revocarit (1).

626 Videtur autem ita dicendum, 1. quia nisi officia ab omni passione vacent, procedunt ab anima ægritudine laborante. Actiones autem ab anima ægra procedentes nequeunt esse bonæ moraliter, sive ad virtutem pertinere. Officia igitur ut sint virtutum actus, debent vacare ab omni passione.

627 II. Ut Cicero advertit (2): Omne malum, etiam mediocre, malum est: nam & corpus, etiam mediocriter ægrum, sanum non est. In animo igitur mediocritas ipsa passionum caret sanitate. Officia autem carentia sanitate nequeunt esse actus virtutum. Ut tales igitur sint, debent esse immunia à quacumque passione.

628 III. Ut idem Cicero habet (3) : In quem cadit timor, in eumdem cadit ægritudo ; timiditas enim est quædam ignavia: hæc autem ægritudo est. Non cadunt autem in virum fortem ignavia, & timiditas. Igitur ne ægritudo quidem. At nemo sapiens, nisi fortis. Non cadet igitur in sapientem ægritudo; ideoque nec timor, nec alia quævis passio, quæ est quædam ægritudo.

629 IV. Si qui habent virtutes purgati animi, sunt à passionibus immunes (4). Passiones ergo actus virtutum inficiunt, efficiuntque saltem, ut minus sint laudabiles.

630 V. Passiones semper conjunctæ sunt cum aliqua perturbatione judicii. Ubi autem judicium est perturbatum, officia nequeunt esse actus virtutum saltem perfecta. Igitur ut siat virtutum actus, soluta debent esse ab omni passione.

---

(1) Cautel. p. 1. c. 14. §. 50. not. q. Ibi autem §. 49. cavendum monet ab opinione Scholasticorum, *quasi omnes affectus sint boni, aut certe indifferentes, v. g. ira, æmulatio, indignatio.* Quibus verbis expresse docet, iram, æmulationem, indignationem semper esse malas; quæ sane aperte contradicunt sacris Litteris: nam Psalm. 4. v. 5. dicitur: *Irascimini, & nolite peccare.* Et 1. ad Cor. 12. v. 30. *Æmulamini charismata meliora.* Et 2. ad Cor. 7. v. 11. *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem...* Hæc Apostolus ut bona in Corinthiis laudat, quia erant ad destructionem peccati. Thomasius autem damnat ut mala.

(2) Loc. cit. (3) Ibid.

(4) Macrob. l. 1. Saturn.

Prop. *Passiones seipsis non pugnant cum virtutum officiis.*

631 Demonst. I. Passiones secundum se consideratæ non sunt neque bonæ, neque malæ moraliter; bonum enim, & malum morale pendent à ratione, & à voluntate: passiones autem secundum se sunt quidam motus appetitus irrationalis. Quod igitur sint bonæ, vel malæ moraliter, hoc contingit, quia subjacent imperio rationis, & voluntatis. Si ergo moderatæ sint ex præscripto rectæ rationis, bonæ erunt; malæ vero, si à recta ratione recedant (1). Passiones ergo seipsis non pugnant cum virtutum officiis (2).

632 Demonst. II. Natura nihil nobis indidit, quod cum virtute pugnet: nam inclinatio ad virtutem est ex ipsa natura, à qua est recta hominis ratio; ideoque peccatum dicitur esse contra naturam, quia est contra rectam rationem, ut dictum est (3). Natura autem nobis indidit appetitum sensitivum, cujus actus sunt passiones, ut supra diximus (4). Non ergo passiones cum officiis virtutum seipsis pugnant.

633 Denique passiones sunt in hominibus justis in hujus vitæ peregrinatione degentibus, quorum omnes affectiones rectæ sunt, quia eorum amor est rectus. Hi metuunt pœnam æternam; cupiunt vitam æternam; dolent, quia *ingemiscunt, adoptionem filiorum Dei expectantes*; gaudent in spe vitæ æternæ; metuunt peccare; cupiunt perseverare; tristitiam habent de suis, & aliorum peccatis; æmulantur, & irascuntur ad-

(1) Vide S. August. l. 9. de Civ. c. 5.

(2) S. Thomas 1. 2. q. 24. a. 1. Quæ quidem adeo vera sunt, ut ipsamet concupiscentia, & fomes peccati, qui ex peccato est, & ad peccatum inclinat, seipso peccatum non sit, ut definivit Tridentina Synodus sess. 5. can. 5. » Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, ac sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Jesu » Christi gratiam repugnantibus, non valet; quinimo, *Qui legitime* » *certaverit*, *coronabitur*. Hanc concupiscentiam, quam aliquando » Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & » proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & » ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit «.

(3) §. 250. (4) §. 580.

versus sua, & aliorum peccata. Apostolus Rom. 12. v. 15. præcipiebat *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* De seipso autem ajebat 2. ad Cor. 7. v. 5. *foris pugnæ, intus timores.* Et ad Phil. 1. v. 23. *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Et ad Rom. 1. v. 11. *Desidero videre vos*; & c. 9. v. 2. *tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Ipse etiam Christus passiones adhibuit, dum flevit, doluit, desideravit, expavit, contristatus fuit (1). Quamvis passiones ejusmodi longe aliter fuerint in Christo, quam in nobis, ut S. Thomas demonstrat (2): quia in nobis sæpe præveniunt judicium rationis; in Christo autem motus appetitus sensitivi oriebantur secundum dispositionem rationis: in nobis sæpe feruntur ad illicita; secus in Christo: in nobis quandoque secum trahunt rationem; quod in Christo non fuit, cujus ratio ex illis nullo modo impediebatur. Constat igitur, passiones secundum seipsas non pugnare cum officiis virtutum.

634 Ad primum respondemus cum S. Thoma (3), animam tunc ægritudine laborare, ejusque passiones esse morbos, cum hæ carent moderatione rationis.

635 Ad secundum concedimus, malum etiam mediocre malum esse: negamus autem, passiones mediocritatem habentes esse malas; mediocritas enim earum consistit in conformitate cum recta ratione: nihil autem rectæ rationi conforme est malum moraliter.

636 Ad tertium dicimus, timorem, nisi moderationem rectæ rationis excedat, non esse moralem ægritudinem, neque esse ignaviam, quæ semper conjuncta est cum vitio contra rectam rationem. In virum ergo fortem, adeoque in eum, qui revera sapiens est, non cadit ignavia, neque timiditas quæ cum ignavia conjungitur; potest tamen, imo & debet cadere moderatus timor: nam sicut ignaviæ est, contra rationem timere, ubi timendum non est; ita non fortitudinis, sed audaciæ contra rationem est, non timere, ubi est juste timendum. Justus ergo timor non opponitur fortitudini.

637 Ad quartum respondet S. Thomas (4): „ Illi qui habent virtutes purgati animi, sunt aliquo modo immunes à „passionibus inclinantibus in contrarium ejus, quod eligit „virtus, & iterum à passionibus inducentibus voluntatem; „non autem à passionibus voluntatem consequentibus“.

---

(1) Vide S. Augustinum l. 14. de Civ. c. 9.
(2) 3. p. q. 15 a. 4. (3) 1. 2. q. 24. a. 2.
(4) Q. 26. de ver. a. 7. ad 6.

638 Ad quintum respondemus cum eodem S. Thoma (1), passiones dupliciter se habere posse ad judicium rationis, & ad voluntatem, uno modo ut *præcedentes*, alio modo ut *consequentes*. Ut *præcedentes* quidem, cum præveniunt judicium rationis, & voluntatem impellunt ad aliquid volendum, vel respuendum; ut *consequentes* vero, cum ex vehementi commotione partis superioris animæ in aliquid sequitur motus appetitus inferioris. Porro passiones *præcedentes*, quia obnubilant judicium rationis, à quo pendet bonitas, vel malitia actus moralis, diminuunt bonitatem, vel malitiam actus; imo potest contingere, ut judicium rationis ita præveniatur, ut nulla sit ejus indifferentia, quemadmodum in actibus indeliberatis, quos *primo primos* appellant. At vero passiones *consequentes* non modo non diminuunt bonitatem, vel malitiam actus, sed magis addunt ad ejus bonitatem, vel malitiam; sunt enim signum intensioris voluntatis, quæ promptius, & facilius operatur, cum passio excitatur in appetitu inferiori. Itaque concedimus, passiones *præcedentes* impedire aliquo modo officia virtutum; id vero negamus de passionibus *consequentibus*. S. Thomas (2): „Passio „electionem præveniens impedit judicium rationis, quod ne„cessarium est in eligendo; postquam vero puro judicio ra„tionis jam electio est perfecta, passio sequens plus prodest, „quam noceat, quia si in aliquo turbet judicium rationis, facit „tamen ad promptitudinem exequutionis".

QUÆSTIO VIII.

De Officiis hominum speciatim, ac primum de Officiis erga Deum, quatenus est naturæ auctor, sive de Religione naturali.

639 Officiorum divisionem tradit Apostolus, cum ad Tit. 2. v. 12. hortatur, *ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, juste, & pie vivamus in hoc sæculo.* „Pie ad Deum (inquit S. Thomas ibid. lect. 3.), sobrie ad se, juste „ad proximum". Itaque officia nostra alia sunt erga Deum; alia erga nos ipsos; alia erga proximum nostrum. De his ergo dicendum est. Officia autem nostra erga Deum Religio-

(1) 2. 2. q. 24. a. 3. & q. 26. de ver. a. 7.
(2) Ibid. ad 3.

ne continentur: nam, ut ait Lactantius (1): *Hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati sumus, unde ipsa Religio nomen accepit* (2). Religio autem vel *naturalis* est, respiciens Dei cultum, quem naturæ lumen nos edocet; vel *supernaturalis*, quæ Divina nititur revelatione. De utraque est agendum accuratius in tanta impiorum hominum, ac librorum copia. De Religione autem naturali acturi, duo tantum quæremus, ne nimii simus: 1. de necessitate officiorum cultus Divini cum interni, tum externi. 2. de superstitione.

ARTICULUS I.

Utrum jure naturæ teneamur Deo exhibere officia cultus cum interni, tum externi.

640 Deo cultum exhibendum esse, nemo præter Atheos negavit. Quorum insaniam cum jam invictissime demonstraverimus (3), non est opus diutius immorari in ostendenda Divini cultus necessitate. Cum enim colere quempiam sit ipsum honore prosequi ob ejus excellentiam; Dei autem infinita sit excellentia: ei proinde summus debetur honos, & cultus. Eadem ergo naturalis ratio, quæ demonstrat, Deum esse, & quidem ens perfectissimum; demonstrat quoque, summum ei deberi cultum, qui *latriæ* (4) dicitur.

---

(1) L. 4. Inst. c. 28.

(2) Vide S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1.

(3) Tom. 5. §. 1172. sqq.

(4) S. Augustinus l. 10. de Civ. c. 1. »Latria, *inquit*, secun» dum consuetudinem, qua loquuti sunt, qui nobis divina eloquia con» diderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea » dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum«. Latria enim »est *servitus* à verbo λατρεύω, *servio*. Vide S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 1. ad 3. Et licet *Dulia* ex vi etymologiæ idem prorsus significet ac *Latria*; est enim à δουλεύω, *servio*; usus tamen invaluit, ut *Latria* sumatur pro cultu soli Deo debito, *Dulia* vero potissimum adhibeatur ad significandum cultum, quo Sancti honorantur. Et quia inter Sanctos eminet Beatissima Virgo Mater Dei, eidem exhibemus cultum *Hyperduliæ*, id est excellentioris servitutis, ab ὑπὲρ, *supra*, & δουλεία, *servitus*. Adeatur S. Thomas 2. 2. q. 103. a. 3. sq. & 3. p. q. 25. a. 5. & S. Augustinus Quæst. super Exod. q. 94.

641 Multiplices sunt Religionis actus, quidam *externi*, quidam *interni*. Atque interni quidem in animo consistunt, quo Deo cultum, & famulatum exhibemus, iique sunt principales actus Religionis. Externi vero sunt illi, quibus interiores actus Religionis exterius manifestamus, quique proinde sunt minus principales, neque debent esse sejuncti ab internis, ut veri sint Religionis actus (1). Ad utrosque, cum sunt in ordine supernaturali, concurrunt Fides, Spes, & Charitas, non tamquam virtutes eos actus elicientes (sunt enim eliciti à virtute Religionis), sed ut eos imperantes; & idcirco S. Augustinus (2), ut Angelicus advertit (3), ajebat: *Deus colitur Fide, Spe, & Charitate.* Nam ad superiores virtutes pertinet imperare actus virtutum inferiorum, hoc est, illos ordinare ad suos fines. Fides autem, Spes, & Charitas sunt virtutes Religione superiores; sunt enim virtutes Theologicæ, respicientes Deum ut objectum; Religio vero est virtus moralis, respiciens Dei cultum ut proprium objectum. Si autem illi actus considerentur in ordine naturali tantum, ut in iis qui vera Fide destituuntur, ad eos concurrunt, eosque præcedunt cognitio Dei auctoris naturæ, itemque fiducia in ipsum, ejusque timor, & amor, prout est naturæ auctor. Nam sicut ad Deum colendum necesse est compertam habere, quoad fieri potest, ejus summam infinitamque excellentiam; ita hac cognita, cognoscimus etiam infinitam ejus potentiam, bonitatem, misericordiam, justitiam: & quemadmodum in spem erigimur, eumque metuimus (4), & ad ejus

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 7.
(2) Enchir. c. 111.
(3) Loc. cit. art. 5. ad 1.
(4) De hoc timore agens Heineccius l. 1. de jur. nat. & gent. §. 131. sq. propinat incautis Lutheranorum errorem, quod timor Dei, qui filialis non est, hominem facit hypocritam, & magis peccatorem; quem errorem damnavit Tridentina Synodus sess. 14. c. 4. & can. 5. Sic enim ille scribit: »Timor *filialis* cum amore, *servilis* »cum odio conjunctus, aut saltem ab amore sejunctus est. Cum ergo ad hominis officium pertineat, non solum timere Deum, verum etiam eumdem flagrantissimo amore prosequi: consequens est, »ut jus naturæ exigat timorem filialem, non servilem... Qui servili »timore Deum metuit, is à timore Dei sejungit amorem ejusdem. »Cum vero amor in eo consistat, quod Dei perfectionibus unice »delectemur, is qui Deum, cujus perfectiones non perspicit, metuit, »*superstitiosus* vocatur«. En quot involutæ loquutiones ad venenum facilius infundendum. Sed quam infeliciter! Nam 1. quod ille ait,

amorem inducimur, ita excitamur ad ipsum colendum; ideoque observat S. Thomas (1), meditationem esse causam devotionis. Et Ps. 38. v. 4. dicitur: *In meditatione mea exardescet ignis.*

642 Ad interiores Religionis actus pertinent *devotio*, & *oratio* (2). Ac devotio quidem est *voluntas prompte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad divinum famulatum*, & *cultum* (3). Oratio autem est *petitio decentium à Deo* (4); sive *ascensus mentis in Deum* (5). Ad Deum autem ascendimus, & ab ipso decentia petimus, etiam cum Sanctos invocamus (6); Sancti enim

---

timorem servilem cum odio Dei esse conjunctum, licet verum sit de timore, quem vocant *serviliter servilem*, quo scilicet pœna unice timetur; falsum est tamen de timore, ut ajunt, *simpliciter servili*; is enim non est conjunctus cum Dei odio: & quamquam sit sejunctus ab amore charitatis, excludit tamen voluntatem peccandi, cum spe veniæ, hominemque disponit ad justificationem, ut docet Trid. Syn. loc. cit. ideoque ad amorem charitatis disponit. 2. falsum est, *jus naturæ* ita *exigere timorem filialem*, ut reprobet omnem timorem servilem. Jus enim naturæ non rejicit dispositiones ad amorem Dei, & ad timorem filialem: harum vero dispositionum una est timor, quo, ut Tridentina Synodus docet sess. 6. c. 6. homines, *peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur.* Quamvis ergo is timor satis non sit ad conjungendum hominem Deo per charitatem, disponit tamen ad charitatem. Non ergo ejusmodi timor sejungit hominem ab amore Dei casto, sed ad ipsum amorem disponit. 3. falsum est, illum qui Deum ita metuit, non perspicere ejus perfectiones; perspicit enim Divinam justitiam, qua utiliter concutitur; perspicit Divinam misericordiam, ad quam se convertendo, in spem erigitur; perspicit Divinam bonitatem, ad quam per charitatem amandam disponitur. Hæc satis sit indigitasse, ut universi videant, quantum periculi adolescentibus Catholicis creetur per ejusmodi hæreticorum libros, qui errores suos undique spargunt.

(1) 2. 2. q. 82. a. 3.

(2) Vide q. cit. sq. (3) Ibid. a. 1.

(4) Ibid. q. 83. a. 1. (5) Ibid. a. 17.

(6) Insignis est de invocatione Sanctorum Theodoreti locus serm. 8. de cur. Græc. affect. ubi in Gentilibus, quos redarguit, novatores nostri temporis etiam confundit, ostendens, quænam fuerit Ecclesiæ Catholicæ doctrina quinto sæculo, quæ certe non tunc cœperat, sed ab Apostolis fuerat accepta. Postquam enim ostendit, templa cultui ethnicorum Imperatorum dicata, impio jam fuisse privata cultu: » Mar» tyrum, *inquit*, templa conspicua cernuntur, magnitudineque præ-

sunt pro nobis apud Deum intercessores. Porro ad orationem pertinent obsecrationes, postulationes, & gratiarum actiones (1).

» stantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremque quo» dammodo pulchritudinis suæ late fundentia «. Ita erant Theodoreti ætate magnifice excitata, atque ornata Martyrum templa. Sed & jam ante similia scripserat S. Basilius Hom. de hominis struct. & Chrysostomus serm. 4. de Anna, aliique Patres. Videri possunt Nourryus diss. 12. Tom. 2. Apparat. in Biblioth. Max. SS. PP. & Muratorius diss. 16. de Templ. apud vet. Christ. Ornatu in Oper. S. Paulini Nolani edit. Veronens. in quibus Elmenhortius, Gallæus, aliique novatores ornamenta Ecclesiarum calumniantes refutantur. Genuensis autem in Lect. Œconom. p. 2. c. 7. §. 2. not. *a.* probat quidem, ornamenta aurea, & argentea, ac divitias templorum; sed ejus verba perpendite: » Esse sono veramente consacrate a Dio, ma per servi» re alla *Chiesa*, cioè a tutta la Nazione, ne' più gran bisogni «. *Sunt revera Deo consecratæ, sed ut serviant Ecclesiæ, id est toti Nationi, in gravioribus necessitatibus.* Itane vero sunt Deo consecratæ? Ecclesia autem nihilne differt à Natione? Non negamus, etiam templorum divitias, & sacra ornamenta insumi posse, si ita postulet gravis necessitas communis; in idque libentissime consentit Ecclesia, quæ est pia fidelium mater. Sed perpendi etiam debet, an liceat initium ducere à domo Dei, illæsis manentibus profanis laicorum divitiis, & argenteis, aureisve ornamentis, ac lapidibus pretiosis ad eorum luxum fovendum destinatis?

Pergit Theodoretus: » Neque vero hæc per annum semel, aut bis, » aut quinquies adventamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragi» mus, sæpe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes, hymnos» que cantamus. Quique homines prospera sunt valetudine, conservari » eam sibi à Martyribus petunt; qui vero ægritudinem aliquam patiun» tur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri, & mulieres da» ri sibi filios petunt; qui vero parentes sunt, integra sibi, & pro» pria custodiri quæ consequuti sunt, dona. . . non qui se ad deos » accedere arbitrentur; sed qui orent Dei Martyres tamquam divinos » homines, intercessoresque sibi eos apud Deum advocent, ac pre» centur. Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi quæ desi» derant, testantur illa quæ votorum rei dona persolvunt; manifesta » nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii » vero pedum, alii porro manuum simulacra suspendunt, ex argen» to, aurove confecta, &c. « Hæc Gentilibus Theodoretus scribebat ut abjecto dæmonis errore, viam capesserent, quæ ad Deum perducit Utinam novatores ætatis nostræ errorem abjiciant, rectamque ad Deum capessant viam!

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 17.

643 Inter externos Religionis actus recensentur *adoratio, sacrificium, oblationes, primitiæ, decimæ, vota, jusjurandum, adjuratio, & laudes Dei.* Non quod in eis nullus sit interior actus, ad quem referri debeant; sed quia actui interiori adjungitur item actus exterior ad interiorem ordinatus (1).

644 Itaque adoratio alia est *interior*, consistens in mentis devotione; alia *corporalis & exterior*, consistens in corporis demissione, ut ostendit S. Thomas (2), qui demonstrat quoque (3), ad adorationem non requiri principaliter determinatum locum; mens enim interius apprehendit Deum ut nullo loco comprehensum: convenire autem loci determinationem propter ipsos adorantes, qui ad devotionem excitantur tum ex loci consecratione, tum ex sanctitatis signis ibi contentis, tum ex aliorum adorantium consortio (4).

---

(1) Postquam Pufendorfius in priori editione Oper. de jur. nat. & gent. intacta reliquerat officia hominis erga Deum, inanesque excusationes quæsierat, ut se defenderet; tandem in oper. de offic. hom. & civ. c. 4. agendum instituit *de officiis hominum erga Deum, sive de Religione naturali.* At præterquam quod plerosque actus Religionis omittit, ut sacrificium externum, primitias, decimas, vota, adjurationes (quod & Heineccius fecit de jur. nat. & gent. l. 1. c. 5. nimirum lutherano more); tandem concludit §. 8. *Id certum est, effectum hujus Religionis naturalis præcise, & pro præsenti hominum conditione consideratæ, intra sphæram hujus vitæ terminari.* Cujus doctrinæ absurditas agnita fuit ab ipso Barbeyracio in not. ibid. sequela tamen est systematis Pufendorfiani constituentis jus naturæ in hujus vitæ socialitate. Si autem effectus Religionis naturalis intra hujus vitæ sphæram terminaretur, quisque destitutus Religione revelata nihil curaret de vita futura: quod impii quærunt. Cum vero Pufendorfius ait, rationem naturalem non valere pertingere ad cognoscendam, & adsequendam salutem æternam absque gratia Salvatoris; confundit cognitionem, & adsequutionem veræ salutis æternæ repositæ in Dei visione, cum cognitione, & persuasione alterius vitæ, in qua præmia bonis, & supplicia malis reservantur, quæque ipsis Gentilibus perspecta fuit, ut in Metaphys. demonstravimus §. 1035. sqq.

(2) 2. 2. q. 84. a. 2.

(3) Ibid. a. 3.

(4) De Martyrum templis jam pauca tetigimus ex Theodoreto. Montesquius autem quærens de templorum origine, *l. 25. de l' esprit des loix c. 3.* ait, ideam excitandi templa ortam naturaliter fuisse ex eo, quod populi cultiores haberent domos ad habitandum, indeque cogitarint de domo etiam Deo condenda. Si ita fuisset, cur

645 Pari modo sacrificium aliud est *internum*, quod in mentis, ac corporis spirituali oblatione positum est (1); aliud *externum* (2), quod in nova Lege, si de vero, & proprie dicto sacrificio sermo sit, est unicum, scilicet sacrificium Eucharisticum. Sacrificium porro offerri Deo deberi ex lege naturæ, demonstrat S. Thomas (3), quia *ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis, & honoris . . . Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii.* De reliquis externis actibus Religionis disserere longum esset; quare ad S. Thomam (4) remittimus (5).

Zeno Stoicorum parens, referente eodem Theodoreto serm. 3. de cur. Græc. affect. prohibuit, templa Deo fieri? An forte Zeno, cæterique Stoici degebant sub dio? Quid haberet sacri origo templorum, si ad Montesquii ideam referretur?

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 85. a. 2.

(2) Videtur Genuensis omne externum sacrificium inficiari. Nam l. 1. de offic. c. 8. §. 5. » Quamobrem, *inquit*, ne quidquam quidem » corporei ac mortalis ei sacrificandum est. *Non placet illi*, inquit » Lactantius, *nisi sola innocentia*«. Et §. 24. » Lex naturæ est, quam » hisce verbis concipit Justinus M. *templum Dei est orbis, cor ara,* » *sacrificium amor*«. Animadvertite, Pfaffium Justini, & Gallæum Lactantii testimoniis fuisse abusos ad impugnandum Catholicum dogma de sacrificio Eucharistico. Consulite Maurinos Patres Præfat. ad S. Justin. p. 2. c. 10. ubi Pfaffium confutant; & Eduardum à S. Xaverio Carm. Excalc. diss. 35. in Lactan. c. 2. Nunc autem si Deo *ne quidquam corporei sacrificandum est*, non licebit sacrificare corpus, & sanguinem Christi. Hæc in usum tironum Genuensis scribebat.

(3) Loc. cit. a. 1.

(4) 2. 2. q. 86. sqq.

(5) Facere tamen non possumus, quin pauca dicamus adversus Pufendorfium, & Genuensem. Ac Pufendorfius quidem agens de jurejurando, l. 4. de jur. nat & gent. c. 2. multa complectitur falsa, & iniqua. Ac primum §. 3. videtur negare omne jusjurandum contestativum per quascumque res creatas; cum tamen Apostolus 1. ad Tim. 5. v. 21. juraverit etiam *per electos Angelos*. Vide S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 6. Deinde §. 5. Petrum Suavem laudat mentientem, Cardinales in Conclavi quædam jurare capita, quin ipsis propositum sit juramento stare. Sed hæc manifesta calumnia est Petri Suavis, id est, Pauli Sarpi, de quo Bossuetus in Hist. Variat. n. 110. scribit: » Sous » un froc il cachoit un cœur Calviniste, & il travailloit sourdement à » décréditer la Messe, qu' il disoit tous les jours«. *Sub cucullo celabat Calvinisticum cor, & occulte laborabat, ut detraheret Missæ,*

646 Necessitatem externi cultus videtur olim denegasse Demonax, qui accusatus impietatis, quod Minervæ nullum obtulisset sacrificium, respondit (1): *Neque enim illam oblatis à me sacrificiis indigere putabam.* Aperte vero necessitatem externi cultus negarunt olim Manichæi (2), & novissime negavit Thomasius (3), non modo quod ad Deum ipsum attinet, qui

---

quam quotidie celebrabat. Præterea §. 6. docet, jusjurandum semper accedere obligationi sese validæ: quod absolute falsum est; possum enim jurare elargitionem eleemosynæ, quam dare nulla alia obligatione teneor: accedente autem jurejurando, teneor ipsam dare. Insuper §. 8. docet, juramenta per metum injustum extorta nullam habere vim: quod tamen est contra doctrinam Ecclesiæ c. *Debitores* ext. de jurejur. Vide S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. Tandem §. 24. ait, relaxationem juramentorum fuisse à Principibus delegatam Episcopis, præsertim Romano, unde innumera manarint mala; eique consentiunt Thomasius, Barbeyracius, & Mascovius, qui addunt etiam, Episcopos hoc sibi jus usurpasse; nimirum consueto calumniandi more, ut Catholicæ Ecclesiæ maledicant. Perspicitis, quot in uno Pufendorfii capite continentur errores. Quare non satis mirari possumus quorumdam Catholicorum vel ignorantiam, vel cæcitatem, qui effunduntur in Pufendorfii laudes.

Genuensis autem l. 1. de offic. c. 8. §. 15. videtur omnem omnino oblationem externam Deo factam excludere; præcipit enim, *ut non existimemus, aliquid Deo à nobis promitti posse, ac tribui, quod ei placeat, præter animi innocentiam*; idque confirmat Persii versibus satyr. 2. *Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?* &c. quasi auctoritas poetæ ethnici, & satyrici, quem Bælius ipse in Dict. art. *Perse* reprehendit, magnum habeat pondus. Ratio autem, qua Genuensis utitur, quia scilicet *nihil in mundo est, cujus Deus non sit proprietarius*, ex alio ejus errore manat, quod homines nullam habeant rerum proprietatem, sed sint mere usufructuarii. Mittimus quod ibid. subdit, promissiones Deo factas, ut vim obtineant, debere esse de *non admodum difficilibus*; quasi male egerint Sancti, qui vota emiserunt faciendi semper quod melius est, suæque semper voluntati contradicendi: quæ certe vota admodum difficilia sunt. Quid vero ille intellexerit, cum ibid. ait, eos *corrumpere homines, qui ipsos eo inferunt, quo stare nequeant*, alii viderint. Protestantes certe audimus, atque inter ipsos Barbeyracium, dicentes, cœlibatum esse rem supra vires hominum, ad quam qui contendunt, eo homines inferunt, quo stare nequeant.

(1) Apud Lucianum in *Demonacte.*

(2) Vide S. Thom. l. 3. cont. Gent. c. 119.

(3) Jurispr. div. l. 2.

tali cultu non habet opus ; sed etiam quod ad nos spectat. *Quantum vero*, inquit, *ad hominem attinet, hominis socialitas, seu vita tranquilla, seu quocumque modo beatitudinem ejus temporalem efferre velis, directe per omissionem harum actionum externarum non lædítur, modo cultus internus non tollatur.* Cui consonant alii Pufendorfii commentatores, qui hominum officia erga Deum à jure naturæ sejungunt, & ad Theologiam naturalem rejiciunt.

647 Videtur autem cum iis dicendum, 1. quia Deus cultu exteriori non habet opus ; est enim seipso felicissimus, nec ullum ex nostro cultu reportat commodum. Ergo.

648 II. Cultus exterior Deo exhibetur tamquam testimonium cultus interioris. Deus autem hoc testimonio non indiget, cui interiora nostra sunt perspectissima. Frustra ergo adhibetur cultus exterior.

649 III. Cultum exteriorem Deus respuit ; Christus enim Joann. 4. v. 24. ait : *Spiritus est Deus : & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Cultus autem exterior magis ad corpus, quam ad spiritum pertinet. Non est igitur Deo tribuendus. Quare Lactantius (1) : *Nihil*, inquit, *sancta, & singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam.*

650 IV. Absque ullo externo cultu vigere humana societas, & vitæ tranquillitas potest. Necessarius igitur non est cultus externus.

Prop. *Officia erga Deum non modo internum, sed etiam externum cultum ex jure naturæ complectuntur.*

651 Prob. ex S. Thoma (2). Naturale est homini, ut per sensus cognitionem accipiat, ut in Logica demonstravimus (3). Ex natura igitur homo habet, ut per sensibilia manuducatur, & revocetur ad Divina ; ideoque Apostolus ad Rom. 1. v. 20. ait : *Invisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* ; ac propterea inexcusabiles dicit esse illos, qui *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Inspecta igitur homi-

(1) L. 6. c. 1.
(2) 1. 2. q. 81. a. 7. & l. 3. cont. Gent. c. 119.
(3) Tom. 1. §. 419. sqq.

nis natura, necesse est, ut ipse utatur quibusdam corporalibus, quibus mens excitetur, & elevetur in Deum. In his autem consistit cultus exterior. Officia igitur erga Deum non modo internum, sed etiam externum cultum complectuntur ex jure naturæ.

652 Præterea, quidquid in nobis est, Deo debemus, à quo accepimus, & in cujus est potestate. Est autem in nobis anima, & corpus. Deo igitur & anima, & corpore famulari debemus, ac profiteri, ipsum esse animæ, & corporis auctorem. Sic autem famulamur, & profitemur, cum ei spiritualia, & corporalia, sive interna, & externa exhibemus obsequia. Deo igitur interna, & externa cultus officia debemus.

653 Ad primum respondemus, argumentum Thomasii nimis probare; destruit enim necessitatem etiam cultus interni, quo sane Deus non indiget. „Exercentur (inquit (1) S. Thomas) „ab hominibus quædam sensibilia opera, non quibus Deum „excitent, sed quibus seipsos provocent in divina; sicut pro„strationes, genuflexiones, vocales clamores, & cantus: quæ „non fiunt, quasi Deus his indigeat, qui omnia novit, & cu„jus voluntas est immutabilis: & affectum mentis, & etiam „motum corporis non propter se acceptat; sed propter nos „facimus, ut per hæc sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, & affectio accendatur“. Et per hæc patet solutio ad secundum.

654 Ad tertium respondet S. Thomas (2), Christum Dominum loqui de eo, quod est præcipuum in cultu divino; loquitur enim adversus Samaritanos, & Judæos, qui de interiori cultu videbantur parum curare. Cæterum & ipse Christus externo cultu adoravit Patrem; nam positis genibus, & procidens in faciem suam oravit in horto. Similiter explicanda sunt verba Lactantii.

655 Ad quartum respondemus, principium Thomasii falsum esse, ut supra ostendimus (3), nihil scilicet ad jus naturæ pertinere, quod non ex socialitate consequatur. Addimus vero, falsum quoque esse, quod societas, & vitæ tranquillitas vigere possint absque ullo externo cultu. Nam Religio est validissimum, & præcipuum Reipublicæ fulcrum. Ut autem apposite ait S. Augustinus (4), *in nullum nomen Religionis coa-*

(1) Cit. c. 119. (2) 2. 2. q. 81. a. 7. ad 1.
(3) §. 280. sqq.
(4) L. 19. cont. Faustum c. 11.

gulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum consortio colligentur. Si ergo nullus esset exterior cultus, non possent homines coagulari in ullum Religionis nomen; ideoque nutaret, & corrueret ipsa hominum societas, quæ à Religione maxime pendet. Thomasius proinde in Bælii partes transit saltem quod ad externum cultum pertinet, & Bælianæ atheorum reipublicæ favet (1).

656 Hæc quidem quod ad necessitatem spectat cultus interni, & externi. Pauca nunc addenda sunt de externi cultus determinatione. Is alius est *publicus*, alius *privatus*. Determinatio autem publici cultus solum Deum habet auctorem. Cum enim solus Deus sit Religionis auctor; in Religionis vero nomen, ut dictum est (2), homines colligentur per signacula, vel sacramenta, quæ ad publicum externum cultum pertinent: perspicuum est, determinationem publici cultus externi ad solum Deum pertinere. Id vero Deus fecit vel per seipsum immediate, vel per Ecclesiam suam, quæ Divino ejus Spiritu regitur. Ante Legem scriptam non habebant homines legem exterius datam, qua determinatæ essent res ad publicum cultum Deo reddendum; sed, ut advertit S. Thomas (3), *ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur.* Postea per Legem Moysi traditam fuit à Deo determinatus cultus publicus, quem Judæi exhibere ipsi debebant. In nova Lege cultus publicus determinatus fuit à Christo in iis, quæ ad Sacramenta pertinent; in reliquis potestatem determinandi fecit Ecclesiæ. Publici ergo cultus determinatio numquam relicta fuit mero hominum arbitrio: imo nec potuit relinqui; alioquin homines ex proprio arbitrio fuissent colligati in Religionis nomen.

657 Quod pertinet ad privatum cultum externum, fatemur, modum ejus exhibendi non esse pro singulis determinatum; oportet tamen, ut sit talis, qui Deum deceat, nihilque admittat, quod minus congruat cum Ecclesiæ Catholicæ doctrina, ac praxi.

658 Ex hisce autem sequitur, errasse turpissime Genuen-

(1) Ipsa natura duce homines conveniunt ad colendum Deum publico cultu. Quare Plutarchus l. adv. Colotem c. 28. ajebat, *potius conspiciendam sine solo urbem, quam sine Deo, & Religione.* Nihilominus hanc naturæ vocem Thomasius non audivit.

(2) §. præced.

(3) 3. p. q. 60. a. 5. ad 3.

sem, cum concessit quidem Sacerdotio *jura interna sacrorum*, sed denegavit *jura cultus externa* (1); ita enim ademit Ecclesiæ omnem externam jurisdictionem (2), Ecclesiamque ipsam

---

(1) L. 2. de offic. c. 8. §. 43.

(2) Idem Genuensis ibid. c. 5. inquirens, *an Sacerdotium jurisdictione polleat* : » Quæsitum est, *inquit*, ac disceptatum acerrime, » postquam scilicet *recentes* Christiani sumus, polleatne Sacerdotium » jure ullo legum ferendarum... Quæ ignota olim; nec hodie, nisi » apud imperitos legum, veterumque morum, & canonum contendi » audias «. Ipse autem etsi concedat, Sacerdotum cœtum admitti posse ad condendas leges cum aliis Reipublicæ membris; ait tamen: *Soli ut condant, altera quæstio. Ego haud contendere putem.* Nihilominus Grotii sophismate utitur, quod scilicet Ecclesia in decretis suis verbum *legis* non usurpaverit, sed contenta fuerit nomine *Canonum.* Videte quas lectiones Genuensis discipulis tradebat suis. Dubitarine inter Catholicos licet de Sacerdotii jurisdictione, aut de Ecclesia, an potestate polleat condendi leges quascumque ad spirituale animarum regimen pertinentes! Inter quosnam *quæsitum est, ac disceptatum acerrime* de hac Ecclesiæ potestate? inter Catholicosne invicem, an inter ipsos, & heterodoxos? Quid vero illud, *postquam recentes Christiani sumus*, nisi ad Protestantium gustum, qui adulteratam contendunt fuisse posterioribus sæculis puritatem Evangelicæ doctrinæ? Dicit ille quidem, nolle *contendere.* At primum quî poterat absque fidei dispendio nolle contendere post quæstionem propositam, in qua heterodoxi negantem tenent partem? Deinde si nolebat contendere, cur dixit, de ea quæstione *non nisi apud imperitos contendi*? Ubi Catholicos universos ut *imperitos* traducit; quasi peritia legum, veterumque morum, & canonum apud solos Protestantes vigeat. Cur miserum Grotianum sophisma adoptavit, quo Grotius Arminianus homo denegandam putavit Ecclesiæ omnem potestatem ferendi leges etiam spirituales? Diximus *miserum sophisma* : nam sive *Canones*, sive *leges* appelles, idem omnino est; modo Canonibus non deneges obligandi vim, quam leges habent. Hanc autem obligandi vim Canones habere, nemo Catholicorum negat, iique tantum inficiantur, qui Ecclesiam omni jurisdictione spoliant. Ne autem quis Genuensianus discipulus imperitiæ legum, veterumque morum, & canonum nos accuset, rogamus, ut legat par. 2. Concilii Duziacensis I. c. 11. in Labbeana Collect. Concil. Tom. 8. col. 1565. editionis Paris. 1671. sic dicentis : » Ut B. Leo, & ante illum Damasus, & Bonifacius, & » post eum alii Apostolicæ Sedis Pontifices scripserunt, sacri Canones, » *mansuræ scilicet usque in finem sæculi leges*, Spiritu Dei sunt con» diti «. Eruntne & hi Pontifices, & Patres imperiti legum, veterumque morum, & canonum?

fecit invisibilem: nam *jura interna* visibilia minime sunt: atque adeo si Ecclesia est visibilis, necesse omnino est, ut habeat jura externa, sive externam jurisdictionem. Genuensis ergo denegans Ecclesiæ omnia *jura cultus externa*, Calviniano errori de Ecclesiæ invisibilitate subscribit. Sane Sacramenta, quibus Deo protestamur cultum, quæque sunt sanctificationis nostræ instrumenta, ad classem pertinent sensibilium signorum: jus autem illorum conferendorum traditum est Ecclesiæ (1). Liturgia quoque, aliæque publicæ preces ad externum pertinent cultum. Quis autem, nisi hæreticus, dixerit, Ecclesiam destitutam fuisse jure instituendi sacram Liturgiam, ordinandique publicas preces sive in Sacramentorum administratione, sive in Divinis Officiis? Genuensis autem ex cathedra negabat Ecclesiæ, sive Sacerdotio universa jura cultus externa (2).

---

(1) Etsi Genuensis loc. cit. §. 45. videatur concedere Ministris Ecclesiæ potestatem circa doctrinam Christianam, & Sacramenta; nihilominus statim addit: » Plenæ æqualitatis status est Christianum Regnum, si jura, quæ præstat Evangelium, spectemus. Nam ordo Episcoporum, Presbyterorum, reliquorum administrorum, non imperantium est, sed docentium, ut in schola Magistrorum «. En paucis verbis in nihilum redacta tota Ecclesiastica Hierarchia, atque Episcopi æquati non modo Presbyteris, cæterisque administris, sed vel ipsis laicis, uno tantum excepto docendi, atque pascendi munere; propterea quod *Regnum Christianum status est plenæ æqualitatis*. Quibus verbis non modo ad Calvinismum, & Lutheranismum, sed ad Quakerismum auditores suos ille ducebat; Quakeri enim *plenam æqualitatem* statuunt in Regno Christiano. Quæ ratio fortasse fuit, cur Genuensis tantopere Quakeros laudarit.

(2) Gravia hæc quidem sunt: at nihilo sunt leviora, quæ idem Genuensis docet l. 2. de offic. c. 10. § 6. nam agens de officiis civium & Magistratuum, sic statuit: » Civis Christianam Religionem » servato, proque ea pugnato «. In prima editione ejusdem operis an. 1765. scripserat: *Civis patriam Religionem servato*, quasi ea esset vera Religio, quæ in cujusque patria vigeret. Intelligens vero, merito accusari de *indifferentismo*, plagulam apposuit, quæ sic habebat: *civis Religionem servato*. At nihil profecit: nam & Deistæ dicunt, se Religionem servare. Itaque denuo mutavit, ac posuit: *civis Christianam Religionem servato*. In qua quidem loquendi formula is, qui notam addidit præfato §. defectum invenit, *quod nihil habeat, unde constet, an tantum ii, quorum patria Religio Christiana est, ad Christianam Religionem servandam teneantur, an potius homines omnes, qui aliis religionibus vivant*. Verum is etiam Adnotator non satis deprehendit

ARTICULUS II.

Utrum superstitio, seu falsa religio conferre ad publicam utilitatem possit.

659 Putavit Bælius, atheismum nihil obesse publicæ utilitati, posseque ex atheis rempublicam conflari, ut supra di-

---

absurditatem postremæ emendationis Genuensianæ. Nam & heterodoxi contendunt, servare se Christianam Religionem. Manca igitur est cum Genuensis postrema emendatio, tum Adnotatoris animadversio. Necessario igitur emendandum erat: *Civis Catholicam Religionem servato*; hæc enim unice vera Religio est. Sed ita emendare Genuensis non poterat, nisi integrum illum mutaret paragraphum, imo nisi totum suum destrueret systema. Nam statim quærit: »Quid, inquit aliquis, si falsa cui videatur«? Respondet vero: »Nulla lex »falsa, quæ toti prodest Reipublicæ: in regulis is index veri, si »cum insita naturæ regula, *salus publica*, congruant«. Animadvertite, hæc plane congruere cum prima positione, *Civis patriam Religionem servato*: nam si *salus publica* est *index veri*, nec ulla lex falsa, quæ toti prodest Reipublicæ, *patria Religio* servanda est. Posteriores ergo mutationes, & plagulæ à Genuensi appositæ, effugia sunt studiose quæsita, ad cavendam invidiam. Si autem *nulla lex est falsa, quæ toti prodest Reipublicæ*, si *salus publica est index veri*, lapis lydius ad discernendam veram Religionem à falsa erit salus publica, & Reipublicæ utilitas. Mahumetani autem dicent, Alcoranum suæ prodesse Reipublicæ; idem dicent Sinenses de legibus Confucii; idem dicere potuissent veteres Romani de suis superstitionibus: idem hæretici de suis erroribus. Ubinam reponemus Divinam auctoritatem in materia Religionis, si index veræ Religionis est salus publica, & quod toti prodest Reipublicæ? Rursus ergo Genuensis in indifferentismum ruit. Adsertionem vero suam magis illa confirmat, Ecclesiæque omnem denegat potestatem etiam circa doctrinam. »Et si quis, *inquit*, nocere stulte sibi persuasit, non is »impurus est, & facinorosus, qui adversus publicam legem connititur? »ea enim disquisitio non privatorum est civium, sed eorum, qui»bus Reipublicæ commissa est cura. Deo ergo res committenda est, »& summis Potestatibus«. Hic nulla tergiversatio est; sed apertissime adseritur, laicis Potestatibus commissum esse judicium circa doctrinam Fidei, & morum, nimirum Grotiano errore; Grotius enim Arminianorum suscepit partes, defenditque, ad laicos Magistratus pertinere judicium ferre in Religionis doctrina. Vide Jo. Franc.

ctum est (1). Bælio contradicens Montesquius (2), in alium ruit errorem, putans, superstitiones etiam, seu falsas religiones conferre posse ad bonum status civilis; imo ultra progrediens statuit (3), *non tam veritatem, aut falsitatem alicujus dogmatis causam esse, quæ reddit illud utile, aut perniciosum hominibus in statu civili, quam ejus usum, aut abusum* (4).

Confortii Regii Hist. S. & P. Conciliorumque in Neap. Acad. Profess. *Anti-Grotium*, Exerc. Crit. in c. 1. Hæc cum sint, quis non miretur, Ecclesiasticum ejus operis Approbatorem Theologum, & Theologiæ Lectorem, in eo nihil deprehendisse, *quod Fidei, Morumque disciplinam imminuat*, & id *argumenti in eo potius pertractari, quod veræ pietati summopere conducit*?

(1) §. 126.

(2) De l' esprit des loix, l. 24. sq.

(3) L. 24. citat. c. 19.

(4) In longum nimis protraheretur oratio, si omnia complecti, ac refutare vellemus, quæ Montesquius iniqua colligit in duplici cit. libro. Contenti erimus, pauca libare, ut quisque videat, quam perniciosum adversus Religionem sit illud opus. Itaque l. 24. c. 3. comparat *Christianam* Religionem cum *Mahumedana*; quasi Mahumeti superstitio vocari Religio possit. Et quamvis dicat, illam præ ista magis conferre ad civile gubernium; ipsa tamen comparatio scandali plena est. Ibid. c. 4. affirmat quidem, Religionem Christianam præ Mahumedana amplectendam homini esse absque alio examine; rationem vero hanc reddit, quia *nobis multo est evidentius, religionem debere dulces facere mores hominum, quam quod sit vera.* » Il nous » est bien plus évident qu' une Religion doit adoucir les mœurs des » hommes, qu' il ne l' est qu' une religion soit vraie «. Quasi non veritate religionis, sed ejus dulcedine permoveri debeamus ad eam amplectendam; ita ut si religio dulcis sit, sequi eam debeamus, quamquam sit falsa; econtra eam rejicere, licet sit vera, si minus sit dulcis.

Statim c. 5. statuit, *Religionem Catholicam convenire melius Monarchiæ; Protestantem melius aptari Reipublicæ.* » La Religion Ca» tholique convient mieux à une Monarchie, & la Protestante s' accom» mode mieux d' une République «. Additque de Lutheranismo, & Calvinianismo: *Unaquæque harum duarum religionum poterat se credere perfectiorem, Calvinistica se judicans conformiorem doctrinæ Christi; Lutherana gestis Apostolorum.* » Chacune de ces deux Religions » pouvoit se croire la plus parfaite, la Calviniste se jugeant plus con» forme à ce que Jesus Christ avoit dit, & la Luthérienne à ce que » les Apôtres avoient fait «. Qui ita loquitur, nonne Catholicam Re-

660 Animadvertendum est autem, Religioni, quæ in medio

ligionem sacrilege illudit? Nam quæ conformitas fingi potest in sectis Calvini, & Lutheri cum doctrina Christi, aut cum gestis Apostolorum, nisi adseratur, dogmata Ecclesiæ Catholicæ adversari doctrinæ Christi, & Apostolorum gestis? Præterea quidnam fuit in gestis Apostolorum, quod minus congrueret cum doctrina Christi? Quid, si expendantur quæ ibid. habet, scilicet, *Religionem, cum nascitur, & formatur in aliquo Statu, ordinarie sequi constitutionem gubernii, in quo stabilita reperitur*? » Lorsqu' une Religion naît & se forme » dans un Etat, elle suit ordinairement le plan du Gouvernement » où elle est établie «. Quod sane absque impietate de Christi Religione dici nequit, cui Imperia non legem dare, sed parere humillime debent; cujusque initia, & formatio non politicas hominum leges, sed omnipotentem Deum habent auctorem.

Pergit Montesquius, & c. 10. loquens de secta Stoica, ait: *Si per temporis instans possem à cogitando desistere, quod sum Christianus, facere haud possem, quominus in numero calamitatum generis humani ponerem destructionem sectæ Zenonis.* » Si je pouvois un » moment cesser de penser que je suis Chrétien, je ne pourrois m' empêcher de mettre la destruction de la secte de *Zénon* au nombre » des malheurs du genre humain «. Impia sane hypothesis. An forte Christiana Religio sustulit quod erat boni in Philosophia Stoicorum? An pluris ille Stoicam sectam faciebat, quam Christi Religionem? An magis amabat esse Zenonis, quam Christi discipulus?

Ibid. præcipit, *ut ad instans præscindatur à veritatibus revelatis*; aitque: *Si in tota natura quæratur, non invenietur objectum præstantius Antoninis. Julianus ipse post se non habuit Principem, qui dignior fuerit hominum imperio.* » Faites pour un moment abstraction des verités révélées; cherchez dans toute la nature, & vous » n' y trouverés pas de plus grand object que les *Antonins*: *Julien* même, *Julien* non, il n' y a point eu après lui de Prince plus digne de » gouverner les hommes «. Quidnam aliud hoc est, quam incredulorum ore loqui, qui summis laudibus efferunt Antoninum Pium, & Julianum Apostatam? Non negamus, Antoninum minus inter alios Romanos Imperatores fuisse perversum; sed plus etiam cæteris fuit superstitionibus ethnicorum addictus: nam, testante Julio Capitolino in *Antonino Pio*, diis assidue sacrificabat, nec umquam per vicarium, nisi cum æger esset; idque faciebat, ut exemplo suo homines in cultu idolorum retineret, Christianæque Religionis incrementa, quæ tunc stupenda erant, impediret. Hoc Christi hoste nihil invenit Montesquius *in natura præstantius*. De Juliano autem quid opus est multa eloqui? Satis sit indicasse, ipsum non modo Christianam Religionem in gratiam Constantii simulasse, atque post adeptum Imperium fuisse immanissime persequutum; sed eodem vivente Constan-

consistit, utpote virtus moralis, duplex vitiorum genus oppo-

---

tio, Imperium favore militum tyrannice occupasse. Princeps sane *omnium dignissimus, qui hominibus imperaret*, postquam à legitimo Principe descivit, arrepta tyrannide. Legatur Oratio 1. S. Gregorii Nazianzeni adversus Julianum. Hoc iniquitatis monstrum, qui per malas artes in Imperium tyrannice irrepsit, Montesquius tantopere extollit.

Suspicari etiam quis posset, utrum Montesquius ib. c. 11. sugillans Mahumedanorum consuetudinem orandi pluries in die, & c. 14. Indorum credulitatem, quod Gangis aquæ vim haberent sanctificandi; dogmata voluerit impetere præcepti orationis impositi à Christo, & vis Baptismi, aut Pœnitentiæ ad purgandas animarum sordes.

Quid vero quod ille ait c. 23. legem sanctificandi diem Dominicum constitutam fuisse à Constantino, pro urbium tantum incolis, & non pro colonis? Sanctificatio diei Dominicæ originem habuit ab Apostolis. Si Constantinus legem tulit de sanctificando die Dominico, quomodo Tertullianus tam multo ante scripsit in l. de velandis virgin. c. 3. *Die Dominico jejunium nefas ducimus*? scilicet ob festi solemnitatem. Legatur & ipsa lex Constantini Cod. de Feriis 3. & deprehendetur, Constantinum ibi non loqui de colonis, nisi in casu necessitatis colendi agros, eorumque fructus colligendi, *ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.* Lex autem illa, ut testatur Eusebius l. 4. de vita Constant. c. 18. sq. non Christianos respiciebat, quibus jam ab Apostolis imposita fuerat, sed ethnicos, ut sensim mortales omnes ad veri Dei cultum traducerentur.

Sed multo pejora sunt, quæ idem Montesquius habet ibid. c. 24. sqq. » Quand *Montésuma* s' obstinoit tant à dire que la Religion des » Espagnols étoit bonne pour leur pais, & celle du Mexique pour le » sien, il ne disoit pas une absurdité... L' opinion de la Métempsy» cose est faite pour le climat des Indes... Il y a très souvent beau» coup d' inconveniens à transporter une Religion d' un pais dans un » autre... La nourriture du cochon doit être défendue dans les climats » où l' on est sujet à ces maladies (*de la peau*), comme celui de la » Palestine, de l' Arabie, de l' Egypte & de la Libye... Lorsque » la Religion fondée sur le climat a trop choqué le climat d' un au» tre pais, elle n' a pû s' y établir; & quand on l' y a introduite, » elle en a été chassée. Il semble, humainement parlant, que ce soit » le climat qui a prescrit des bornes à la Religion Chrétienne & à la » Religion Mahométane «. *Cum Montesuma tam obfirmatus erat in adserendo, religionem Hispanorum accommodatam esse ad eorum regionem, ut illa Mexici ad suam, nihil dicebat absurdi... Opinio metempsychosis congruit Indorum climati... Sæpissime multæ oriuntur perturbationes, cum una religio ex una in aliam regionem trans-*

ni ; alia *per defectum*, eaque ad *irreligiositatem* pertinent, ut *tentatio Dei*, *perjurium*, *sacrilegium*, *blasphemia*, *simonia* ; multoque magis *hæresis*, *deismus*, & *atheismus* : alia per *excessum*, ut *superstitio*, non quod hæc plus colat Deum quam vera Religio, sed *quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet*, ut scribit S. Thomas (1). Et quoniam falsa religio hunc exhibet cultum, merito vocatur superstitio. Loquimur autem de superstitione accepta pro eo quod nomine significatur, non pro ipsa significatione nominis ; nam si hanc spectes, superstitio denominata fuit ab eis qui, ut filii essent superstites, *totas dies precabantur, & immolabant*, ut ait Cicero (2).

661 Ex qua superstitionis definitione sequitur, vehementer errasse Spinozam (3), Tolandum (4), Collinsium (5), cæterosque atheos, qui superstitionem cum Religione confundunt omnemque Religionem appellant superstitionem, quam omnium

---

fertur... Esus carnis porcinæ prohiberi debet in climatibus, ubi frequentes sunt morbi cutanei, ut est clima Palæstinæ, Arabiæ, Ægypti, & Libyæ... Cum religio in uno climate fundata, in alterius climatis minus accommodati regionem devenit, stabiliri in ea minime potuit ; & cum inducta in eam fuit, inde fuit ejecta. Videtur, humano loquendi more, ex climate præscripta esse confinia Christianæ, & Mahumedanæ Religioni. Hæc satis est recitasse, ut quisque videat, quid de Religione Montesquius sentiret. Nam qui nihil reperiebat absurdi in impietate Montesumæ ; qui Metempsychosim non reprobabat in Indis ; qui perturbationes timebat ex translatione religionis, ne excepta quidem Catholica ; qui præceptum à Deo Judæis impositum de non comedenda carne porcina, climati tribuebat ; qui confinia Religioni Christianæ ex climate statuebat : næ is de re gravissima jocabatur, & Dei omnipotentiam, quæ maxime splendet in propagatione Christianæ Religionis, ad naturæ leges coarctabat, ablegata cœlestis gratiæ necessitate, sublatoque uno ex argumentis credibilitatis doctrinæ Christi. Scimus, Montesquium se excusasse, quod Politicum, non Theologum ageret. Ast quænam hæc Politicæ Christianæ species est, Christianam ipsam Religionem pessundare, & Religionis negotium in climata referre ?

(1) 2. 2. q. 92. a. 1.

(2) L. 2. de nat. deor. Vide Lactantium l. 4. Instit.

(3) In præfat. tract. theol. polit.

(4) Adeisidæmon. §. 24. & apud Jac. Fay. in defens. Relig. p. 1. c. 5.

(5) In tract. de libert. cogitandi. Collinsium impugnavit Bentleyus l. *La friponnerie laïque des prétendus esprits-forts.*

malorum causam esse dicunt, illud Lucretii sæpe usurpantes: *Tantum Religio potuit suadere malorum.* Hi autem voces ignorarunt suas : nam Religio, & superstitio è diametro opponuntur. Quare Cicero ajebat (1): *Non philosophi solum, sed majores etiam nostri superstitionem à religione separaverunt.*

662 Sequitur item, errasse Buddeum (2), & Heineccium (3), cum adhibentes definitionem Theophrasti (4) ajentis : *Superstitionem definire possumus meticulosum erga Numen affectum*; docent, superstitionem ex timore servili proficisci, esseque ipsum timorem Dei servilem. Zimmermannus vêro, etsi superstitionem definiat (5) *præposterum Numinis cultum, id est rationi, & Revelationi plane contrarium*; nihilominus ex Protestantium errore putat, Ecclesiam Catholicam innumeris superstitionibus esse addictam, cujusmodi per ipsum sunt cultus Reliquiarum, invocatio, & canonizatio Sanctorum, aqua lustralis, signum S. Crucis, adoratio sacrarum Imaginum, Rosaria, Scapularia, &c. (6). Et quod magis festivum est, Buddeum exscribens, contendit, superstitionem inter Catholicos grassantem ad incredulitatem promovendam plurimum conferre; quasi non omnes sciant, magnum in Protestantium regionibus esse atheorum, & deistarum numerum (7); idque consequi ex eorum principiis, quibus statuunt, nihil absque examine, hoc est sine ratione, qua quisque ducatur, oportere admitti in Religionis negotio : quod sane & *fanatismum* redolet, uti Nicolius adversus Claudium demonstrat (8); & *indifferentismum* ac *scepticismum* parit, ut Protestantes ipsi, nullam respuendo falsitatem, ostendunt; demonstravitque ipsemet Petrus Coste (9).

---

(1) L. 2. de nat. deor.
(2) De atheism. & superstit. c. 8. §. 1. in not.
(3) De jur. nat. & gent. l. 1. §. 132.
(4) In Characteribus.
(5) De caus. incredulit. medit. 8.
(6) Hinc fortasse derivavit Montesquius quæ scripsit de superstitione furente ab Hispanis in Americam translata, ut diximus not. 3. §. 499.
(7) Vide quæ diximus Tom. 5. §. 1207. not. *Wodwardus.*
(8) L. de Calvinistis schismatis convictis.
(9) Vide Valsechium *De' Fondamenti, &c. l. 3. p. 3. c. 1.* qui ib. par. 2. c. 6. docte refutat ineptias Naturalistarum, & Middletoni adversus ritus Christianæ Religionis, & Ecclesiæ Romanæ.

663 Jam superstitio in tres dividitur species (1), quarum una est *idololatria*, qua creaturis exhibetur cultus Deo debitus (2). Altera est *divinatio*, qua homo colit dæmonem, cum ipsum consulit (3). Tertia est *vana observantia* (4), quæ etiam conjuncta est cum dæmonis cultu (5).

664 Videtur autem superstitio, seu falsa religio conferre posse ad publicam utilitatem, 1. quia florentissima fuit veterum Romanorum Respublica, & Imperium, tametsi Romani omni superstitionum generi essent addicti. Idemque dicen-

---

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 92. a. 2. & ibi S. August. l. 2. de Doctr. Christ. c. 20.

(2) Adeantur quæ diximus Tom. 5. §. 1232. sqq.

(3) De speciebus divinationis disserit S. Thomas 2. 2. q. 95. a. 3. ubi inter eas recenset *præstigium*, *divinationem somniorum*, *necromantiam*, sive apparitionem, vel loquutionem mortuorum; *divinationem per pythones*, sive ventriloquos; *geomantiam*, *hydromantiam*, *aeromantiam*, *pyromantiam*, *aruspicium*; sive per figuras & signa, vel in terrestribus corporibus, vel in aqua, vel in aere, vel in igne, vel in animalium extis. Insuper *genethliacam*, sive divinationem per astra; *augurium*, per motus animalium; *auspicium*, per inspectionem avium; *omen*, per hominum verba absque intentione dicta; *chiromantiam*, per inspectionem signorum in manu; *sortilegium*, per sortes. Hæc divinationis genera vulgatissima apud Ethnicos erant; & magna falsæ eorum religionis pars in hisce ineptiis consistebat. Vide libros Tullii de Divinat.

(4) Agit S. Thomas loc. cit. q. 96. de superstitionibus observantiarum; atque a. 1. demonstrat, illicitas esse observantias *artis notoriæ*, quæ scilicet ad inquirendam futurorum scientiam, utitur quibusdam figuris, signis, aut verbis, quæ seipsis hanc vim non habent.

(5) Ad recensitas superstitionis species pertinet Judæorum *Kabala*, non illa quidem pia, quæ idem erat ac Traditio, sed impia à Judæis conficta. Duplex enim *Kabala* distingui debet, una quidem vera, id est, divinæ legis expositio ex ore Dei à Moyse recepta, & per Patrum traditionem conservata, de qua Christus ajebat Matth. 23. v. 2. sq. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Conferantur ea quæ habentur 2. Esdr. c. 8. Est enim *Kabala* קבלה à radice קבל *recepit*. Falsa autem, & impia *Kabala* est fictum traditionis genus, quod Judæi recentiores commenti sunt; *explicat enim* (ut Sixtus Senensis ait l. 2. Biblioth. Sanct.) *secreta quædam Dei nomina, ipsorumque virtutes occultas; quibus ad ligandos dæmones, & ad præstigia facienda Necromantici nonnulli apud Judæos utuntur.*

dum de Turcarum Imperio, quod certe superstitionibus est addictum.

665 II. Ut Montesquius ait (1) » Religio Confucii ne»gat animæ immortalitatem, & secta Zenonis (2) eam mi»nime credebat. Quis tamen diceret? Utraque hæc secta ex »perversis suis principiis non quidem justas, sed tamen admirabi»les consequutiones eruit pro societate. Religio autem *Tao*, »& *Foe* credit animæ immortalitatem; & nihilominus ex »tam sancto dogmate deducit horrendas consequutiones «.

666 III. Præterea (3) » In sacris veterum Persarum li»bris dicebatur: *Si sancti esse vultis, instruite filios vestros,* »*quia universæ eorum operationes bonæ vobis imputabuntur.* »Illi consilium viris dabant, ut quantocius uxorem duce»rent, quia filii in die judicii futuri erant veluti pons qui»dam; iique qui filiis erant destituti, transire non poterant. »Hæc dogmata falsa erant, & nihilominus maximæ erant uti»litatis «.

667 Insuper dogma metempsychosis apud Indos *quemdam hominibus inspirat horrorem effundendi sanguinem, ideoque apud Indos paucissima sunt homicidia ... Aliunde uxores, cum eorum viri decedunt, igni sese comburendas tradunt* (4). » Do-

---

(1) L. 24. c. 19. »La religion de *Confucius* nie l' immortalité »de l' ame, & la secte de *Zénon* ne la croyoit pas. Qui le di»roit? ces deux sectes ont tiré de leurs mauvais principes des con»séquences, non pas justes, mais admirables pour la société. La »religion des *Tao*, & des *Foë* croit l' immortalité de l' ame; mais »de ce dogme si saint ils ont tiré des conséquences affreuses «.

(2) Destructionem *sectæ Zenonis*, quæ, ut Montesquius putat, negabat animæ immortalitatem, ipse reponit inter calamitates generis humani, proque ea deflenda cupit posse ad instans cogitare, se non esse Christianum, ut dictum est not. 4. §. 659. Hæc possent ostendere, quid ille sentiret de animæ immortalitate. Nam qui deflet destructionem sectæ negantis animæ immortalitatem, optat, ut eadem secta perseveret, ut sint qui negent animæ immortalitatem.

(3) Ibid. c. 20. Les livres sacrés des anciens Perses disoient: »*Si vous voulez être saint, instruisez vos enfans, parce que toutes les* »*bonnes actions qu' ils feront, vous seront imputées.* Ils conseilloient »de se marier de bonne heure, parce que les enfans seroient com»me un pont au jour du Jugement, & que ceux qui n' auroient pas »d' enfans, ne pourroient pas passer. Ces dogmes étoient faux, mais »ils étoient très utiles «.

(4) Ibid. c. 21. »Il donne aux hommes une certaine horreur

»gmata igitur veriora, & sanctiora progignere possunt conse»quutiones pessimas, si non conjungantur cum principiis so»cietatis; econtra vero dogmata etiam falsissima admiran»dos producere effectus possunt, si ad eadem principia refe»rantur (1) «.

Prop. *Fieri nullo modo potest, ut superstitio, sive falsa religio conferat ad publicam utilitatem.*

668 Demonst. Oppositorum oppositi sunt effectus. Vera autem Religio, & superstitio, sive religio falsa opponuntur. Habent igitur oppositos effectus. At vera Religio confert ad publicam utilitatem: quod quidem si Montesquius negasset, reponendus fuisset in atheorum numero (2). Falsa igitur religio, & superstitio non potest ad publicam utilitatem conferre.

669 Ad primum respondemus, homines etiam in falsis religionibus multa retinere, quæ vera sunt, non quia traduntur à falsis religionibus, sed quia sunt consentanea rectæ rationi; v. g. quod Deus sit, quod anima sit immortalis, quod probis præmia, improbis pœnæ in alia vita supersint, &c. Si quæ ergo bona ex hisce principiis ab hominibus superstitioni, falsæque religioni addictis in rempublicam promanant, non ex superstitione, sed ex principiis rectæ rationis profluunt; quæ proinde in publicam influunt utilitatem. Hæc generatim dicimus: nam etsi fieri possit, ut falsæ religionis homines quædam faciant opera bona faciliora, præeunte lumine rationis, in bonum commune; multo tamen majora numero sunt mala, quæ perpetrant etiam in rempublicam, fracti pondere pravarum cupiditatum, præsertim si falsa religio ipsas foveat. Sic apud veterum Romanorum Rempublicam magnus fuit iniquorum civium, & Imperatorum numerus, qui Rempublicam ipsam cru-

---

»pour verser le sang, il y a aux Indes très peu de meurtres... »D'un autre côté les femmes s'y brulent à la mort de leurs »maris«.

(1) Ibid. c. 19. »Les dogmes les plus vrais & les plus saints »peuvent avoir de très mauvaises conséquences, lorsqu'on ne les »lie pas avec les principes de la société; & au contraire, les dogmes »les plus faux en peuvent avoir d'admirables, lorsqu'on fait qu'ils se »rapportent aux mêmes principes«.

(2) Vide quæ diximus §. 137.

delissime divexarunt ; nec minor fuit apud Turcas similium monstrorum numerus. Quod autem Romanum Imperium fuerit latissime propagatum, jam rationem supra reddimus (1). Propagatio vero Turcici Imperii vi armorum est adscribenda , quæ licet aliqua ratione à superstitione Mahumedana manarit, tantum abest , ut publicam promoverit utilitatem, quin despoticum conflaverit Imperium, cum magna urbium ante nobilissimarum pernicie , & exitio.

670 Ad secundum plane negamus, Confucii sectatores, etiam illos qui *litterati* dicuntur, & qui atheisticam doctrinam profitentur , inficiari animorum immortalitatem ; constat enim (2), eos bis in anno circa æquinoctium veris , & autumni sacrificia Confucio offerre, invitato Confucii spiritu, ut adsit, immolatisque fruatur : quod sane facere non possent , nisi crederent , Confucii spiritum permansisse post mortem. Etsi vero negent existentiam spirituum immaterialium ; putant tamen, defunctorum spiritus resolvi in cœli aerem tenuissimum , ipsosque spiritus concitari , & quodammodo attrahi ad oblationem. Quare mentitur Montesquius , cum ait , falsam Confucii religionem negare animi immortalitatem. Quænam autem sunt consequutiones illæ admirabiles pro societate , quas doctrina Confucii intulit ? Nullas Montesquius posuit , quasi essent seipsis notæ. Nolumus disputare de Sinensium moribus. Sat erit demonstrasse , illas non profluere ex denegata animi immortalitate. Si autem sectatores *Tao* , & *Foe* ex dogmate immortalitatis deduxerunt consequutiones malas , quas tamen Montesquius recensere debuisset ; quid inde ? an & effectus sunt dogmatis veri , & non potius abusus hominum ? Paralogizat ergo ille , cum non causam pro causa adsumit.

671 Pari modo negamus , sectam Zenonis fuisse inficiatam animi immortalitatem. Legantur ea , quæ in Metaphysica diximus (3) ; quibus addimus Laertii verba (4) , qui loquens de Stoicis , non solum ait : *Quosdam esse dæmones dicunt , quibus insit hominum miseratio , inspectores humanarum rerum* ; sed statim addit : *Heroas quoque solutas corporibus sapientum animas.* Nam , ut ipsemet Laertius dicit (5) , Stoici docebant , *uni-*

(1) Tom. 5. §. 1250.
(2) Vide Const. 68. Clementis XI. in causa Rituum Sinensium, quæ refertur Tom. 10. Bullar. Rom. p. 1.
(3) Tom. 5. §. 1042. (4) Lib. 7.
(5) Ibid.

versi animam esse incorruptibilem, cujus partes sunt animantium animæ. Si quis autem scire cupiat, quænam essent sectæ Zenonicæ documenta, adeat eumdem Laertium ita scribentem (1): *Ajunt, sapientem seipsum educturum ex vita, & patriæ, & amicorum causa, sive inter nimium acerbos doloris aculeos, sive membrorum mutilationes, aut incurabiles morbos illi occumbendum sit. Placet item illis, uxores quoque communes esse oportere apud sapientes, ut quilibet illi congrediatur, quæ sibi prior occurrit, ut ait Zeno in Repub. & Chrysippus item in lib. de Repub.* Hujus sectæ destructionem tantopere deploravit Montesquius, ut concupierit posse ad instans non profiteri Christianam Religionem. Nunc petere quis posset, utrum ille hæc dogmata sectæ Zenonis comperta habuerit, an vero ignoraverit. Si ignoravit, cur tam magnis laudibus eam sectam celebravit, antequam ejus dogmata perspecta haberet? Si scivit, nonne impiissimus fuit adversus ipsam rempublicam, laudibus efferendo sectam illam, quæ, præter alios errores, suicidium, & uxorum communitatem præcipiebat?

672 Ad tertium respondemus, nihil mali fuisse in Persarum dogmate attribuente parentibus bonas filiorum operationes; miramurque, quod Montesquius illud inter falsa dogmata potuerit recensere. Quot vero mala apud Persas orta fuerint ex lege præcipiente viris, ut quantocius uxores ducerent, ostendit Barnabas Brissonius (2) ex Herodoto (3), Strabone (4), Ammiano Marcellino (5), Justino (6), & Agathia (7): nam non solum quot vellent, uxores ducebant, sed uxoribus pellices, concubinasque adjungebant. Ex Philone autem (8), Tertulliano (9), & Minucio (10) addit, Persas, nulla reverentia servata, contra naturalem pudorem, publicamque honestatem matribus etiam, & sororibus fuisse commixtos. Quod idem testantur Laertius (11), Strabo (12), & Catullus (13). Reputabitne Montesquius, nefandum hunc morem, quem ipse Alexander M. execratus inhibuit (14), maxime conferre ad publicam utilitatem?

---

(1) Ibid. (2) De Regno Persarum l. 2. §. 154. sqq.
(3) L. 1. c. 135. (4) L. 15.
(5) L. 23. c. 6. (6) Lib. 41. c. 3. §. 1.
(7) Lib. 2. (8) In l. poster. de specialib. leg.
(9) In Apolog. c. 20. (10) In Octavio.
(11) In Proœmio. (12) Lib. 15.
(13) Carm. 86. al. 90.
(14) Plutarchus in l. de fortuna Alexandri M.

673 Ad quartum responsio patet ex dictis (1). Itaque negamus, metempsychosis dogma avertere Indos à quocumque homicidio: nam & Brachmanes, uti plerique increduli, soliti sunt voluntaria morte vitam finire (2); filii autem, & uxores parentes, & viros; simulque parentes, & viri filios, & uxores, senectute, aut morbo confectos necant: quod idem familiares cum familiaribus faciunt (3). Falsum est igitur, paucissima esse apud Indos homicidia; tot enim sunt, quot fere Brachmanes, sive eorum Philosophi; & quot parentes, viri, uxores, & familiares, senio, aut morbo confecti. Et licet inter Indos *Benjani*, qui mechanicas exercent artes, nefas ducant animatum quidpiam, ne culicem quidem, interficere, ex errore quo credunt, animas hominum in bestiarum corpora transire; quis tamen dixerit, hanc eorum superstitionem ad publicam conferre utilitatem? Quod vero uxores igni se tradant comburendas post viri mortem, non ex errore metempsychosis ortum habuit, sed aliunde, ut dictum est (4) ex Diodoro Siculo (5), cujus verba nunc describenda ducimus, ut magna innotescat Montesquii sive ignorantia, sive desidia, sive malitia: »Cum apud Indos vetus esset lex, ut qui ducerent uxores, »& quæ virgines nuberent, non ad parentum præscriptum, sed »mutuo consensu nuptias contraherent: superiori tempore fa»ctis sponsalibus per juniores, plerumque accidebat, ut judi»cia immutarentur, & statim utrisque pœnitentia ductis, mul»tæ mulieres corrumperentur, & per intemperantiam alios ada»marent. Tandem cum non possent honeste deficere ab iis, quos »primum elegerunt, in eodem contubernio habitantes veneno »necabant (*admirandus sane horror homicidii*!). Regio autem »non exiguas occasiones ipsis dabat, quæ multas, & varias »plantarum vires ad necandum comparatas ferebat, ex quibus »quædam in usu ciborum, & potus interitum adferrent. Hac »fraude vigente, & multis ad eum modum pereuntibus, post»quam puniendo sontes, alias avertere non poterant à male»ficiis, legem tulerunt, ut uxores simul cum maritis concre»marentur, exceptis prægnantibus, aut habentibus natos: & ut »ea, quæ decreto nollet parere, vidua esset, & ipsi perpe-

(1) Tom. 5. §. 1020. not. 10. & §. 1026.
(2) Vide Hildebrandum in Comp. Geograph. Cluverianæ dec. 19. n. 6.
(3) Vide ibid. (4) Tom. 5. loc. cit.
(5) Lib. 19.

„tuo interdiceretur sacrificiis, & aliis jure constitutis, tam„quam impie se gerenti. His ad eum modum jure stabilitis, acci„dit, ut uxorum improbitas in contrarium prolaberetur. Nam pro„pter nimiam infamiam, cum unaquæque libenter perferret mor„tem, non solum procurabant salutem secum habitantium, tam„quam quæ communis esset, sed inter se certabant, veluti de „summa gloria". Hæc Diodorus. Quæ quidem ostendunt, veram causam, quare Indorum uxores in morte suorum virorum se igni comburendas cum eis tradebant, non fuisse metempsychosis errorem, sed legem præfatam ab Indis latam ad præcavenda uxorum maleficia.

674 Ex quibus perspicuum est, Montesquium turpissime fuisse deceptum, vel decipere voluisse, dum ex jactis principiis neque certis, neque veris conclusit, *dogmata etiam falsissima admirandos posse effectus producere, si referantur ad principia societatis.* In quibus verbis apertus Macchiavellismus continetur: nam sequitur regulam in Religionis negotio non esse veritatem, & falsitatem dogmatum, sed principia societatis, hoc est, utilitatem tantum; ideoque non societatem Religioni, sed Religionem societati debere servire, cum societas, non Religio sit utilitatis tessera. Ad hanc impiam Montesquii sententiam Genuensis animum intendit suum, cum docuit, *nullam legem esse falsam, quæ toti prodest Reipublicæ*; & *in regulis indicem veri esse insitam naturæ regulam*, id est, *salutem publicam*, ut paulo supra dictum est (1).

QUÆSTIO IX.

De Religione revelata.

675 Magnam materiæ segetem hæc quæstio præstaret, si per tempus, & institutum, quod nobis præstituimus, liceret; refutanda enim essent Atheorum, & Deistarum, sive Naturalistarum adversus Divinam Revelationem deliria in tot pestiferis eorum libellis contenta, qui ad æternum opprobrium ætatis nostræ circumferuntur, cum incredibili animarum perni-

(1) Not. ult. §. 658.

cie (1). Quia tamen à doctis Viris (2) refutati jam sunt, pleneque demonstratum, eos undique refertissimos esse mendaciis, contradictionibus, paralogismis, nihilque ferme continere, quod ab antiquis Christianæ Religionis hostibus non sit acceptum, abundeque rejectum à veteribus nostris Apologistis; nisi quod recentiores increduli sophismata sua induerint nova quadam veste affectatæ eloquentiæ, aut obscœnæ, & mimicæ dicendi rationis ad delectandum incautos, fovendasque pravas animi adfectiones: satis proinde erit, pauca nunc dicere, ne hoc præcipuum Ethices Christianæ, & officiorum hominis erga Deum caput intactum prætereamus. Itaque 1. quæremus de necessitate Divinæ Revelationis, sive Religionis revelatæ. 2. de ejus veritate. 3. de tolerantismo. 4. de examine in Religionis negotio. 5. de Revelationis utilitate.

---

(1) Nonnullos recensuimus Tom. 5. hujus oper. §. 1207. sed alii addi possent multi, qui regiones infecerunt nostras, atque ii præsertim, in quibus simulatur Religio Christiana, ut errores facilius instillentur.

(2) Olim Christianam Religionem adversus Ethnicos, & Judæos defenderunt magna vi, & eruditione Athenagoras in *Legat. pro Christ.* S. Justin. Martyr *in Cohort. ad Græc.* in *Apol.* & *in Dial. cum Triph.* Tertullianus *in Apologetico*, aliisque libris; Clemens Alexandrinus in *Protrept.* & *in lib. Strom.* Origenes in *lib. contra Celsum*; Minuctius Felix in *Octavio*; Lactantius in suis *Institut.* S. Athanasius *Orat. cont. Gent.* & *Judæos*; S. Cyrillus Alexandrinus in *lib. cont. Julian.* Theodoretus *De cur. Græc. adfect.* S. Augustinus in *lib. de Civ. Dei*; S. Thomas in *Summ. cont. Gent.* aliique bene multi. Postremis hisce temporibus innumeri pæne scripserunt pro Religione revelata: ex heterodoxis Grotius *De ver. Relig. Christ.* Clarkius *Preuves de la Religion tant naturelle que révélée*, & *De l' exist. & des attrib. de Dieu*; Cudworthus in *Syst. intellect.* Leibnitius in *Theodicæa*; Abbadie *De la verité de la Religion Chrétienne*; Buddeus *De atheism. & superst.* Zimmermannus *De caus. incredul.* aliique; qui tamen caute, si per Ecclesiæ facultatem licet, legendi sunt, cum plures miscere soleant errores. Ex Catholicis vero Episcopus Podiensis *La Religion vengée de l' incredulité*; Bergierus in suis oper. adv. incredulos; Gauchat in Epistolis contra impios scriptores pluribus voluminibus comprehensis; Valsechius *De' Fondamenti*, &c. & *La Religione vincitrice*; Cerbonius *De Relig. revel.* innumerique alii, quos longum esset commemorare. Scriptores multi, qui pro Religione revelata certarunt, recensentur à Jo. Albert. Fabricio *De verit. Relig. Christ.* & à nostro Fabrycio *Discours sur la Révélation*, &c.

ARTICULUS I.

Utrum homini, præter Religionem naturalem, necessaria sit Doctrina, & Religio revelata.

676 Negant Athei, & Deistæ universi; illi quidem quia omnem prorsus Religionem abjiciunt; hi vero, quia unam tantum Religionem naturalem admittere videntur (1). Ac negant I. quia Deus rationem ducem nobis dedit. Nihil ergo aliud est necessarium ad veritatem adsequendam, quam rationem consulere; alioquin Deus non satis homini prospexisset. Necessaria igitur non est ulla doctrina, sive Religio revelata (2).

677 II. Id necessarium homini dici nequit, quod ejus ideis contradicit. Hujusmodi autem sunt ea, quæ Revelatio nobis credenda proponit; v. g. mysterium Trinitatis nostris ideis contradicit; hæc enim propositio, *unum non est tria, & tria non sunt unum*, est per se nota; cui tamen mysterium Trinitatis contradicit. Similiter est per se nota hæc propositio, *totum est majus sua parte, & pars est minor toto.* Huic autem contradicit transubstantiatio; cum enim Christus in ultima cœna panem fregit, discipulisque corpus suum dedit, manu, quæ erat pars sui corporis, totum suum corpus tenuit; & si de illo pane consecrato comedit, caput suum posuit in ore, quod erat pars ejusdem capitis. Quæ sunt apertæ contradictiones (3).

678 III. Nos credere non possumus, nec Deus potest revelare ea, quæ non possumus comprehendere. Talia autem sunt mysteria, quæ Revelatio proponit: nam & ipsa vox *mysterium*

---

(1) Diximus *videntur*: nam plerique illorum, nisi forte omnes, nullam prorsus Religionem admittunt, etsi videantur admittere Religionem naturalem, ne de atheismo accusentur. Bitaubé in *Extrait de l' examen de la Confess de foi du Vicaire Savoyard contenue dans Emile*, apposite ait: » Si dans d' autres siecles on a abusé de cette ac» cusation (*d' atheisme*), peut être dans celui-ci seroit il permis de » demander, s' il y a beaucoup de vrais déistes «. *Si in aliis sæculis abusi fuerunt accusatione atheismi; forte in hoc sæculo permissum erit quærere, an multi sint veri deistæ.*

(2) Rousseaus Emil. tom. 3. pag. 143. sqq.

(3) Idem lett. 58. & lett. 120.

denotat incomprehensibilitatem. Cur ergo dicemus, Revelationem esse necessariam (1)?

679 IV. Si Revelatio necessaria esset, potissimum requireretur ad expellendas ignorantiæ tenebras, quibus mentes hominum sunt involutæ. Atqui Revelatio non modo non expellit, sed magis auget ejusmodi tenebras: nam Fidei mysteria obscura sunt. Revelatio insuper magnæ molis volumine continetur, Scriptura scilicet utriusque Testamenti, quæ scripta fuit lingua paucissimis nota; ad eam vero intelligendam opus est multiplici disciplinarum apparatu; & ob ejus obscuritatem variæ ortæ sunt sectæ inter ipsos Christianos. Revelatio item non est omnium ingeniis attemperata, imo ne ipsis quidem Theologis, & Interpretibus, qui sæpe suam fateri ignorantiam debent. Revelatio igitur necessaria non est (2).

680 V. Ejus Religionis nulla potest esse necessitas, quæ est potissima superstitionis causa. Hujusmodi autem est Religio Christiana, seu revelata. Nulla est igitur ejus necessitas (3).

681 VI. Ea Religio necessaria dici non potest, quæ obest felicitati reipublicæ; quæ impedit progressus spiritus humani; & quæ sanæ opponitur Morali. Talis autem est Religio præsertim Christiana; hæc enim obest publicæ felicitati: nam mutat Reges in tyrannos, & populos in mancipia; insuper bellum scientiis indicit; nec quidquam valet ad reformandos mores: nam Christianorum, & ipsorum etiam Ecclesiæ Ministrorum vita nihilo melior est vita ethnicorum; imo inter illos infinitus pæne est numerus eorum, quos athei, & deistæ longe præcedunt probitate morum (4). Qua igitur ratione Revelatio dici potest necessaria?

---

(1) Idem Emil. tom. 2. pag. 322.

(2) Ita Collinsius in l. de libertate cogitandi.

(3) Sic universi increduli, ac præsertim Tyndalius, Collinsius, Auctor Syst. nat. Boulangierus, &c.

(4) Boulangierus *Le Christianisme dévoilé* in Præfat. & c. 14. De hoc impiissimo homine (de quo tamen audivimus, pœnitentiæ signa dedisse paulo ante mortem) scribens Bergierus in Apol. pro Christ. Relig. c. 1. §. 10. animadvertit, in eo libello auctorem nihil aliud efficere, quam transcribere quæ dicta jam fuerant ab aliis impiis, nimirum à Saint Evremont *Exam. de la Relig.* à Dumarsais *Analys. de la Relig.* & ab Auctore lib. *Le Soldat philosoph.* In libellis vero Boulangieri, & Frereti easdem reproduci objectiones, quæ con-

682 VII. Si Religio revelata necessaria est homini, quare Deus illam denegavit majori parti hominum? nam ante Christi adventum omnes ferme homines idololatriæ erant addicti; & post mortem Christi innumeri fuerunt, & sunt populi in infidelitate degentes. Putandumne erit, Deum, qui infinite bonus, & misericors est, voluisse, ut paucis Revelatio innotesceret, sine qua non poterant æternam consequi salutem (1)?

683 VIII. Religio naturalis Deum habet auctorem. Dei autem perfecta sunt opera. Non igitur necessaria est alia Religio revelata, ut homo recte instituatur (2).

Prop. I. *Præter Religionem naturalem, homini plane necessaria est Doctrina, & Religio revelata, ut pertingere possit ad Divina cognoscenda, quæ humanam rationem excedunt.* II. *Ea vero quæ de Deo naturaliter ab homine cognosci possunt, convenienter per Divinam revelationem credenda proponuntur.*

684 Rob. 1. p. ratione S. Thomæ (3). Ea quæ rationem naturalem excedunt, cognosci non possunt naturali lumine rationis; hoc enim non se extendit nisi ad ea tantum, ad quæ naturalis ratio pertingere potest. Atqui non omnia, quæ Dei sunt, naturalis rationis lumine cognosci possunt, sed innumera sunt intelligibilium Divinorum, quæ humanam rationem excedunt. Hæc enim finita est, Deus autem est infinitus. Et sane quam magnus esset Deus, si finitæ mentis nostræ limitibus contineretur? *Rerum sensibilium*, ait S. Thomas (4), *proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus.*

---

tinentur in *Dict. philos.* in *Philos. hist.* in *Tract. de tolerantia*, in *Catechism. hominis honesti*, in *Sermonibus Quinquaginta*, in *Quæstionibus Zapatæ*, in *Examine Bolingbrokii*, in *Prandio Comitis Boulainvilliers*, &c. nimirum solito more incredulorum, quorum unus describit alium, cum ne ingenium quidem habeant ad nova cudenda sophismata. Idipsum de Rousseau, cæterisque dicendum est.

(1) Ita cum aliis deistis Auctor l. *Les oracles de la Raison.*

(2) Tyndalius *Le Christianisme aussi ancien que le monde.* Et Rousseaus Emil. tom. 3. pag. 168. sqq.

(3) Lib. 1. cont. Gent. c. 3.

(4) Loc. cit.

Multo igitur amplius illius excellentissimæ substantiæ transcendentis omnia intelligibilia, humana ratio investigare non sufficit (1). Ut igitur homo ad Divina cognoscenda pertingat, quæ humanam rationem excedunt, oportet, ut à Deo instruatur per doctrinam revelatam. Necesse est autem, ut idem S. Thomas demonstrat (2), homini credenda proponi illa, quæ rationem excedunt; homo enim ordinatur ad Deum sicut ad finem, qui comprehensionem intellectus excedit; quod constat ex ipso ejus desiderio, quod nulla res creata potest explere. Finis autem debet esse præcognitus; nemo enim amat incognita. Si ergo homo ordinatur ad Deum tamquam in finem excedentem comprehensionem ejus intellectus; *oportuit*, ut idem S. Thomas concludit (3), *mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in præsenti possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum præsentis vitæ excedit.* Hoc autem fit per doctrinam revelatam, qua ab ipsomet Deo instruimur de iis, quæ naturalem rationem excedunt. Necessaria igitur est, præter Religionem naturalem, doctrina, & Religio revelata, ut homo possit pertingere ad cognoscenda ea, quæ humanam rationem excedunt (4).

685 Alteram prop. part. idem S. Thomas demonstrat (5), paucisque comprehendit quidquid à Christianæ Religionis Apologistis tam veteribus, quam recentibus longa oratione dictum est. »Ad ea, *inquit*, quæ de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit, hominem instrui »revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata, à paucis, & per longum tempus, & cum admixtione mul-

---

(1) Vide S. Irenæum l. 4. adv. hær. c. 10. Theophil. Antioch. l. 1. ad Autolycum, Clementem Alex. in Protrept. Cyrillum Hieros. Catech. 5. Nazianzenum Orat. 2. Ruffinum in exposit. Symboli, aliosque.

(2) Loc. cit. c. 5. (3) Ibid.

(4) Hæc probant non modo possibilitatem, sed etiam existentiam Revelationis; possibilitatem quidem, nam quis, nisi atheus, negare potest, Deum omnipotentem non posse voluntatem suam hominibus manifestare in iis, ad quæ naturalis ratio non pertingit? Merito dicitur Psalm. 93. v. 8. sqq. *Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? . . . qui docet hominem scientiam?* Existentiam vero, quia homo ordinatur in Deum tamquam in finem excedentem illius comprehensionem.

(5) 1. p. q. 1. a. 1.

„torum errorum homini proveniret. A cujus tamen veritatis „cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est. Ut „igitur salus hominibus & convenientius, & certius prove„niat, necessarium fuit, quod de divinis per divinam revelatio„nem instruantur “. Ethnici Philosophi plurimum certe ingenio valebant ; & nihilominus, quia fide erant destituti, in turpissimos lapsi fuerunt errores circa Religionem naturalem, & mores, etiam in iis, quæ naturali lumine cognosci possunt, ut supra dictum est (1). Apostolus ad Rom. 1. v. 21. sqq. hunc veterum sapientum miserrimum statum graviter, copioseque describit ; descripseratque Cicero (2), quamquam scepticus. Ipsimet deistæ ex idololatria ubique ferme inter veteres Gentiles vigente sophisma adversus Religionem revelatam conficiunt, ut diximus (3). Quare ergo magnificant humanam rationem, quasi seipsa possit in Religionis negotio omnes vitare errores (4) absque Revelationis subsidio, etiam in iis,

---

(1) §. 63. sqq.
(2) L. 2. & 4. Tuscul. (3) §. 682.
(4) Non hic describimus sive Epicureorum, sive Cyrenaicorum, sive Democriticorum, sive Eleaticorum, &c. turpissimos de Divinitate, & de moribus errores. Stoici, qui tamquam virtutum exemplaria à recentioribus deistis proponuntur: Stoici, inquam, in maxima prolapsi fuerunt absurda, putantes, *Deum ignem* esse, ipsumque *animal*, & *fixorum siderum substantiam*, esseque *Deos minores*, qui nascantur, & intereant, ut testantur Plutarchus lib. de contradict. Stoic. Stobæus in Ecl. phys. c. 3. & Laertius l. 7. Quid senserint de *Fato*, ex iisdem constat auctoribus. Quid docuerint de *Suicidio*, ex eodem Laertio scimus, qui etiam refert, Zenonem Stoicorum parentem *uxores communes in republica statuisse, neque sacra, neque judicia, neque gymnasia in urbibus construi permisisse, eademque veste viros, ac mulieres indui præcepisse.* Insuper peccata omnia *paria* existimasse, dixisse vero, *uxores communes esse oportere apud sapientes, ut quilibet illi congrediatur, quæ sibi prior occurrerit*, &c. Dignus deistarum magister. Utinam ipsum illi non imitentur! Quid vero dicemus de Socrate? Is, auctore Xenophonte l. 1. Memorabilium Socratis, *tum domi, tum etiam in aris communibus civitatis sacrificabat... Sicut enim Pythius de immolationibus jubet, quod recte agat is, qui consuetudine civitatis utatur ; sic etiam Socrates & ipse faciebat, cæterosque admonebat* ; videlicet ethnicorum superstitioni erat addictus, eamque vel simulabat, vel indifferentem putabat. Plato etiam, licet esset ei persuasum de Dei unitate, tamen in Timæo, & Epinomide nolebat, mutari ethnicam populi superstitionem;

quæ ad Religionem naturalem, naturalemque pertinent legem (1)?

686 Ad primum jampridem responderat S. Thomas (2), Rousseau sophisma dispellens. Nam hanc sibi objectionem proposuit: *stultum est credere quod non videtur, nec sunt credenda quæ non videntur*; quæ quidem objectio in idem redit cum sophismate Rousseau constituentis rationem ducem in veritatis adsequutione. Ei autem sic respondit: »Dicendum, quod hoc »dubium tollit imperfectio intellectus nostri: nam si homo pos»set perfecte per se cognoscere omnia visibilia, & invisibilia, »stultum esset credere quæ non videmus; sed cognitio nostra est »adeo debilis, quod nullus Philosophus potuit umquam inve»stigare naturam unius muscæ: unde legitur, quod unus Phi»losophus fuit triginta annis in solitudine, ut cognosceret na»turam apis (3). Si ergo intellectus noster est ita debilis, non»ne stultum est nolle credere de Deo, nisi illa tantum, quæ ho»mo potest cognoscere per se?... Si homo nollet credere, »nisi ea quæ cognosceret, certe non posset vivere in hoc mundo; »quomodo enim aliquis vivere posset, nisi crederet alicui? Quo»modo etiam crederet, quod talis esset pater suus? Et ideo »necesse est, quod homo credat alicui de iis quæ perfecte non »potest scire per se. Sed nulli est credendum sicut Deo; & »ideo illi qui non credunt dictis Fidei, non sunt sapientes, »sed stulti, & superbi «. Audiant Rousseau admiratores, caveantque, ne propter laudationes, quibus illum extollunt, à vere sapientibus stultis merito accenseantur. Stultus certe Rousseaus fuit, stultique sunt cæteri deistæ, qui tantum rationi humanæ tribuunt, ut ad quamcumque veritatem cognoscendam

---

ipseque etiam communitatem uxorum in sua Republica constituerat. Mittimus reliquos, ne simus nimii.

(1) Werenfelsius in Diss. de præstantia Relig. revel. ostendens, ea quæ ad ipsam Religionem naturalem pertinent, vix potuisse ab hominibus cognosci sine revelationis præsidio, ait: *Dicunt solo rationis ductu inveniri posse totam illam Religionem, quæ in sacris Litteris traditur, aut saltem quod in ea præcipuum est. Nihil dictu facilius est illis, qui jam cognoscunt Religionem istam. Tunc illud dicendum fuisset, si per totam vitam de Religione hac nihil à quoquam audivissent. Nunc vero similes videntur iis, qui postquam à præceptoribus didicerunt quidquid sciunt, videri tamen volunt* αὐτοδίδακτοι, *aut cum de præclaris inventis audiunt, putant, se hæc omnia, nisi jam inventa essent, fuisse inventuros.*

(2) Opusc. 6. cap. 1.

(3) Vide Plinium l. 11. cap. 9.

nulla indigeat fide Divina. Nam si in tot rebus etiam corporeis standum est fidei humanæ (1), nonne stultitia est, in Divinis rebus nolle stare Deo revelanti? Deus igitur rationem nobis dedit, ut veritatem adsequeremur in iis quæ rationem non excedunt, in quibus etiam Revelatio maximi adjumenti est, ut supra diximus (2). At vero in iis quæ rationem excedunt, ratio ipsa suadet, credendum esse Deo revelanti, ut dictum est (3).

687 Ad secundum negamus, ea quæ Revelatio credenda proponit, contradicere iis quæ ratio dictat. Si Rousseaus minus superbe de se sensisset, consuluissetque, non Bælium (4), à quo sophisma hoc suum est mutuatus, sed S. Thomam, cujus forte volumina ne quidem à longe viderat, comperisset, quam inanis integer sit ille Dialogus, quem instituit (5) inter *Inspiratum*, & *Ratiocinantem*, ad ostendendum, mysteria revelata debere respui, quia alioquin Deus sibimet contradiceret. Nulla est contradictio inter veritatem revelatam, & veritatem rationis. Ut enim S. Thomas demonstrat (6) » quam» vis veritas fidei Christianæ humanæ rationis capacitatem ex» cedit; hæc tamen quæ ratio naturaliter indita habet, huic » veritati contraria esse non possunt «. Idque jam supra (7) ex eodem Angelico evidentibus rationibus confirmavimus (8).

688 Exemplum quod profertur ex mysterio SS. Trinitatis, nihil ad rem facit: nam illud principium per se notum, *unum non sunt tria*, *& tria non sunt unum*, verum habet etiam in Divinis Personis; hæ siquidem non sunt *unum*, & *tria*, sed sunt *unum*, & *tres*; *unum* in natura, *tres* in proprietatibus personalibus. Nazianzenus (9): »Aliud, *inquit*, atque aliud sunt »ea, ex quibus Salvator (*id est duæ naturæ*), non tamen

(1) Philosophi hujus ætatis, quo nomine maxime gloriantur increduli, cum tamen eo sint prorsus indigni, Physicam experimentalem tantopere extollunt. Quotus autem quisque eorum est (si paucos excipias), qui per seipsum experimenta instituerit? Mira insania! Hominibus credere, qui ita ut dicunt, experti sunt; Deo dicenti nolle fidem præstare!

(2) c. 685. (3) §. 684.

(4) Vide Tom. 1. huj. op. §. 916. not. *Bælius.*

(5) Emil. Tom. 3. p. 151. sqq.

(6) Lib. 1. cont. Gent. cap. 7.

(7) Tom. 1. §. 916. sqq.

(8) Vide S. Thom. loc. cit. (9) Orat. 41.

»alius, atque alius (*quia una Persona Filii Dei*) .... Porro »*aliud* dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim »*alius*, atque *alius*, ne Personas confundamus: non autem *aliud*, »atque *aliud*, quoniam tres quoad divinitatem unum, & idem »sunt (1) «. Non sunt ergo in Divinis *tria* habentia tres divinitates, & simul *unum* in natura Divina; quod certe contradictionem involveret; essent enim, & non essent unum in eadem Divinitate; sed sunt *unum in Divinitate*, sive in natura Divina, & *tres in Personis*: in quo nulla contradictio est, cum non sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundum idem.

689 Alterum exemplum nihil aliud continet, quam obsoletum sophisma, quod jam sibi objecerat S. Thomas. Recitemus ejus verba in 2. arg. a. 1. q. 81. 3. p. *Nihil potest esse in seipso, nisi forte ratione partium, prout scilicet una pars ejus est in alia ... Sed illud quod manducatur, & bibitur, est in manducante, & bibente. Cum igitur totus Christus sit sub utraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quod ipse sumpserit hoc sacramentum* (2). Quæritne Rousseaus majorem vim in argumento quod ipse repetit? Respondet autem Angelicus: »Dicendum, quod sicut supra dictum est (q. 76. a. 5.), »Christus secundum quod est sub hoc sacramento, comparatur »ad locum, non secundum proprias dimensiones, sed secundum »dimensiones specierum sacramentalium; ita quod in quocum»que loco, ubi sunt illæ species, est ipse Christus; & quia »species illæ potuerunt esse in manibus, & in ore Christi, ipse »totus Christus potuit esse in suis manibus, & in suo ore: »non autem hoc potuisset esse secundum quod comparatur ad »locum per proprias dimensiones «. Nonne plenissime dissoluta remanet objectio Rousseau (3)? Nam si diversa fuit ratio,

(1) Vide S. Thom. 1. p. q. 31. a. 2.

(2) Rousseaus Emil. tom. 3. pag. 151. suum *Inspiratum* sic loquentem inducit: » La raison vous apprend que le tout est plus grand » que sa partie; mais moi, je vous apprends, de la part de Dieu, que » c' est la partie qui est plus grande que le tout «. *Ratio te docet, totum esse majus sua parte; ego autem, Dei nomine, tibi denuncio, partem esse majorem toto.* Quis umquam Catholicorum, nisi arguendo, hoc dixit?

(3) In Epist. ad Archiepiscopum Parisiensem, tom. 6. opp. pag. 160. victoriam canens, ita arroganter scribit: » Selon votre doctrine » de la transsubstantiation, lorsque Jesus fit la derniere Cêne avec ses » disciples & qu' ayant rompu le pain il donna son corps entier dans sa

qua corpus Christi erat sub propriis dimensionibus, & sub speciebus; quænam contradictio esse potest, quæ debet esse ejusdem de eodem secundum idem? Si ratio fuit diversa; igitur non secundum idem totus Christus fuit in seipso, & in suis manibus, & in suo ore. Cur ergo Rousseaus insolenter superbeque, perinde ac si insolubile argumentum objecisset, exprobravit, nihil plane posse ad illud responderi; cum tamen tot ante sæcula responsum fuerit? Hanc responsionem vel ille ignoravit, vel sciens dissimulavit. Si dissimulavit, mala egit fide, more cæteroquin suo; si ignoravit, cur neglexit inquirere? In tanta autem sive ignorantia, sive malitia audet ille Archiepiscopum Parisiensem impetere, quasi ad ejus sophismata super ardentes prunas incederet (1). Quem non moveant hæc stomachosa, & impia ridicula?

690 Ad tertium negamus, nihil nos posse credere, nec

» main, &, s' il mangea lui même du pain consacré, comme il put » le faire, il mit sa tête dans sa bouche. Voilà donc bien claire- » ment, bien précisément la partie plus grande que le tout, & le » contenant moindre que le contenu. Que dites-vous à cela, Mon- » seigneur «? *Secundum vestram transsubstantiationis doctrinam* (Nescivit Rousseaus, vel nescire finxit, Lutheranos negare transsubstantiationem, & tamen non negare præsentiam realem corporis Christi sub qualibet parte panis, & vini. Non ergo ex doctrina transsubstantiationis sequitur quod ipse infert.) » Cum Jesus in ultima Cœna » cum discipulis suis fregit panem, & singulis eorum suum dedit » corpus, perspicuum est, ipsum gestasse in manu suum integrum cor- » pus, & si de eodem consecrato pane comedit, ut facere quidem po- » tuit, caput suum in ore suo posuit. En satis clare, ac præcise pars » major toto, & continens minus contento. Quid ad hæc Domine mi «? Quid ad hæc? Lege mi Rousseau responsionem S. Thomæ jam descriptam. Et si ad anteriora velis te conferre, lege S. Hieronymum in Epist. ad Hedibiam q. 2. Lege S. Augustinum Enarr. in Psalm. 33. serm. 1. n. 10. & serm. 2. num. 2.

(1) Tom. cit. pag. 159. sq. » On voit que vous passez sur cet arti- » cle des mystéres comme sur des charbons ardens; vous osez à » peine y poser le pied. Vous me forcez pourtant à vous arrêter un » moment dans cette situation douloureuse. J' aurai la discrétion de » rendre ce moment le plus court, qu' il se pourra «. *Video, te in hoc mysteriorum articulo super ardentes prunas incedere, ac vix audere pedem figere. Interea me cogis, ut ad instans te sistam in hac positione doloris plena. Providebo autem, ut hoc instans sit brevius quoad fieri potest.* Homo plane impius, & agrestis, siccine excipis Virum, cujus saltem nobilitatem revereri debueras?

Deum revelare, quod comprehendi à nobis non potest. Nam si tam multa credere debemus, quæ ab hominibus dicuntur, ut dictum est (1), quæ tamen à nobis non comprehenduntur, cum de iis non habeamus scientiam: quare non erit credendum mysteriis à Deo revelatis, etsi comprehensionem nostram excedant? Etiam hoc Rousseaus sophisma, si sophisma dici potest, prævidit, & solvit S. Thomas ostendens (2), *quod ea quæ ratione investigari non possunt, convenienter fide tenenda proponuntur... tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit.*

691 Ad quartum neg. min. Etsi enim Revelatio non expellat obscuritatem Fidei, quæ est de non apparentibus, excludit tamen tenebras ignorantiæ. *Fides* enim, ut apposite S. Thomas (3), *docet omnia necessaria ad bene vivendum . . . Et hoc etiam patet, quia nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo, & de necessariis ad vitam æternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem.*

692 Quod autem additur de Scriptura utriusque Testamenti magno volumine comprehensa, & exarata lingua paucissimis nota, eos ferire potest, qui cum Quesnello (4) *necessarium* esse dicunt, *omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria sacræ Scripturæ.* Quam quidem necessitatem imposuere etiam Calvinus (5), Brentius (6), & Kemnitius (7). Nos autem, qui cum Ecclesia Catholica hanc necessitatem omnibus indiscriminatim hominibus impositam negamus (8), spiritum intelligen-

(1) §. 684. (2) Lib. 1. cont. Gent. cap. 5.
(3) Opusc. 6. cap. 1.
(4) Prop. 79. inter proscriptas.
(5) Lib. 3. Inst. c. 20. §. 33.
(6) In Confess. Wirtemberg.
(7) In Exam. sess. 4. Conc. Trid.
(8) Quia apud nonnullos, qui pro Religione revelata zelum habent, sed non secundum scientiam, sententia circumfertur Quesnelliana, auctoresque sunt, ut singuli Christiani Scripturas sacras legant; opportunum ducimus, hac in re aliquantulum immorari. Itaque negamus, hanc Scripturas legendi necessitatem singulos afficere; multoque magis negamus, necessitatem singulis esse impositam cognoscendi earum spiritum, pietatem, & mysteria; imo dicimus, non expedi-

tiæ Scripturarum in eadem Catholica Ecclesia à Deo, apud quem

---

re, ut quisque de vulgo Scripturas legat. *Homo*, inquit S. Augustinus l. 1. de Doctr. Christ. c. 39. *fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.* Et S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. n. 12. » Cum » non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, » alios vero occupatio quædam à cognitione impediat; ne anima per » ignorationem intereat, paucis versiculis (*Symbolo contentis*) univer» sum Fidei dogma comprehendimus «. Cui consonat S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 9. scribens: » Veritas fidei in sacra Scriptura diffuse conti» netur, & variis modis, & in quibusdam obscure, ita quod ad eli» ciendum fidei veritatem ex sacra Scriptura requiritur longum stu» dium, & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, » quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem; quorum plerique » aliis negotiis occupati, studio vacare non possunt; & ideo fuit ne» cessarium, ut ex sententiis sacræ Scripturæ aliquid manifestum » summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum «. Qua quidem doctrina configitur & Collinsii adversus Divinam Revelationem sophisma, & eorum sententia, qui necessitatem legendi Scripturas singulis imponunt. Vide eumdem S. Thomam Opusc. 3. in Præfat.

Ex ea necessitate consequeretur quoque necessitas translationis earumdem Scripturarum in linguam unicuique vulgarem. Hinc vero manare incommoda gravissima possent. Ac primum quidem, quia opus magnæ difficultatis est, Scripturas sacras de una in aliam linguam accurate vertere: quidquid autem in hac maximi momenti re peccatur, ingens creat periculum. S. Hieronymus Præfat. in Josue necessitatem vindicat novæ à se adornatæ Versionis sacrarum Scripturarum, quod *apud Latinos tot essent exemplaria, quot codices, & unusquisque pro suo arbitrio vel addiderit, vel subtraxerit.* Quod & S. Augustinus deplorat Epist. 71. al. 10. n. 6. ubi ait, versionem septuaginta Interpretum *in diversis codicibus ita variam esse, ut tolerari vix possit.* Hæc Scripturarum profanatio potissimum constat in tam multis versionibus ab hæreticis adornatis ad suos confirmandos errores.

Deinde ex permissa cuilibet lectione Scripturarum in vulgari lingua absque duce, qui eas legitime interpretetur, illud etiam sequitur incommodum, quod S. Basilius Epist. 42. al. 1. n. 3. describit inquiens: » Sæpe ex Veteri Testamento oritur detrimentum, non quod » scriptæ sint res noxiæ, sed quod eorum qui læduntur, mens infir» ma. Omnis enim panis ad alendum idoneus, sed noxius infirmis «. Et Nazianzenus Orat. 1. n. 82. memorata Hebræorum lege, quam vocat *in primis rectam, & laude dignam*, ut ne *cuivis ætati quivis*

non est distinctio Judæi, & Græci, ut dicitur ad Rom. 10 v. 12.

Scripturæ liber concederetur, ait, » ne hoc quidem utilius esse, quan» doquidem nec tota statim à quolibet percipi possit, ac quod in ea » reconditius est, ob externam speciem imperitioribus plurimum de» trimenti afferre possit «. Quæ verba commentans Elias Cretensis in præfatam Orat. » Quod, *inquit*, etiam magnus Apostolus subindi» cans ajebat: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Propterea » quod scilicet plerisque locis historia, si quidem in nudis rebus hæ» reamus, probæ vitæ nobis exempla minime præstat. Quid enim, quæ» so, ad virtutem utilitatis auditori attulerit Propheta Oseas ex scorto » liberos gignens, si non ultra litteræ corticem progrediatur? . . . Cu» jus generis in Cantico Canticorum multa sunt, ne dicam omnia: » v. g. *Osculetur me osculo oris sui*: & *meliora sunt ubera tua vino*: » & *odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Hæc enim omnia, » si juxta nudum litteræ sensum intelligantur, rudiores homines ma» ximo detrimento afficere queunt: ut quæ alia quidem loquantur, » alia autem in imo significent. Quæ etiam proinde perfectam æta» tem, & mentem purgatam, & non mediocrem artem, ac scien» tiam requirunt «. Videri etiam possunt Origenes Proœm. in Can» tica, S. Athanasius Orat. 2. cont. Arianos, S. Hilarius l. 2. ad Constantium n. 9. S. Hieronymus in Epist. ad Paulinum, & in Proœm. in Ezechiel. & ad calcem Dialogi cont. Luciferianos; & S. Augustinus Epist. 120. al. 222. n. 13. qui Scripturas *non in legendo, sed in intelligendo consistere* docent, & mala recensent, quæ proficiscuntur ex eo, quod *omnes Scripturas sine Scripturæ sensu loquuntur.*

Ad hæc S. Ambrosius l. 4. in Lucam n. 26. » Disce, *ait*, quia » satanas transfigurat se velut Angelum lucis, & de Scripturis ipsis » Divinis sæpe laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, sic evis» cerat fidem, sic jura pietatis impugnat «. Eadem scribit S. Augustinus Epist. cit. & Tract. 18. in Joann. Hos laqueos paravit Circumcellionibus Donatistarum, qui exemplo Sampsonis, & Raziæ se occidendos ultro tradebant. Vide S. Augustinum l. 1. cont. Gaudentium c. 29. Paravit Priscillianistis, qui putantes, Jacobum Isaaco patri fuisse mentitum, mendacium esse licitum affirmabant. Vide eumdem August. l. cont. mendac. c. 2. Paravit Manichæis, qui Vetus Testamentum respuebant, quod in eo plura narrentur, & laudentur, quæ ipsis litteram sequentibus plena scandali videbantur, ut refert idem Augustinus l. de hæres. hær. 46. Paravit quibusdam Monachis Ægyptiis, qui litteram sequentes, in Anthropomorphitarum errorem ex imperitia lapsi fuerunt, ut ex Socrate l. 6. c. 7. ex Sozomeno l. 8. c. 11. & ex Cassiano Collat. 10. c. 5. scimus.

Utinam non fuisset aucta pernicies! Olim S. Hieronymus in Epist. ad Paulinum ajebat: » Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes

repositum confitemur; & Christianorum vulgo satis esse dici-

» passim vindicant... Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc » sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, an- » tequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, » inter mulierculas de sacris Litteris philosophantur. Alii discunt (proh » pudor) à fœminis, quod viros doceant: & ne parum hoc sit, qua- » dam facilitate verborum, imo audacia, edisserunt aliis quod ipsi » non intelligunt «. Postremis hisce temporibus magis cumulata calamitas est. Illam gravissimis verbis describit Card. Hosius in Dial. *De Sacro vernacule legendo.* » Paulus, *ait*, loqui non permittit mulie- » ribus in Ecclesia. Nunc translationibus istis in linguam vernaculam » factum esse cernimus, ut quas lanam texere sub id tempus magis ex- » pediebat, eæ sibi docendi quoque potestatem jam arrogaverint... » Nunc hæc Scripturarum profanatio verius, quam translatio, non so- » lum zonarios, bajulos, pistores, sartores, sutores; verum etiam » zonarias, bajulas, pistrices, sartrices, sutrices fecit nobis apostolas, » prophetissas, doctrices... Hunc fructum & apud finitimos, & apud » nos quibusdam in locis videmus nunc, & ingemiscimus ex hac di- » vinarum Scripturarum in vernaculam linguam versione «. Merito igitur sanxerunt Tridentina Synodus, & Pontifices Maximi, ne quis Biblia vulgaria absque obtenta facultate legere, aut retinere possit; hoc tantum addito » quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lin- » gua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum adnotatio- » nibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis, Catho- » licisque Viris, conceduntur « ut ex Decreto 13. Junii 1757. Ita enim abest subversionis periculum.

Ex hisce autem refellitur calumnia Boulangieri scribentis loc. cit. c. 14. » Sacerdotes velle, ut homines ignorent Libros sanctos conti- » nentes regulas, quas debent sectari. Eorum agendi ratio est abs du- » bio astutissima; quia Bibliorum lectio est maxime omnium propria » ad avertendum Christianum à veneratione erga Biblia «. Maledicentissimus sycophanta, idemne est prohibere vulgo populi, qui non intelligit arcana Scripturarum, earum lectionem, ac universim eam interdicere? Nesciebat ille quidem videre in Scripturis nisi litteram, quæ occidit; ideoque earum lectionem universis putabat noxiam, in hoc utique summam ignorantiam prodens suam; erat enim animalis homo, qui *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*: *stultitia est enim illi, & non potest intelligere*, ut ait Apostolus 1. ad Cor. 2. v. 14.

Refellitur etiam calumnia Frereti, qui loc. cit. c. 11. ex decreto Ecclesiæ prohibentis lectionem sacræ Scripturæ in lingua vernacula, inique infert, Scripturam esse imperfectam, & perniciosam majori parti fidelium. Id enim non ex Scriptura ipsa, quæ divinitus

mus ad salutem consequendam, ut sint instructi in præcipuis Fidei capitibus Symbolo comprehensis, atque in præceptis, quæ servare debent; cætera vero credant implicite. Pertinet autem ad Pastores, & Doctores, qui alios debent erudire, in sacris Scripturarum libris esse versatos; sed hi quoque illas debent interpretari in eo sensu, quem tenuit, ac tenet Ecclesia Catholica, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum. Quisquis ita est comparatus, non est cur metuere possit, ne erret in intelligentia Scripturarum, etsi magnum sit earum volumen, nec ipse calleat linguas earum originales. Quod vero Scripturæ in multis obscuræ sint, non negamus; at nonne multa etiam clarissima iis continentur? Quænam est igitur hæc consequutio, inquit Bentleyus adv. Collins. *In Scriptura sunt quædam obscura. Sunt quædam quæ nemo potest simplex mortalis explicare. Ergo nihil in ea clarum est: aut id quod est in ea clarum, est inutile?* Sacræ Scripturæ obscuritas maximas habet utilitates, ut S. Augustinus animadvertit (1), scilicet *ad exercendas, & elimandas quodammodo mentes legentium, & ad rumpenda fastidia, atque acuenda studia discere volentium; zelandos quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut à mysteriis secludantur, animos impiorum* (2). Hæreses autem non Scripturæ obscuritati, sed hominum superbiæ, ac pertinaciæ debent adscribi, qui contemnentes Ecclesiæ magisterium, judices privato spiritu sedere volunt in Divinis rebus. Quæ vero inter Theologos, & Interpretes Catholicos reperitur discrepantia opinionum, non attingit dogmata, sed sensus varios Scripturarum. Nam, ut S. Augustinus ait (3), *quid in divinis eloquiis largius, & uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?* Ex hisce autem sensibus, ut adnotat S. Thomas (4), nihil deperit veritati sacræ Scripturæ, *quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptum per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.*

693 Ad quintum dicimus, tantum abesse, ut vera Religio

---

est inspirata, sed ex hominum inscitia, & malitia oritur, ut dictum est.

(1) Lib. 4. de Doctr. Christ. c. 8.
(2) Vide S. Thomam 1. p. q. 1. a. 9. ad 2.
(3) L. 3. de Doctr. Christ. cap. 27.
(4) 1. p. q. 1. art. 10.

sit superstitionis causa; quin ipsa superstitionem damnet. Increduli autem superstitionis loco habent quidquid Religionem sapit, ita ut ad superstitionem vitandam oporteat per ipsos omnem Religionem exuere.

694 Ad sextum respondemus, miram esse Boulangieri impudentiam, cum audet affirmare, Religionem obesse Reipublicæ felicitati (1). Jam supra adversus Bælium ostendi-

(1) In orbe universo ne una quidem Respublica est, in qua nulla vigeat Religio sive vera, sive falsa, ut ostendimus Tom. 5. §. 1195. & 1205. idque nec ipsi increduli negant. Quid autem de Rebuspublicis, in quibus Religio viget, sentiat Boulangierus, ex ejus constat verbis in Præfat. oper. *Le Christianisme dévoilé* : » La religion, » *ait*, fit éclorre les despotes & les tyrans ; ceux-ci firent de mauvaises » loix ; leur exemple corrompit les grands ; les grands corrompirent » les peuples ; les peuples viciés devinrent des esclaves malheureux, » occupés à se nuire, pour plaire à la grandeur, & pour se tirer de » la misere. Les Rois furent appellés les *images de Dieu* ; ils furent » absolus comme lui ; ils créerent le juste & l' injuste ; leurs volontés » sanctifierent l' oppression, la violence, la rapine. . . Ne voyons nous » pas des princes, remplis de foi, entreprendre à chaque instant » les guerres les plus injustes ; prodiguer inutilement le sang & les » biens de leurs sujets ; arracher le pain des mains du pauvre pour » augmenter les trésors du riche insatiable ; permettre & même or- » donner le vol, les concussions, les injustices ? &c. « *Religio oriri fecit despotas, & tyrannos : hi perversas tulere leges ; eorum exemplum magnates corrupit ; magnates corrupere populos ; populi corrupti facti sunt infelicia mancipia, occupata ad sibi nocendum, ut celsitudini placeant, utque in sese miseriam advocent. Reges appellati fuerunt* imagines Dei ; *illi absoluti domini fuere ut ipse Deus ; illi justum, & injustum crearunt ; eorum voluntates sanctificarunt sæpe oppressionem, vim, rapinam. . . Nonne videmus Principes fidei plenos aggredi quotidie bella injustissima ; inutiliter prodigere sanguinem, & bona suorum subditorum ; eripere panem de manibus pauperis, ut thesauros augeant divitis insatiabilis ; permittere & etiam præcipere furtum, concussiones, injustitias, &c.* ? Quot verba, tot calumniæ in Principes præsertim Catholicos. Hæc tamen omnia mala Boulangierus Religioni tribuit, easdemque declamationes millies repetit, & cum ipso repetunt increduli universi. Quænam sit consequutio, quisque videt. Ubique gentium aliqua viget Religio ; igitur ubique gentium Principes sunt despotæ, ac tyranni, ne uno quidem excepto. Quid ad hæc populus ? Concludet, oportere in Principes insurgere, & regnis destructis *anarchiam* inducere. Is est conatus Boulangieri, cæterorumque incredulorum : & quia vident Re-

mus (1), atheos esse Reipublicæ hostes : qui autem atheus non est, religionem profiteri debet ; fieri enim non po*test*, ut qui Deum admittunt, nullum ei cultum esse præstandum dicant. Id multo magis de vera Religione, sive de Catholica dicendum est. Hæc mutuum amorem præcipit, illicitas voluptates damnat, à terrenis avocat, ad cœlestia erigit, pœnas æternas peccantibus minatur, æterna præmia justis promittit. Tam salutaria documenta infesta erunt publicæ felicitati ? Ne ipse quidem Bælius ausus est affirmare (2). Sed hac de re fusius infra.

695 Nunc vero patet Boulangieri calumnia, cum ait, Religionem præsertim Christianam mutare Reges in tyrannos, &

---

ligionem obstare, mala si quæ accidunt in Rebuspublicis ex hominum sive fragilitate, sive malitia, Religioni adscribunt, ut sublata Religione, Règna, & Principes corruant : nam vident, populos Religione in officio contineri. Hæc causa est, cur in Sacerdotium æque ac in Principes insurgant, ac debacchentur ; vident enim Sacerdotalis muneris esse Religionem tueri, & in ea populos confirmare. Itaque sic statuunt : Principes, & Regna stabunt, quousque stabit Religio. Religio stabit, quousque stabit Sacerdotium. Oportet ergo in Sacerdotium insurgere ; ita enim nutabit Religio : Religione autem nutante, nutabunt Principes, & Regna ; sic vero *anarchia* constituetur.

(1) §. 137.

(2) Imo sibimet contradicens, ut perpetuo facit, in art. *Brutus*, Rem. F. & in art. *Sadducéens*, Rem. E. ostendit, absque persuasione præmiorum, & pœnarum alterius vitæ, nullam esse posse virtutem. Similis est contradictio cæterorum incredulorum, qui quo tempore dicunt, Religionem obesse Reipublicæ, ajunt, eam esse Politicorum inventionem, ut populos in officio continerent. Mirum est autem, illos semper in ore habere Reipublicæ utilitatem, cum tamen ipsi nihil effecerint, quod non vergeret in Reipublicæ ruinam. Quid enim Spinoza, quid Hobbesius, quid Collinsius, quid Rousseaus, quid Voltairius, quid Boulangierus, quid Bælius, quid Helvetius, quid consimiles humani generis pestes contulerunt umquam ad publicam felicitatem ? Si pauca eorum opuscula contradictionum, blasphemiarum, & libidinum plena excipias, quibus incautos, indoctos, corruptique cordis juvenes volentes potius decipi, deceperunt ; quodnam est facinus illustre, ab illis non dicam gestum, sed ne susi ceptum quidem ad Reipublicæ bonum ? Ignavi trementesque ne ausunt quidem libellos suos vulgare appositis propriis nominibus, sed vel nomine suppresso, vel mentito nomine aliorum. Hi sunt incredulitatis heroes, qui ubique crepant publicam felicitatem, & egregia facinora.

subjectos populos in mancipia. Reges Christiani sunt patres populorum; hique ex Religionis præscripto illos diligere, & venerari debent, ut filii parentes. Si autem quis umquam Rex Christianus ab officio descisceret, hæc defectio tribui non nisi impiissime posset Religioni Christianæ, quæ universis Regibus in memoriam revocat verba Sap. 6. v. 7. sqq. *Potentes potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis* (1).

696 Æque falsa, & iniqua est altera Boulangieri calumnia, quod Religio Christiana bellum scientiis indicat. Legatur Oratio 3. S. Gregorii Nazianzeni, quæ est prior *Invectiva* in Julianum, qui antesignanus fuit incredulis ætatis nostræ: atque perspicietur, quam vehementer in illum Apostatam Nazianzenus insurrexerit ob humanarum litterarum studia Christianis interdicta. Hæc, ipso Nazianzeno teste, Julianus Christianis invidebat, ut *confutationes effugeret*. Quæ ratio quoque est, quamobrem increduli recentiores Christianis studia invideant; opta-

(1) Videte, quam aperte impiissimus hic homo secum ipse pugnet. In eadem Præfat. ubi Reges *despotismi* accusat ob Religionem, quæ illos venerandos proponit tamquam *imagines Dei*, sic scribit: » Un » Souverain, à qui la société a confié l' autorité suprême, tient dans » ses mains les grands mobiles, qui agissent sur les hommes; il a » plus de pouvoir que les dieux, pour établir les mœurs «. *Princeps, in quem societas supremam transtulit auctoritatem, in sua habet potestate stimulos, qui efficaciter homines movent; plus potestatis, quam dii, habet ad mores stabiliendos.* Et post pauca de eodem supremo Principe ait: » C' est à lui qu' il appartient de réformer » les mœurs; elles seront bonnes, lorsque le prince sera bon & ver- » tueux «. *Ad ipsum pertinet reformatio morum; hi erunt boni, si Princeps bonus erit, ac virtute præditus.* Uno igitur eodemque tempore, ut recte Bergierus, supremos Principes *despotismi* accusat: & solos arbitros facit sortis hominum. Uno tempore eos accusat, quod *crearint justum, & injustum*: & aliam non agnoscit regulam, quam legem emanatam ab ipsis ad reformandos mores. Quid vero si Princeps vitiosus esset, ut sane esse deberet, si nullius foret religionis? Nonne tunc universa penderent ab ejus arbitrio? nonne universa vitia sanctificaret? Tam magna est horumce minutorum philosophorum in arguendo sagacitas.

rent enim, ut ne ullus foret, qui putida eorum sophismata refelleret, crassissimamque patefaceret ignorantiam, ut ita possent securius venenum diffundere. Verum inanissimum eorum est desiderium. In Ecclesia Christi tantus fuit semper in omni scientiarum genere doctissimorum hominum numerus, ut summa Boulangieri impudentia opus fuerit ad objiciendum Christianis naturalium disciplinarum contemptum (1).

---

(1) Expendamus breviter, quid Boulangierus objiciat loc. cit. Ait 1. Apostolum dixisse, *scientiam inflare.* Quænam (malum) est ista ratio? Annon opes, dominatio, pulchritudo, potestas inflare possunt, & multi propter ipsas inflantur? Quid ergo? eruntne illæ malæ seipsis, quia illis homines abutuntur? Vide Canum l. 9. de Locis, c. 11. Ait 2. necesse non esse, ut studio se tradant homines, qui Fidei subjicere propriam rationem debent. Quam inepte! quasi qui obsequitur Fidei, nescire debeat, quomodo Fidem defendat, aut teneatur ignorare scientias naturales, quæ ad Fidem non pertinent. S. Petrus in Epist. 1. c. 3. v. 15. Fideles alloquens dicit: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Ait 3. ex Christianorum confessione fundatores Religionis Christianæ fuisse rudes, & imperitos; ideoque tales debere esse eorum discipulos. Imperitissime. Christus Dominus, etiam ut homo, fuit omni scientia repletus. Apostoli fuerunt induti scientia, & virtute ex alto. Apostolorum discipulos describit Apostolus ad Rom. 15. v. 14. cum dicit: *Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.* Ait 4. ignorantiam esse maxime utilem Religioni, ejusque Ministris; & sæcula destituta scientiis, & industria fuisse *sæcula aurea* pro Ecclesia Christi, tunc vero accidisse, ut Reges Christo magis essent subjecti, atque ut Ministri ad se traherent omnes societatis divitias. Hæc posteriora verba ostendunt, quænam fuerit potissima ratio Boulangierum, cæterosque impios impellens ad scribendum contra Religionem, sitis nempe qua æstuant devorandi bona temporalia Ecclesiæ, ut habeant, quo latius explere pravas suas cupiditates possint. At sibiipsis laqueum parant: nam *aurea Ecclesiæ sæcula* fuere priora sæcula, nemine discrepante, qui sciat, summam fuisse integritatem morum in majori parte Fidelium ejus ætatis, in qua Reges crudelissime divexabant Ecclesiam, & Ministri ejus, sicut & alii Christiani, bonis quæ possidebant, spoliabantur. Nihilominus illis iisdem sæculis copiosæ erant Ecclesiæ opes ex Fidelium largitate: nam S. Cornelius Pont. ann. Christ. 251. Romæ præter Ecclesiæ Ministros, alebat quotidie pauperes plus mille quingentos, ut ex ejus Epist. apud Coustant Epist.

697 Quod vero Christiana Religio nullam habeat vim ad reformandos mores, tam patens mendacium est, quam evidentissime constans, innumeros Christianos esse, qui ex virtutis præscripto integerrimam vitam ducunt, nec raros inter ipsos reperiri, qui heroicis virtutibus micant. Si vero plurimi Christiani, & nonnulli etiam Ecclesiæ Ministri vitiorum se coinquinant labe, id eorum voluntati pravæ debet adscribi, non Christianæ Religioni, quæ vitia condemnat, virtutesque inspirat. Quot sunt qui peccant contra leges civiles! Hæne propterea erunt abolendæ, vel eis erunt adscribenda peccata? Quot sunt qui scientiis abutuntur! Ipsimet increduli testimonium perhibent, dum scientiis utuntur adversus Religionem. Eruntne scientiæ eliminandæ? Inutiliter ergo tam Boulangierus, quam Freretus, cæterique increduli paginas implent, congerentes maledicta adversus Catholicam Religionem ex malis gestis Catholicorum. Addimus, & ipsos Christianos male moratos scelestiores futuros, si nullo Religionis metu continerentur; demonstravimus enim (1), atheos vi systematis debere esse omnium hominum nequissimos; tantum abest, ut probitate morum Christianos etiam scelestos præcedant.

698 Ad septimum respondemus, Deum à mundi initio doctrinam Fidei hominibus tradidisse (2), quæ continuata serie ad nos usque pervenit (3); neque enim Religio mutata fuit mutatione sacrificiorum, & sacramentorum (4). Quod vero tam

---

Rom. Pont. tom. 1. pag. 151. S. Soter non solum servavit, sed adauxit morem Romanorum Pontificum *ab ipso Religionis exordio*, transmittendi *necessaria vitæ subsidia Ecclesiis quamplurimis*, ut ex S. Dionysii Alex. Epistola ad Romanos scripta ann. 170. refert Eusebius l. 4. Hist. c. 23. qui idem refert l. 7. c. 5. ex Epist. ejusdem Dionysii ad S. Stephanum Papam. Nonne opes ingentes requirebantur ad tam magnum pauperum numerum quotidie alendum, atque ad transmittenda Ecclesiis plurimis necessaria vitæ subsidia? Et tamen Romani Imperatores tunc ethnici erant. Mittimus reliqua, quæ dici possent ad ostendendam summam ignorantiam Boulangieri, ejusque gregalium, qui dum exprobrant Christianis inscitiam, nihil efficiunt aliud, quam suam demonstrare stultitiam. Vide quæ diximus Tom. 1. §. 73. sqq.

(1) §. 133. sqq.

(2) Vide S. Thom. 3. p. q. 70. a. 2. ad 1.

(3) Vide quæ diximus Tom. 1. §. 59.

(4) S. Augustinus Epist. 102. al. 49. q. 3. n. 21. » Quemadmodum, *ait*, unus idemque homo, si Deo mane aliud offerat, aliud

multi homines ante, & post adventum Christi Domini à vera Fide fuerint, & sint alieni; id eorum malitiæ, & nequitiæ tribuendum est. Nec propterea quidquam detrahitur Divinæ bonitati, & misericordiæ, sicut neque detrahitur ex permissione aliorum peccatorum, ut supra demonstratum est (1). Nam si de illis sermo sit, ad quos lumen Fidei neque pervenit, neque pervenire potuit; ii certe ambulantes in observatione præceptorum legis naturæ, à Deo circa supernaturalia lumine perfunderentur, ut dictum est (2). Quod ergo damnentur, ex eorum culpa est, nec quidpiam derogatur Divinæ bonitati, & misericordiæ, quæ parata est omnibus dare auxilia necessaria ad consequendam vitam æternam (3).

699 Ad octavum respondemus, Religionem naturalem uti-

» vespere, pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, nec » religionem, sicut nec salutem qui alio modo mane, alio vespere » salutat: ita in universo tractu sæculorum, cum aliud oblatum est ab » antiquis sanctis, aliud ab eis qui nunc sunt, offertur, non humana » præsumptione, sed auctoritate divina, temporibus congrua sacra » mysteria celebrantur, non Deus, aut religio commutatur «.

(1) Tom. 5. §. 716. sqq.

(2) Not. 2. §. 183.

(3) Rousseaus Emil. tom. 3. pag. 169. postquam multas nominavit gentes in infidelitate adhuc degentes, sic scribit: » Quand il » seroit vrai, que l' Evangile est annoncé par toute la terre, qu' y » gagneroit-on? La veille du jour que le premier Missionnaire est ar» rivé dans un pays, il y est sûrement mort quelqu' un qui n' a pû l' en» tendre. Or, dites moi ce que nous ferons de quelqu'un-là. N' y » eût-il dans tout l' Univers qu' un seul homme à qui l' on n' auroit » jamais prêché Jesus-Christ, l' objection seroit aussi forte pour ce seul » homme, que pour le quart du genre humain «. *Etiamsi verum esset, annunciatum esse Evangelium in omni terra, quid inde emolumenti? Pridie quam Evangelicus Præco ad aliquem pervenit locum, quispiam certe obiit ibidem, qui illum non potuit audire. De hoc autem, quæso vos, quid faciemus? In toto Universo non nisi unus exstiterit homo, cui Jesus Christus numquam fuerit annunciatus; objectio ita pro hoc uno homine valida erit, sicut pro quarta parte generis humani.* Itane vero? Atqui Rousseau objectio jam obsoleta vetustate sua fatiscebat. Eamdem sibi opposuerat S. Thomas lect. 3. in c. 10. Epist. ad Rom. ejusque infirmitatem ostenderat, sicuti etiam q. 14. de ver. a. 11. ad 1. Vide ejus verba supra n 2. §. 183. Hæc est sapientia horum philosophorum, putida, & antiquata expiscari sophismata, eaque buccis plenis venditare ut argumenta insolubilia.

que esse opus Dei, à quo est rationis lumen; esseque ipsam in suo genere perfectam, scilicet quoad ea, ad quæ rationis lumen potest extendi. Non ideo tamen excluditur Religio supernaturalis, quæ etiam est perfecta in suo genere. Creaturæ irrationales Deum habent auctorem, suntque perfectæ in suo genere; annè propterea excluduntur creaturæ rationales?

ARTICULUS II.

Utrum constet de veritate Religionis revelatæ.

700 Rursus cum Atheis, & Deistis congrediendum est, qui nullum non movent lapidem, ut extenuent, & in nihilum, si fieri posset, redigant vim argumentorum, quibus *testimonia* Dei *credibilia facta sunt nimis*, ut dicitur Ps. 92. v. 5. Longum nimis esset, & ab instituti nostri ratione alienum, singulas recensere ineptissimas illorum ratiunculas; neque vero necesse est, cum multi jam id invictissime præstiterint (1). Nonnullas ergo illorum captiosas percurremus argumentationes; rationumque fontes indicabimus ex S. Thoma, unde cum ipsæ, tum cæteræ retundi validissime queant. Sacrilega autem, & contumeliosa dicta Boulangieri, & Frereti, etsi molestissime, atque repugnante prorsus, invitoque animo, proferemus, ut omnibus comperta fiat non modo eorum impietas, sed crassissima etiam inscitia. Iis autem relatis, universæ aliorum cum veterum, tum recentiorum incredulorum nugæ descriptæ erunt; eorum enim unus alterum transcribit, ita ut uno confutato, omnes concidant.

701 Videtur ergo minime constare de certitudine Religionis revelatæ, 1. quidem quia hæc continetur libris Veteris, & Novi Testamenti. Ut ergo de ejus veritate constaret, constare quoque deberet, libros illos esse authenticos. Atqui non constat de authenticitate librorum Veteris Testamenti, præsertim de Mosaicis (2); multoque minus id constat de libris No-

(1) Adeantur inter cæteros Gauchatus, Bergierus, & Valsechius, qui fuse scripserunt præsertim adversus Rousseaum, Boulangierum, & Freretum; hi enim fæces omnes conglobarunt aliorum incredulorum.

(2) Boulangierus in impiissimo cit. oper. c. 5. » Les livres, *in-*» *quit*, attribués à ce Moyse, qui rapportent tant de faits arrivés

vi Testamenti, ac potissimum de Evangeliis; tum quia à primo Ecclesiæ sæculo, & Apostolis adhuc superstitibus, multi fuerunt, qui se Christi discipulos profitebantur, & nihilominus negabant præcipua Evangeliorum capita, nimirum Verbum fuisse factum carnem, ut Gnostici; aut fuisse natum ex Virgine, ut Cerinthus, & Ebionitæ; aut negabant resurrectionem carnis, ut Carpocratiani; aut docebant, nostra Evangelia falsitatibus esse plena, ut Marcion, &c. Tum quia Patres Apostolici videntur ignorasse quatuor Evangelia, quæ nobis supersunt: nam de ipsis nullam faciunt mentionem. Tum quia primis Ecclesiæ sæculis multa fuerunt supposita opera. Jesu Christo adjudicata fuit epistola ad Regem Abgarum (1). Ethnici, ut refert S. Augustinus (2), Christo supposuerunt magiæ libros ab ipso missos ad Petrum, & Paulum. Constitutiones Apostolicæ (3) plura memorant opera sub nomine Christi, & Apostolorum. Libri Sibyllini qui existunt, fuere suppositi secundo Ecclesiæ sæculo (4). Tertullianus (5) memorat acta à Pilato ad Tiberium missa de Christi morte. Tot item falsa Evangelia prodierunt, ut Hieronymus dixerit (6), ea *enumerare longissimum* esse. Magno denique numero fuerunt opera apocrypha, Liturgiæ Apostolis attributæ, libri Dionysii Areopagitæ, Constitutiones Apostolicæ (7), aliaque recensita à Gelasio; nec facile est numerare supposita Martyrum, aliorumque Sanctorum Acta. Quis autem in tanta falsos libros

---

» après lui, sont ils bien authentiques «? *Libri, qui Moysi adjudicantur, & tot referunt facta, quæ post ipsum evenerunt, suntne satis authentici*? Ita is impius putat, proculcare posse Mosaicorum librorum authenticitatem, licet à quatuor mille, & amplius annis constabilita fuerit. Quænam tot illa facta? Quæ si etiam essent, nonne Moyses Propheta erat, ut posset futura prævidere?

(1) Hist. lib. 1. cap. 13.

(2) Lib. 1. de consens. Evang. cap. 10.

(3) L. 6. non primo, ut Freretus citat, c. 16.

(4) Fabric. Bibl. Græc. l. 1. c. 35.

(5) Apol. cap. 5.

(6) Præfat. super Matth.

(7) Animadvertite Frereti sagacitatem: Constitutiones Apostolicas non solum rejicit, sed insuper addit: » quoiqu' elles soient l' ouvrage d' un fourbe, elles ont été corrumpues par un second faussaire «. *Licet eæ sint opus hominis improbi, corruptæ fuerunt ab altero falsario.* Nihilominus testimonium ex ipsis petit ad falsa opera affingenda Christo, & Apostolis.

supponendi licentia, decernere poterit de authenticitate sacrorum Evangeliorum, cæterorumque Scripturæ librorum (1)?

702 II. Miracula Jesu Christi non fuerunt examini subjecta neque à Judæis, neque à Gentilibus: nam quî fieri poterat, ut post diligens institutum examen, universus Mundus ea non crederet? Apostoli enim non nisi vili populo potuerunt ea suadere, cæteris omnibus contradicentibus. Quod si Judæi, & Gentiles de Christi miraculis fuissent convicti, probabilene est, voluisse ipsum persequi etiam post mortem (2)?

703 III. Quod dicitur de Apostolis, quod morte sua testimonium dederint veritati miraculorum, & Resurrectionis Christi, non est verum; nescitur enim, quo mortis genere Apostoli excesserint (3).

704 IV. Miracula quæ Christus fecit, fuerunt narrata ab ejus discipulis, qui creduli erant, & rudes, ideoque incapaces ea revocandi ad examen; neque testimonium acceperunt ab aliis sive Judæis, sive Gentilibus. Ipsa Christi Resurrectio cur manifestata fuit Apostolis, mulieribus, & discipulis; & quare Christus à mortuis excitatus, non potius apparuit publice? Nam si Fides Christiana in Christi Resurrectione fundatur, necesse erat, ut nationibus manifestaretur evidentiori quo poterat modo (4).

705 V. Prophetiæ nihilo magis probant; tum quia augures, & divini exstitere in omnibus nationibus; tum quia Prophetiæ sunt obscuræ, & in eis inveniri potest quidquid placet inquirere; tum quia Prophetæ illi perversi fuere, scilicet homines arrogantes, seditiosi, iniqui, ut apparet in Samuele, Elia, & Jeremia, cæterisque Prophetis (5); tum quia ut Prophetiæ admitti possent, oporteret, ut quisque esset testis earum, & eventus subsequuti; atque insuper demonstrandum esset, eventum non potuisse fortuito respondere Prophetiæ (6).

706 VI. Nec quidquam probant Martyres: nam unaquæque

(1) Hæc & alia supposita opera recenset Freretus in suo Exam. crit. c. 2. Tillemontium transcribens.
(2) Freretus loc. cit. cap. 3.
(3) Ibidem.
(4) Boulang. Le Christ. dévoilé c. 6.
(5) Boulang. ibid.
(6) Rousseaus hoc sophisma extollit Emil. tom. 3. pag. 157.

secta suos martyres habuit. Multi fuerunt Donatistarum martyres. Multi sunt martyres Anabaptistarum, quorum martyrologium describit Bælius (1). Multi sunt martyres Judæorum, Calvinianorum, Lutheranorum, atque ipsorum incredulorum. Itaque constantia primorum Christianorum furor fuit, enthusiasmus, & cæcus fanatismus (2).

707 VII. Denique Christianismi propagatio debetur principaliter violentiæ Imperatorum Christianorum, qui leges tulerunt ad abolendam idololatriam, & Christianismum substituendum. Quod confirmatur exemplo hæreticorum, qui magnos fecere progressus in iis locis, in quibus Principes hæresim probarunt. Cæterum quod Imperatores ethnici Christianismum destruere nequiverint, id tribuendum est vel ipsis persequutionibus, quæ brevi durarunt; vel vastitati Imperii Romani, quæ prohibebat, ne ubique leges contra Christianos exequutioni mandarentur. Nam quare non poterat contingere in aliis regionibus, quod contigit in Japonia, in qua Religio Christiana maxime floruit, nunc vero ne unus quidem Christianus reperitur (3)? Hæ sunt impiissimæ captiones incredulorum hominum, atque in primis Frereti, & Boulangieri, in compendium redactæ, ne fastidiosa verborum farrago, qua ipsi easdem res millies repetunt, difficultatem minus cautis creet.

Prop. *Veritas Religionis revelatæ certissime, evidentissimeque constat.*

708 Demonstratur rationibus S. Thomæ, quarum prima est: Vera miracula non potest facere nisi solus Deus propria virtute, ut supra ostensum est (4). Deus autem non potest esse auctor falsitatis, cum sit ipsa veritas. Si ergo constat de veris miraculis à Deo patratis ad contestandam Religionem revelatam, certissime, evidentissimeque constat de ejus veritate. Atqui apprime constat de veris miraculis à Deo patratis in contestationem ejusdem Religionis. Ut enim scribit S. Tho-

(1) In Dict. a. *Anabaptistes*, rem. F.
(2) Boulang. loc. cit.
(3) Freret. loc. cit. cap. 7.
(4) Tom. 5. §. 1399.

mas (1) » Deus ad confirmandum ea quæ naturalem cogni-
» tionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quæ totius natu-
» ræ superant facultatem, videlicet in mirabili curatione lan-
» guorum (2), mortuorum suscitatione (3), cœlestium corpo-
» rum mirabili immutatione (4). Et quod est mirabilius, humana-
» rum mentium inspiratione, ut idiotæ, & simplices dono Spiri-
» tus Sancti repleti, summam sapientiam, & facundiam in in-
» stanti consequerentur (5) «. Certissime igitur, evidentissimeque constat de veritate Religionis revelatæ. » Si enim (ut ipsemet » Angelicus (6) observat) Rex mitteret litteras cum sigillo suo » signatas, nullus auderet dicere, quod illæ litteræ non pro-» cessissent à Regis voluntate. Constat autem, quod omnia quæ » Sancti crediderunt, & tradiderunt nobis de Fide Christi, si-» gnata sunt sigillo Dei, quod sigillum ostendunt illa opera, » quæ nulla pura creatura facere potest. Et hæc sunt miracu-» la, quibus Christus confirmavit dicta Apostolorum, & San-» ctorum «.

709 Scimus, Rousseaum (7) respondere, *nulla à se um-*

---

(1) Lib. 1. cont. Gent. cap. 6.

(2) Innumeri fuerunt à Christo, & ab Apostolis à languoribus curati. Præ cæteris in memoriam est revocandus ille homo, qui, ut dicitur Joann. 5. jacebat in porticu Probaticæ triginta, & octo annos habens in infirmitate, quem Jesus imperio suo sanavit.

(3) Evidenter patuit mors, & resurrectio Lazari, & aliorum, quos Christus à mortuis excitavit.

(4) Solis obscuratio, quæ Christo moriente contigit, eos omnes etiam gentiles commovit, de quibus dicitur Luc. 23. v. 48. *percutientes pectora sua revertebantur.*

(5) Adeo solemnis fuit Hierosolymis hæc effusio Spiritus Sancti super discipulos, qui variis linguis loquebantur, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, ut ipso quo contigit sacro Pentecostes die appositæ sint animæ circiter tres mille, & metus magnus fuerit in universis ob multa prodigia, & signa, quæ per Apostolos in Jerusalem fiebant, ut habetur Act. 2.

(6) Opusc. 6. cap. 1.

(7) Loc. cit. pag. 155. sic *Ratiocinatorem* suum respondere facit *Inspirato*: » Des prodiges, des miracles! je n' ai jamais rien vû » de tout cela «. Quasi nihil credere debeamus, quod ipsi propriis non vidimus oculis. Id erit reliquum, ut Rousseaum, quem numquam vidi, negare possim umquam exstitisse. Utinam tam ipse, quam cæteri ei similes numquam revera exstitissent! non importassent luem pestiferis libris suis.

quam visa fuisse miracula. Sed ejus impietatem jampridem repressit S. Thomas (1): » Si dicas, quod miracula nullus vidit »fieri. Respondeo ad hoc. Constat enim, quod totus mundus »colebat idola, & Fidem Christi persequebatur, sicut Paganorum etiam historiæ tradunt; sed modo omnes conversi sunt »ad Christum, & sapientes, & nobiles, & divites, & potentes, & magni, ad prædicationem simplicium, & pauperum, »& paucorum prædicantium Christum. Aut ergo hoc est miraculose factum, aut non. Si miraculose, habes propositum. »Si non, dico, quod non potuit esse majus miraculum, quam »quod mundus totus sine miraculis converteretur; non ergo quærimus aliud (2) «. Verum *Hæc ipsa tam mirabilis mundi conversio ad Fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum*, ut idem S. Thomas observat (3).

710 Altera ratio sequitur ex prima: nam si, ut ipse S. Thomas argumentatur (4) » Probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione (5): & quod est

(1) Loc. cit.

(2) Similiter scripserat S. Augustinus l. 22. de Civ. c. 5. » Si » vero, *ait*, per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem, » atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta » esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod » eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit «. Argumentum ductum ex mundi conversione ad Christum per homines simplices, pauperes, inermes, quos mundus persequebatur, fuse tractavit Chrysostomus Hom. 4. & 5. in Epist. 1. ad Cor. & in Orat. cont. Gent. Eusebius l. 3. Demonst. Evang. c. 7. ipseque Augustinus cum in Epist. ad Volusianum, tum l. de ver. Relig. c. 3. Ejusdemque argumenti vim expressit Apostolus 1. ad Cor. 1. v. 27. sq. » Quæ » stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infir» ma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, » & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, » destrueret «. Denique ipsemet Augustinus lib. 22. de Civ. c. 8. » Quis» quis, *ait*, adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse pro» digium, qui mundo credente non credit «. Istiusmodi prodigia iniquitatis sunt Rousseaus, omnesque increduli.

(3) Lib. 1. cont. Gent. cap. 6.

(4) Ibidem.

(5) Sic autem profligata manet incredulorum objectio petita sive ab idololatriæ propagatione inter Gentes, sive à propagatione superstitionis Mahumedanæ. » Hi (inquit S. Thomas loc. cit.) qui se» ctas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, ut patet in

» mirabilissimum, inter persequutorum tyrannidem, innumerabilis » turba non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum ho- » minum ad Fidem Christianam convolavit. In qua omnem hu- » manum intellectum excedentia prædicantur, voluptates car- » nis cohibentur, & omnia quæ in mundo sunt, haberi con- » temptui docentur. Quibus animos mortalium assentire, & ma- » ximum miraculum est, & manifestum divinæ inspirationis » opus; ut contemptis visibilibus sola invisibilia cupiantur «. Veritas igitur Christianæ Religionis testificationem accipit non solum à miraculis, sed etiam ab ejus mirabili propagatione, quæ & ipsa maximum miraculum est; exque constantia Martyrum adversus persequutorum tyrannidem, qua auctus incredibiliter fuit Christianorum numerus; atque ex sublimitate, ac sanctitate dogmatum, quæ Christiana Fides docet.

711 Tertia ratio desumitur ex Prophetiis. Fieri enim non potest, ut falsa sit Religio, quæ tot ante sæcula fuit prænunciata per Prophetarum oracula, quæ eventu fuerunt comprobata: nam certo præscire, ac prænunciare futura nemo potest, nisi ex Dei inspiratione, qui solus futura libera, & contingentia novit. Atqui Religio Christiana testificationem accipit à Prophetarum oraculis, de quibus dubitari nullo modo potest, cum contineantur libris Veteris Testamenti, qui in honore sunt apud Judæos, Christianorum infensissimos hostes (1). Ne singulas persequamur Prophetias, quæ erant de Nativitate, Passione, Morte, & Resurrectione Christi (2), quæque tam claræ, ex-

---

» Mahumete, qui carnalium voluptatum promissis, ad quorum desi- » derium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Præcepta » etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas re- » laxans. . . Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta. . . sed » dixit, se in armorum potentia missum, quæ signa latronibus, & » tyrannis non desunt «.

(1) Capsarii nostri sunt Judæi. Codicem (ait S. Augustinus in » Psalm. 59.) portat Judæus, unde credat Christianus. Librarii nostri » facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi » portando deficiant, isti legendo proficiant «.

(2) Ex Psalm. 15. S. Petrus Act. 2. probavit Resurrectionem Christi; ait enim v. 29. sqq. » Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha » David, quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulcrum ejus est apud » nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret, » quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super » sedem ejus: providens loquutus est de resurrectione Christi, quia ne-

plicatæque sunt, ut summam redarguant Judæorum perfidiam: pauca dumtaxat dicemus de oraculis, quæ respiciunt promulgationem ipsam Evangelii, & gentium conversionem, ac Judaismi reprobationem, Novique Fœderis constitutionem (1). Sed hæc etiam oracula tam multa sunt, ut recenseri breviter non possint. Adeatur Huetius (2), qui eorum multa collegit. Nobis sat erit oraculum Christi Domini, qui Luc. 19. & 21. destructionem Jerusalem prædixit eo prorsus modo, quo illam postea Josephus descripsit in libris de bello Judaico. » Si quis, »*inquit Eusebius* (3), Servatoris nostri verba cum iis compa»ret, quæ ab eodem Scriptore (Josepho) de universo bello »commemorata sunt, fieri non potest, quin admiretur præ»scientiam, ac prædictionem Servatoris nostri, eamque vere Di»vinam, & supra modum stupendam esse fateatur « (4). Atque hæ quidem rationes sunt, quibus demonstrat S. Thomas, assentiri his, quæ sunt revelata, levitatis non esse, quamvis ea supra rationem sint; eædemque rationes sunt argumenta, sive *motiva extrinseca credibilitatis*, quæ nos inducunt ad credendum. Cæterum *ratio intrinseca* propter quam credimus, non illæ quidem rationes sunt; non enim propter illas credimus; sed unice est Divinum testimonium, propter quod mysteriis Fidei assensum præstamus. Ut autem præstemus, gratia Dei requiritur; Fides enim est donum Dei, ut ait Apostolus ad Ephes. 2. v. 8.

712 Ex hisce autem primum quidem in nihilum redigitur

» que derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem «. Quasi diceret: quod ait Propheta: *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, intelligi non potest de ipso Davide, qui mortuus fuit, & vidit corruptionem: nam ejus sepulcrum exstat adhuc. Igitur vaticinium respicit Christum, qui fuit ex semine Davidis secundum carnem, sicut prædictum fuerat.

(1) Vide Apost. ad Heb. 2. v. 3. sq.

(2) Demonstr. Evang. prop. 9. c. 158. sqq.

(3) Lib. 3. Hist. cap. 7.

(4) Grotius postquam in op. de ver. Rel. Christ. argumentum adhibuerat desumptum ex oraculis Prophetarum, tandem in c. 7. Matth. v. 22. de iisdem oraculis ait: *non in vim argumenti proprie adhibentur, sed ad illustrandam, atque confirmandam rem jam creditam.* Hæc est hæreticorum conditio, ut quod una ædificarunt manu, altera destruant, nimirum acti vertigine erroris. Non ita censuit Eusebius, ut dictum est. Videri possunt Huetius, & Bossuetus, qui Grotium validissime impugnarunt, cum Socinianis sentientem,

ratiocinatio Frereti, quam ipse demonstrationis vim habere stultissime jactat; nimirum: *Non potest esse à Deo constituta pro simplicibus, & rudibus religio illa, cujus probationes non sunt ad captum omnium hominum ratione utentium. Nulla autem est religio inter omnes eas, quæ adseruntur revelatæ, cujus probationes sint ad captum omnium hominum. Nulla igitur religio inter eas, quæ adseruntur revelatæ, esse potest à Deo constituta pro simplicibus, & rudibus* (1). Si quis minorem hujus putatæ demonstrationis neget, en quomodo Freretus plane apodictice probat: *Ea facillime probari potest, si vel leviter consideretur, 1. difficultas quæ semper comitatur discussiones religionis, 2. debilitas humani spiritus, 3. multiplicitas necessitatum, & negotiorum, quæ mancipant majorem hominum partem: sed ut aliquid dicamus amplius, observemus oportet, probationibus religionis revelatæ facta contineri, quæ cum discussionem longi examinis postulent, & magnas habeant adnexas difficultates, parum proinde sunt ad captum universitatis hominum* (2). Ita is impius putat, prosternere posse veritatem, & necessitatem Religionis revelatæ.

713 At quam infeliciter, quisque videt. Itaque in jactata ridicula demonstratione negamus etiam atque etiam minorem, tum quia seipsa falsa est; tum quia supponit, dari plures religiones revelatas, quarum una cum altera pugnet; quasi Deus possit sibimet repugnare, & opposita docere. Expendamus autem ejus minoris probationes. Exaggeratam difficultatem in discutienda veritate religionis destruunt argumenta quæ protu-

---

(1) Exam. crit. c. 12. » Une religion dont les preuves ne sont » point à la portée de tous les hommes raisonnables, ne peut être la » religion établie de Dieu pour les simples & pour les ignorans; or » il n' y a aucune religion, de toutes celles qui se prétendent révé- » lées, dont les preuves soient à la portée de tous les hommes; » donc aucune des religions, qui prétendent être révélées, ne peut » être la religion établie de Dieu pour les simples & pour les ignorans «.

(2) Ibid. » Il est très-facile de prouver, pour peu que l' on fasse » attention 1. à la difficulté qui accompagne toujours les discussions » de religion, 2. à la floiblesse de l' esprit humain, 3. à la multi- » plicité des besoins & des affaires qui asservissent la plupart des » hommes: mais pour entrer dans un plus grand détail, il faut obser- » ver que les preuves des religions révélées contiennent des faits dont » la discussion demandent de longs examens, & renferment de gran- » des difficultés, est par conséquent peu à la portée du commun des » hommes «.

limus (1): nam quid facilius, quam animadvertere, Religionem Christianam præcipientem voluptatum carnalium cohibitionem, & mundi contemptum, proponentemque dogmata humanum intellectum excedentia, esse ubique terrarum propagatam à simplicibus, & pauperibus absque ulla armorum vi, imo furente persequutorum impetu, ut eam destruerent? Qui hæc non videt, quamlibet simplex, rudis, & imperitus, vel cæcus est, vel insanus. Hæc eadem Roma, quæ olim universo dominabatur orbi dominatione terrena, & cunctarum gentium serviebat erroribus: hæc, inquam, Urbs, quæ, ut S. Leo M. ajebat (2), per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsidet Religione Divina, quam ante dominatione terrena, argumentum sensibile est triumphi Christianæ Religionis adversus impietatem. Quid vero huic animadversioni impedimenti præstant sive mentis tenuitas, sive multiplices vitæ necessitates, & negotia? Anne oportebit Archimedis theoremata expendere, aut vale dicere cuicumque curæ, ut mirabilis illa, ac plane Divina in omnium oculos incurrens, propagatio constet?

714 At Religionis revelatæ probationes complectuntur facta longioris, & difficilis examinis. Quænam hæc facta? Unicum est factum præcipuum, scilicet mirabilis illa propagatio, quam quisque videt, quin ullo sit opus examine. Nam fieri nullo modo poterat humana virtute, ut duodecim Apostolis pauperibus, & imperitis prædicantibus, Christo Crucifixo crederent infiniti homines cujuscumque ætatis, sexus, conditionis, ipsique philosophi, ac sapientissimi, præsertim eo tempore, quo supplicium crucis magni erat probri, & infamiæ. Igitur crediderunt Divina virtute operante ex alto. Religio ergo Christiana hoc certissimo eventu contestata Divina est (3). Quo igitur abiit demonstratio Frereti magnifice ostentata?

715 Deinde ex iisdem constitutis argumentis patet singularis fatuitas, ac vera deliratio Rousseau. *Inter tot*, inquit (4). *religiones diversas, quæ se proscribunt, & mutuo exclu-*

(1) §. 707. sqq.

(2) Serm. 82. al. 80. in Natali Apost. Petri, & Pauli.

(3) Vide S. Justinum M. Apol. 1. n. 39.

(4) Emil. t. 3. pag. 158. » Parmi tant de religions diverses qui » se proscrivent & s' excluent mutuellement, une seule est la bonne, » si tant est qu' une le soit. Pour la reconnoître, il ne suffit pas d' en

dunt, una tantum bona est, si quidem una aliqua est. (Notate incredibilem hujus hominis impudentiam, qui post religionem quamcumque in dubium revocatam, seu verius negatam, audet conqueri de decreto Senatus Genevensis licet acatholici, quasi injuste condemnatus fuerit, quod ejus libri *sint impii, scandali pleni, temerarii, plenique blasphemiarum, & calumniarum*, ut ipsemet refert premiere Lett. de la montagne.) *Ut ea cognoscatur, satis non est unam examini subjicere; subjiciendæ sunt universæ . . . oportet comparare objectiones cum probationibus; oportet scire, quid quisque aliis opponat, & quid ille respondeat.* Et paulo post: *Sequitur inde, ut si quæ vera religio est, quam quisque homo tenetur sequi sub damnationis pœna, necesse sit totam occupare vitam in earum omnium studio, in eis expendendis, & invicem comparandis, & in regionibus percurrendis, in quibus sunt constitutæ . . . universi, nemine excepto, studere, meditari, disputare, iter agere, mundum peragrare tenebuntur; nullus amplius erit populus fixus, ac stabilis; omnis terra repleta erit peregrinis viatoribus, . . tunc vero vale erit dicendum muneribus, artibus, scientiis humanis, omnibusque civilibus occupationibus; neque aliud poterit amplius vigere studium, quam religionis . . . . Universos mundi intolerantes provoco, ut huic argumento quidpiam respondeant, quod satisfacere homini sensato possit.*

716 Quis vidit umquam hominem ita superbe ineptientem? Petimus ex Rousseau, an velit, ut huic suæ verborum farragini cæteri absque ullo examine subscribere debeant; an vero permittat, ut examini subjiciatur? Si suo stet principio, nemini facultatem negare poterit ad examen illa revocandi. Ut

---

» examiner une, il faut les examiner toutes. . . il faut comparer les » objections aux preuves; il faut voir ce que chacun oppose aux autres, » & ce qu'l leur répond» . Pag. 174. » D'où il suit que, s' il n' y a » qu' une religion veritable, & que tout homme soit obligé de la » suivre sous peine de damnation, il faut passer sa vie à les étudier » toutes, à les approfondir, à les comparer, à parcourir les pays où » elles sont établies. . . tous, sans exception, doivent étudier, médi- » ter, disputer, voyager, parcourir le monde; il n' y aura plus de » peuple fixe & stable; la terre entiere ne sera couverte que de péle- » rins allants. . . Alors adieu les occupations civiles, il ne peut plus » y avoir d' autre étude que celle de religion. . . Je défie tous les » intolérans du monde de répondre à cela rien qui contente un hom- » me sensé «.

igitur constet, utrum sint vera, quæ ipse scribit de cæteris religionibus, hæ singulæ expendendæ erunt; comparandæ probationes cum objectionibus; sciendum, quid quisque ipsi respondeat. Oportebit proinde totam occupare vitam in eorum studio, meditari, disputare, orbem peragrare, nuncium mittere muneribus, artibus, scientiis, &c. Nam qua alia via constare poterit de ejus adsertione, si nulla alia via est, quam tale examen? Eritne Religio Christiana ad cæteras religiones discutienda: probanda autem absque contradictione impietas Rousseau? Videte ipsum sua se manu configere. Quid vero, si fallaci, insulsæque declamationi ejus jam satisfactum sit plus quam abunde? Nulla est necessitas adserti illius examinis, si semel evidenter constet, Religionem Christianam habere Deum auctorem; cum enim Deus non possit sibimet contradicere, si Deus est auctor Religionis Christianæ, hæc una est vera, cæteræ sunt falsæ. Atqui ex argumentis allatis (1) certissime, evidentissimeque constat, Religionem Christianam Deum habere auctorem, ac præsertim ex mirabili ejus propagatione jam descripta. Nulla igitur necessitas urget alterius examinis instituendi, aut comparationis faciendæ, aut expendendarum probationum diuturno studio, aut itinerum suscipiendorum, prætermittendorum munerum, artium negligendarum. Veniat nunc Rousseaus, ac provocet, ut suo argumento quispiam responsionem adhibeat, quæ satisfacere homini sensato possit. Nullum reperiet sensatum hominem, qui ejus cæcitatem valde non doleat (2).

---

(1) §. 707. sqq.

(2) Simili cæcitate laborat, cum ibid. pag. 164. sq. scribit » Nos » Catholiques font grand bruit de l' autorité de l' Eglise; mais que » gagnent ils à cela, s' il leur faut un aussi grand appareil de preu» ves pour établir cette autorité, qu' aux autres sectes pour établir » directement leur doctrine? L' Eglise décide que l' Eglise a droit de » décider. Ne voilà-t-il pas une auctorité bien prouvée «? *Nostri Catholici obstrepunt valde auctoritatem Ecclesiæ; sed quid inde referunt emolumenti, si eis ad hanc constituendam auctoritatem tam magnus necessarius est probationum apparatus, quam aliis sectis ad directe constituendam earum doctrinam? Ecclesia decidit, quod Ecclesia habet jus decidendi. Nonne bene probata est ejusmodi auctoritas?* Hominum iniquissime, quis tibi dixit, Ecclesiam decidere de sua auctoritate decidendi? Decidit Scriptura, quæ 1. ad Tim. c. v. 15. eam appellat *columnam, & firmamentum veritatis.* Decidit Traditio ab omni ævo ad nos transmissa. Decidunt miracula. quibus veritas Catholicæ Religionis, adeoque ipsius Ecclesiæ comprobatur.

717 Ad primum negamus, non constare de authenticitate librorum Veteris Testamenti; eos enim Hebræi semper in summo habuerunt honore tamquam Divinos. Adversus tam constantem Synagogæ traditionem ab ipsa Moysis ætate, quis, nisi omnino stultus, potest his postremis temporibus suppositionem objicere, nulla reddita ratione, sed dubio tantum injecto? Qui ita se gerit, non video, cur non opera universa Auctorum quorumcumque supposita dicat: nam cui Scriptori opus quodpiam fuit tam constanter attributum non ab una tantum natione, sed ab universis propemodum hominibus, ut libri Veteris Testamenti Moysi, cæterisque Prophetis? Id erit reliquum, ut dubitare debeamus de libris Homeri, Virgilii, Ciceronis, Cæsaris, Livii, &c. imo de ipsis incredulorum libris, & de iis maxime, qui vel suppresso, vel supposito nomine in vulgus prodierunt. Hi sunt philosophi acutissimi, qui desperatam causam suam scepticismo commendant.

718 Idem dicendum est de libris Novi Testamenti, quorum certa auctoritas & authenticitas semper firmissime constitit in Ecclesia Catholica. Quam vero infirmæ sint captiosæ Frereti ratiunculæ, paucis perspicito. Itaque ille ait, primo Ecclesiæ sæculo multos fuisse Christianos, qui præcipua Evangeliorum capita negabant. Peto, an hi habiti fuerint in vere credentium numero? Nihilo minus. Gnostici, Cerinthiani, Ebionitæ, Carpocratiani, Marcionitæ, aliique impii, ex quo tempore prodierunt, semper habiti sunt ab Ecclesia Catholica tamquam hæretici. Ecclesia igitur Catholica profitebatur præcipua illa Evangeliorum capita, quæ à præfatis hæreticis negabantur. Quid ergo Freretus probat? Sed videte ejus eruditionem. Fatetur (1), *S. Justinum primum fuisse Scriptorum*

Decidit ipsa Ecclesiæ propagatio, & continuata series Sacerdotum in Petri Sede. Audiatur M. P. Augustinus l. cont. Epist. Fundam. c. 4. *Tenet* me in Ecclesia Catholica *consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum.* Videat Rousseaus, an aliæ sectæ habeant easdem probationes. Ex quibus apparet etiam credibilitas Ecclesiæ Catholicæ supra cæteras sectas hæreticorum.

(1) Loc. cit. c. 1. » St. Justin est le premier de ceux qui nous restent, qui ait eu connoissance des quatre Evangélistes que nous avons entre les mains «. Quænam major exquiri potest contestatio authenticita-

superstitum, qui cognovit quatuor Evangelia, quæ nostris teruntur manibus. Etiamsi id concederemus, quid inde ? Justinus priorem suam Apologiam obtulit Antonino Pio circa annum Christi 150. Eo autem tempore authentica erant nostra Evangelia in Ecclesia Catholica : nam ex eis ille n. 66. probat Eucharistiæ institutionem, quia *Apostoli in commentariis suis, quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt*, citatque verba Matthæi, & Lucæ. Porro circa idem tempus ipsemet Justinus in Dial. cum Tryphone (1) testatur, tunc Ecclesiam Catholicam fuisse exécratam tamquam *atheos*, & *impios* Marcianos, Valentinianos, Basilidianos, aliosque hæreticos. Habemus igitur contestatam à dimidio secundi Ecclesiæ sæculi authenticitatem Evangeliorum ad hæc nostra tempora, atque condemnata ex eorum doctrina dogmata hæreticorum. At vero jam primo Ecclesiæ sæculo eadem dogmata fuere damnata : nam S. Joannes Apostolus suum scripsit Evangelium adversus Cerinthum, & Ebionitas, aliosque tunc exorientes hæreticos, teste S. Irenæo (2), & S. Hieronymo (3). Ecclesia igitur Catholica authenticitatem nostrorum Evangeliorum semper agnovit : nam semper damnavit illorum hæreticorum errores. Quare enim illos damnavit, nisi quia doctrinam respuebant, quæ in sacris Evangeliis continetur ? Nihil ergo Freretus concludit ex veteribus illis hæreticis, qui præcipua negabant Evan-

---

tis, quam ea quæ testimonium accepit continuata serie à sexdecim, & amplius sæculis ? Oportet pessundare omnes etiam severissimæ Critices regulas, si talis ac tanta contestatio non est satis.

(1) Num. 35. loquens de veteribus illis hæreticis, ait : » Cum » horum nemine communicamus ; cum atheos, & impios esse, ac » injustos, & exleges sciamus, ac Jesum minime colere, sed verbis » tantum confiteri... Nonnulli vocantur Marciani, alii Valentiniani, » alii Basilidiani, alii Satorniliani, alii aliud vocabulum habent ex » suæ quisque sectæ principe «. Quid ergo Freretus scribit c. 1. » Dès » le premier siecle de l' eglise, les disciples de J. C. se partagérent » en différentes sectes, qui quoiqu' opposées de sentimens, se réunis- » soient toutes à se dire chrétiennes « ? *A primo Ecclesiæ sæculo, Jesu Christi discipuli diviserunt se in varias sectas, quæ licet sententiis oppositæ, conveniebant tamen omnes in eo, quod se dicerent Christianas.* Tantum abest, ut hæ sectæ Christianæ fuerint, quin Justinus earum sectatores appellet *atheos*, & *impios*, & *exleges*, & *Christum minime colentes.*

(2) Lib. 3. adv. hær. cap. 11.

(3) L. de Script. Eccl. in Joanne.

geliorum capita ; non enim illi , nisi verbo tantum , Christum confitebantur.

719 Captiosius videri potest , quod addit de nulla à Patribus Apostolicis facta mentione nostrorum Evangeliorum. At primum dicimus , id etiamsi verum esset , nihil probare ; est enim argumentum negativum , quod seipso nihil habet roboris , ut in prima parte dictum est (1). Deinde non omnia nobis supersunt opera Patrum Apostolicorum , sed pauca admodum. Quodnam ergo est hoc argumenti genus : In paucissimis quæ supersunt illorum Patrum genuinis operibus non fit mentio de quatuor Evangeliis ; ergo in nullis fiebat , etiam in iis quæ perierunt? Quomodo id , nisi divinando , dici potest? Præterea, doctrina Fidei Christianæ continetur quidem in quatuor Evangeliis ; at quis dixerit , sine Evangeliis non potuisse subsistere ? antequam enim Evangelia scriberentur , erat in Ecclesia doctrina Fidei à Christo tradita , & ab Apostolis annunciata. Itaque etiamsi non fuissent scripta Evangelia , Religio Christiana non propterea nutaret. Celebris est S. Augustini sententia (2) : *Ego Evangelio non crederem , nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et S. Irenæus (3) memorat *multas gentes Barbarorum* eorum , *qui in Christum credunt , sine charta , & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem , & veterem traditionem diligenter custodientes.* Ex hac ipsa Traditione authenticitas constat nostrorum Evangeliorum.

720 Ad hæc certum est , ipso fatente Frereto , S. Justinum M. Evangelia laudasse tamquam libros Divinos (4). Insuper constat , S. Irenæum , qui S. Polycarpum discipulum S. Joannis Apostoli audivit , laudasse quatuor Evangelia tamquam Divinos libros (5). Peto , unde id ipsi hauserint ? Si Patres

(1) Tom. 1. §. 979.
(2) L. cont. Epist. Fundam. cap. 5.
(3) Lib. 3. adv. hær. cap. 4.
(4) §. præced.
(5) L. 3. adv. hær. c. 1. sic Irenæus : » Non enim per alios dis» positionem salutis nostræ cognovimus , quam per eos , per quos Evan» gelium pervenit ad nos , quod quidem tunc præconiaverunt , postea » vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt , funda» mentum , & columnam fidei nostræ futurum. . . Ita Matthæus in » Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii , cum Petrus, » & Paulus Romæ evangelizarent , & fundarent Ecclesiam. Post ve» ro horum discessum , Marcus discipulus , & interpres Petri , & ipse

Apostolici non agnovissent Evangelia, quî Justinus, quî Irenæus tanta fiducia potuissent ea habere ut inspirata divinitus ? Imo non ipsi tantum, sed universa Ecclesia, quæ alia tunc venditata, & circumlata falsa Evangelia reprobans, nostra tantum quatuor admittebat, & venerabatur, atque iis utebatur tamquam lydio lapide ad discernenda vera à falsis dogmatibus. Ebionitæ, Encratitæ, Marcionitæ, &c. vel sua inferebant plena impietatum pseudo-Evangelia, vel nostra corrumpebant, aut mutila recipiebant. Ecclesia Catholica hos damnabat hæreticos. »Vani omnes, *ajebat S. Irenæus* (1), & indocti, & »insuper audaces, qui frustrantur speciem Evangelii, & vel plu»res quam dictæ sunt, vel rursus pauciores inferunt personas »Evangelii: quidam, ut plus videantur quam est veritatis adin»venisse; quidam vero, ut reprobent dispositiones Dei. Etc»nim Marcion totum rejiciens Evangelium, imo vere seipsum »abscindens ab Evangelio, partem gloriatur se habere Evan»gelii. Alii vero ut donum spiritus frustrentur ... illam speciem »non admittunt, quæ est secundum Joannis Evangelium, in »qua Paracletum se missurum Dominus promisit . . . Hi vero »qui sunt à Valentino, iterum existentes extra omnem timo»rem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, »quam sint ipsa Evangelia«. Hæc certe demonstrant recepta tunc fuisse ut authentica nostra tantum quatuor Evangelia. A quonam Irenæus hæc didicerat, nisi à Polycarpo ejus magistro; & Polycarpus à quonam, nisi à Joanne, cujus fuerat auditor? Desiderarine potest evidentior demonstratio authenticitatis quatuor nostrorum Evangeliorum à primo Ecclesiæ sæculo, atque ab ipsis Apostolis ?

721 Hæc plusquam satis essent ad revincendam Frereti impietatem. At falsum omnino est, nullam à Patribus Apostolicis, quorum opera genuina exstant, factam fuisse nostrorum Evangeliorum mentionem. Genuina est Epistola 1. S. Clementis Rom. Pont. ad Corinthios. In ea autem n. 13. sic habetur: »Præcipue memores sermonum Domini Jesu, quos loquutus »est docens mansuetudinem, & æquanimitatem. Sic enim di»xit: *Miseremini, ut misericordiam consequamini; dimittite, ut*

»quæ à Petro annunciata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lu»cas autem sectator Pauli, quod ab illo prædicabatur Evangelium, »in libro condidit. Postea & Joannes discipulus Domini, qui & »supra pectus ejus recumbebat, & ipse edidit Evangelium Ephesi »Asiæ commorans«.

(1) Lib. 3. cont. hær. cap. 11.

»*dimittatur vobis*; *sicut facitis*, *ita vobis fiet*; *sicut datis*, »*ita dabitur vobis*; *sicut judicatis*, *ita judicabitur vobis*; *sicut* »*indulgetis*, *ita vobis indulgebitur*: *qua mensura metimini*, »*in ea mensurabitur vobis*«. Quis non videt, hæc referri ad Evangelium Matthæi c. 7. v. 2. ubi dicitur: *In quo enim judicio judicaveritis*, *judicabimini*: *& in qua mensura mensi fueritis*, *remetietur vobis*. Et ad illud Lucæ 6. v. 36. sqq. *Estote ergo misericordes*, *sicut & Pater vester misericors est. Nolite judicare*, *& non judicabimini*: *nolite condemnare*, *& non condemnabimini. Dimittite*, & *dimittemini. Date*, *& dabitur vobis*: . . *Eadem quippe mensura*, *qua mensi fueritis*, *remetietur vobis*? In verbis quidem modica quædam diversitas est; at sensus est omnino idem; sæpe enim Patres Scripturas citant, servantes sensum, licet non iisdem verbis.

722 In eadem Epistola n. 46. hæc Clemens addit: »Re»cordamini verborum Jesu Christi Domini nostri. Dixit enim: »*Væ homini illi*: *bonum erat ei*, *si natus non fuisset*, *quam* »*ut unum ex electis meis scandalizaret*; *melius erat*, *ut ei* »*mola circumponeretur*, *& in mare demergeretur*, *quam ut* »*unum de pusillis meis scandalizaret*«. Quæ sane verba desumpta sunt ex Matth. c. 18. v. 6. & c. 26. v. 24. & ex Marc. c. 9. v. 41. & ex Luc. c. 17. v. 2. Quid? in eadem Epistola non solum proferuntur testimonia ex nostris Evangeliis, sed etiam ex Epistolis S. Jacobi, & S. Petri. Insuper laudantur testimonia ex Epistolis S. Pauli. *Sumite*, ait ibid. n. 47. *Epistolam B. Pauli. Quid primum vobis in principio Evangelii scripsit*, &c.

723 Jam vero in 2. Epist. ejusdem S. Clementis, quæ etiam recipitur fere ab omnibus ut genuina, num. 3. dicitur: »Ait vero etiam ipse (Christus): *Qui me confessus fuerit in* »*conspectu hominum*, *confitebor ipsum in conspectu Patris mei*; nimirum ex Matth. cap. 10. v. 32. Et n. 4. *Non omnis qui dicit mihi*, *Domine*, *Domine*, *salvabitur*, *sed qui facit justitiam*; ut Matth. c. 7. v. 21. Et n. 6. » Dicit autem Dominus: *Nul*»*lus servus potest duobus dominis servire* . . . *Quæ utilitas*, *si* »*quis universum mundum lucretur*: *animam autem detrimento* »*afficiat*«? ut habetur Matth. 16. v. 26. & Luc. 16. v. 13. Item num. 9. » Dominus dixit: *Fratres mei sunt ii*, *qui faciunt* »*voluntatem Patris mei*«; ut Matth. 12. v. 50. Hæc adeo sunt perspicua, ut non satis mirari possimus Frereti cæcitatem, & impietatem (1).

(1) Objicit tamen ille ejusdem Clementis verba in cit. Epist. 2.

724 Pauca nunc ex genuinis Epistolis S. Ignatii M. & ex Epistola S. Polycarpi, qui etiam fuere Patres Apostolici. Itaque S. Ignatius in Epist. ad Ephesios c. 14. ait: *Manifesta est arbor ex fructu ipsius.* Quod est desumptum ex Matth. c. 12. v. 33. In Epist. ad Polycarpum n. 2. *Prudens esto sicut serpens* in omnibus; *& simplex ut columba*; ut Matth. c. 10. v. 16. In Epist. ad Smyrnæos n. 6. refert illud: *qui capit, capiat*, ex Matth. c. 19. v. 12. Et n. 3. »Ego, *inquit*, »& post resurrectionem eum in carne novi, & credo esse. »Et quando ad eos qui cum Petro erant, venit, inquit ipsis: »*Apprehendite, palpate me, & videte, quod non sum dæmo-*»*nium incorporale* (1). Et confestim ipsum tetigerunt, atque

---

n. 5. »Ait enim Dominus: *Eritis veluti agni in medio luporum.* »Respondens autem Petrus ei dicit: Si ergo lupi agnos discerpserint? »Dicit Jesus Petro: *Ne timeant agni post mortem suam lupos*; & »*vos nolite timere eos, qui occidunt vos, & post nihil vobis possunt fa-*»*cere*; *sed timete eum, qui postquam mortui fueritis, habet potesta-*»*tem animæ, & corporis, ut mittat in gehennam ignis*«. His relatis verbis, Freretus inquit: »Tout le mond convient que ces paro-»les sont de quelques livres apocryphes; il est constant que cette »conversation de J. C. & de St. Pierre n' est point dans nos Evan-»giles«. *Totus mundus in eo convenit, quod hæc verba sunt aliquorum librorum apocryphorum; constat, hunc dialogum inter J. C. & S. Petrum non reperiri in nostris Evangeliis.* De sensu verborum Christi ne ipse quidem Freretus dubitat, quin reperiatur Matth. 10. v. 16. & 28. & Luc. 12. v. 4. sq. *Le sens s' y trouve.* Itaque tota difficultas est in dialogo. Verum quænam consequentia hæc est: Dialogus ille non reperitur in nostris Evangeliis; ergo verba Clementis desumpta sunt ex libris apocryphis? Anne omne illud quod non reperitur in nostris Evangeliis, pertinebit ad libros apocryphos? Quid talibus libris Clemens indigebat, qui discipulus fuerat S. Petri? Nonne poterat ex ejusdem Petri ore audivisse dialogum illum? Auctoritas Cotelerii, cui Freretus fidit, nihil nos movet; non enim cuipiam subscribimus, nisi ratio permoveat.

(1) Hæc verba Freretus in nostris Evangeliis reperire non potuit, quamvis Luc. 24. v. 39. dicatur: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Itaque contendit, fuisse desumpta ex Evangelio *secundum Hebræos.* Testatur id quidem S. Hieronymus in l. de Script. Eccl. in *Ignatio*, ubi memorans ejus Epistolam ad Philipp. »In qua, *inquit*, & de Evangelio, quod nuper à »me translatum est, super persona Christi ponit testimonium dicens: »*Ego vero & post resurrectionem*, &c. ut in textu relato. Verum

»crediderunt «. Insuper in ejusdem Ignatii Epistolis multa desumpta sunt ex Actis Apostolorum, & ex Epistolis S. Pauli. Præterea in Actis sinceris Martyrii ejusdem S. Ignatii describuntur verba Matth. 18. v. 3. sq. *Nisi quis seipsum humiliaverit, ut hic puellus, non intrabit in regnum cœlorum: & qui unum ex talibus pueris susceperit in nomine meo, me suscipit.*

725 Polycarpus autem in Epist. ad Philippenses n. 2. profert illud Matth. 7. v. 1. & Luc. 6. v. 37. *Nolite judicare, ne judicemini: dimittite, & dimittetur vobis.* Et illud Luc. 6. v. 20. *Beati pauperes, & qui persequutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum Dei.* Et n. 8, illud Matth. 6. v. 13. *Ne nos inducas in tentationem*; & illud Matth. 26. v. 41. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Multa quoque laudat ex Actis Apostolorum, & ex Epistolis Petri, Pauli, & Joannis. Ad hæc tam congruentia cum nostris Evangeliis, cæterisque libris Novi Testamenti, quis nisi stultus dicere potest, eadem Evangelia ignota fuisse Patribus Apostolicis (1)?

Hieronymus ipse in cap. 12. Matth. de eodem Evangelio dicit: »In »Evangelio, quo utuntur Nazareni, & Ebionitæ, quod nuper in »Græcum de Hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur à ple»risque Matthæi authenticum, &c.« Non tamen super Hebraico illo Evangelio, sed super Græco emendavit textum Latinum Matthæi. Vide Tillemont. Tom. 2. pag. 395. Utut sit, certum est, verba Ignatii consentanea esse cum verbis Lucæ. Si autem Freretus stare vult testimonio S. Hieronymi referentis verba Ignatii ad Evangelium *secundum Hebræos* (quod quidem nihil continebat Fidei contrarium; alioquin Hieronymus illud non vertisset in Græcam, & Latinam linguam); cur non vult stare eidem Hieronymo ajenti, à *plerisque* illud vocari *Matthæi authenticum*? Denique concedamus, Ignatium fuisse usum Evangelio Matthæi *secundum Hebræos*; quid inde conficitur? An propterea negavit nostra Evangelia? Ignatius consuetudinem habuit cum Polycarpo, ut ex ejus Epistola ad ipsum. Polycarpi discipulus fuit Irenæus, qui expresse meminit quatuor Evangeliorum. Quis credere potest, hæc, in tanta temporum propinquitate, nota fuisse Irenæo, ignota Polycarpo, & Ignatio? maxime quia Irenæus ex illis impugnat Gnosticos, cæterosque priscos hæreticos.

(1) Fatetur Freretus, convenientiam quamdam esse inter scripta Patrum Apostolicorum, & nostra Evangelia. At vero ait: »La con»formité de quelques passages des anciens peres avec des textes de »l' Evangile ne prouve pas que ces premiers autheurs l' ajent voulu »citer lorqu' ils écrivoient; il seroit bien surprenant qu' ils eussent

726 Restat, ut aliqua dicamus de suppositis, & apocryphis operibus. Non negamus, Epistolam Jesu Christi ad Abgarum esse apocryphum (1), quamquam Eusebius illam describat ut veram. Execramur ut impios libros magiæ ab Ethnicis Christo

---

» connu nos Evangélistes sans en avoir jamais parlé «. *Convenientia quarumdam auctoritatum antiquorum Patrum cum textibus Evangelii non probat, primos illos auctores voluisse ea citare, cum scribebant; mirum nimis esset, quod illi Evangelistas cognovissent, quin de ipsis umquam fuissent loquuti.* Formidabile argumentum, & dignum plane veterana Frereti ratiocinandi peritia! Peto, utrum in paucis, quæ exstant, genuinis operibus Patrum Apostolicorum distincta mentio fiat singulorum Apostolorum? Non reperiet illam Freretus. Quid ergo? Patres Apostolici non fuerunt loquuti de singulis Apostolis; ergo Apostolos ignorarunt? Ridiculum! Peto insuper, an S. Ignatius nominaverit Evangelium *secundum Hebræos*, ex quo vult Freretus fuisse accepta ejus verba, ut diximus not. præc. Nihil minus. Si valet argumentatio, Ignatius nescire debuit Evangelium *secundum Hebræos*; quia si novisset, de ipso fuisset loquutus. Quod si per Freretum valet: Ignatius citavit verba desumpta ex Evangelio *secundum Hebræos*; ergo novit illud, etsi minime nominaverit; cur non valebit: Patres Apostolici citarunt verba desumpta ex quatuor Evangeliis, ut ostensum est; ergo noverunt illa, etsi ea non citaverint? Tam egregius dialecticus Freretus fuit, ut non viderit, retorqueri in ipsum sophisma posse. Nullum majus signum cogniti libri, ejusque auctoris, quam citatio verborum, quæ in ejus libro reperiuntur.

Verum habemus expressam mentionem nostrorum Evangeliorum in Papia, qui floruit primo Ecclesiæ sæculo, apud Eusebium l. 3. Hist. c. 39. ubi Papias narrat, Matthæum scripsisse Evangelium Hebraico sermone; Marcum vero interpretem Petri illud prætexuisse, ut à Petro audierat. In Actis sinceris Martyrii S. Ignatii idem Ignatius dicitur discipulus Joannis Evangelistæ: μαθητὴς τοῦ Ἰωάννου Εὐαγγελιστοῦ. Quare additur τὸ *Evangelistæ*, nisi ut discriminetur ab aliis Apostolis, qui Evangelium non scripserunt? De Evangelio Lucæ exstat testimonium ejusdem Papiæ in Fragmento edito in Diss. 4. n. 11. post Danielem secundum Septuaginta, edit. Romanæ ann. 1772. & de eodem Lucæ Evangelio loquitur Apostolus 2. ad Cor. 8. v. 18. cum ait: *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.*

(1) Exstat inter apocrypha in Decreto Gelasiano. Christus doctrinam suam non tradidit scripto. Vide S. Thom. 3. p. q. 42. a. 4. & Natalem Alex. Hist. Eccl. 1. sect. diss. 3. & Mamachium Orig. lib. 2. c. 3. §. 25. not. 4. pag. 300.

suppositos (1). Non dubitamus, in Constitutionibus Apostolicis plures memorari *venenatos libros* nomine Christi, & discipulorum ejus à Simone, & Cleobio compositos, vulgatosque (2). Concedimus severioribus Criticis, libros Sibyllinos, qui exstant, fuisse suppositos (3). Negamus tamen, supposita fuisse Acta Pilati ad Tiberium super vita, morte, & miraculis Christi, prout citantur à Tertulliano (4); etsi interpolata fuerint ea, quæ proferebantut à Quartodecimanis (5); non enim Tertullianus ea

---

(1) Legat Freretus quæ in cit. c. 10. l. 1. de cons. Evang. ait S. Augustinus de illis libris ab Ethnicis confictis: *in qua*, inquit, *fallacissima audacia sic excæcati sunt, ut etiam à pueris, qui adhuc puériliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur.* Merces plane Frereto dignæ. Leg. S. Thom. a. cit.

(2) Quid de ejusmodi scriptis censeat Auctor ille Constit. lege in eodem cap. 16. l. 6. Impii libri erant ad decipiendum, ut Frereti Examen criticum.

(3) Nolumus disputare de Sibyllinorum librorum authenticitate. Innumeri pæne sunt Critici etiam recentiores, qui stant pro eorum veritate, Baronius in Apparat. ad Annal. n. 18. Ludovicus Vives in l. 1. S. August. de Civ. Genebrardus in Chronograph. Natalis Alex. Tom. 1. Hist. Eccl. 1. sect. diss. 1. prop. 2. & ex Acatholicis Grotius de ver. Relig. Christ. lib. 1. §. 22. Schmidius triplici orat. ad calcem N. Testam. à se editi, Beveregius de orac. Sibyll. in Collect. Coteler. aliique multi; licet fateantur, libros Sibyllinos exstantes non esse prorsus incorruptos. Certe Patres oracula Sibyllina Ethnicis præsertim objecerunt, S. Justinus M. Cohort. ad Græcos, S. Theophilus Antiochenus ad Autolycum, Lactantius l. de falsa Relig. c. 6. S. Augustinus in libris de Civ. Dei, S. Hieronymus l. 1. adv. Jovinianum, Clemens Alexand. sæpe in libris Strom. Porro si libri Sibyllini fuissent suppositi ab aliquo Christianorum secundo Ecclesiæ sæculo, nonne Patres Ethnicis eos objicientes, reddidissent se deridiculos? nonne Ethnici de falsitate illos statim accusassent; atque ita prodita fuisset, non propugnata Christianæ Religionis causa?

(4) Præter Tertullianum Apolog. c. 5. & 21. eorumdem Actorum meminerunt S. Justinus Apol. 2. Eusebius l. 2. Hist. c. 2. Chrysostomus Hom. 26. in 2. ad Cor. Orosius l. 7. Hist. c. 4. aliique Quare de illorum sinceritate, prout à Patribus laudantur, minime dubitant universim Critici, Grotius de ver. Christ. Rel. l. 2. §. 2. Isaacus Vossius tract. de Sibyllis, Casaubonus exerc. 16. in Baron. Vide Natalem Alex. Hist. Eccl. sect. 1. c. 4.

(5) Adeatur Natalis loc. cit. & Sixtus Senensis Bibl. Sanct. l. 2. qui ibid. refert quædam Acta Pilati, à se inventa, quæ dicit esse

objecisset Ethnicis, Christianorum agens causam, nisi de iis constaret apud Ethnicos ipsos; alioquin ludibrio fuisset exceptus. Denique non inficiamur, multa prodiisse Evangelia vel impia, vel apocrypha (1); neque ducimus inquirendum de Liturgiis Apostolis attributis (2), de libris Areopagiticis (3), de Constitutionibus Apostolicis (4), deque suppositis Actis Martyrum, & Sanctorum (5). Hisce omnibus Frereto concessis, addito etiam catalogo aliorum multorum librorum apocryphorum, quos ille recenset; quidnam inde consequitur? Expendamus ejus argumentum: Tot libri fuere suppositi; ergo supposita fuerunt etiam quatuor nostra Evangelia. Negamus consequentiam, & retorquemus argumentum. Inter tot libros suppositos Evangelia nostra habita sunt à primo Ecclesiæ sæculo tamquam genuina, ut ostensum est (6). Ergo nostra Evangelia non fuere supposita. Nam si habita sunt ut genuina inter tot opera supposita, oportuit, ut omnino constaret de eorum authenticitate. Proferat Freretus vel unum librum apocryphum, qui habitus in Ecclesia Catholica fuerit aliquando ut divinitus inspiratus, quemadmodum nostra Evangelia. Receptus quondam à nonnullis fuit liber Pastoris, recepta Epistola S. Barnabæ attributa, receptæ Constitutiones Apostolicæ, Itinerarium S. Petri, Homiliæ Clementinæ, Evangelium secundum Hebræos, & secundum Ægyptios, &c. At numquam Ecclesia Catholica eos libros ha-

---

nugis, & mendaciis referta. Sed hæc longe diversa sunt ab Actis memoratis à Tertulliano, de quorum veritate nullo modo dubitari potest, cum ea pro Christianis Romæ objiceret Imperatori, ac Senatui Romano.

(1) Legatur S. Hieronymus proœmio Comment. in Matth.

(2) Card. Bona l. 1. Rerum Liturg. c. 8. ubi agit de Liturgiis Apostolorum, explodit quidem illam editam sub nomine S. Petri, & dubias putat eas, quæ tribuuntur Matthæo, & Marco; sed adstruit tamquam sinceram Liturgiam S. Jacobi. Quod & fecerat Allatius Epist. ad Bartoldum Nihusium.

(3) Libros qui S. Dionysio Areopagitæ inscribuntur, eidem vindicat Natalis Alexander Hist. Eccl. sect. 1. diss. 22. aliique multi.

(4) De Constitutionibus, quæ Apostolicæ dicuntur, vide eumdem Natalem loc. cit. diss. 19. & Cotelerium in Notis ad easdem Constitutiones.

(5) Etsi non negemus, pleraque Sanctorum Acta esse apocrypha, multa tamen SS. Martyrum Acta sincera sunt, quæ Ruinartius collegit.

(6) §. 718. sqq.

buit ut Divinos, quemadmodum nostra Evangelia. Hoc probare Freretus debuerat, ut quidpiam concluderet; sed minime probavit, neque probare poterat. Igitur ex libris suppositis non solum nihil derogatur authenticitati Evangeliorum, sed ea apprime demonstratur.

727 Ad secundum negamus, non fuisse examini subjecta Jesu Christi miracula, miramurque summam, incredibilemque Frereti impudentiam id adserentis (1). Nam si sermo sit de miraculis ante mortem à Christo patratis, quodnam severius institui de illis examen poterat? Mittimus cætera, utque expendantur optamus miracula dumtaxat cæci nati à Christo illuminati, & Lazari à mortuis excitati. De cæco illo, ut narratur Joann. 9. quidam dubitabant, an ipse esset, an alius ei similis. *Ille vero dicebat: Quia ego sum.* Quæsitum fuit, quomodo ejus oculi essent aperti. Ille vero seriem miraculi fuit contestatus: *abii, lavi, & video.* Adductus ille fuit ad Pharisæos: ab his fuit iterum interrogatus, *quomodo vidisset.* Iterum ille respondit: *Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video.* Schismate inter Pharisæos ipsos exorto, interrogant iterum cæcum: *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* Vocati sunt parentes ejus qui viderat, & fuere interrogati, an ille esset filius eorum; & quomodo videret? Contestantibus illis, *quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est*; rursus vocatus fuit homo qui cæcus erat, & interrogatus, ut daret gloriam Deo; tandem eidem perseveranti in confessione miraculi maledixerunt, & ejecerunt eum foras. Quænam diligentior investigatio fieri poterat de rei veritate? Attamen Freretus impudentissime scribit, nullam esse probationem, qua constet examen à Judæis institutum de Christi miraculis.

728 Lazari resurrectio tam fuit explorata, ut nemo de ipsa potuerit vel minimum dubitare. Mors ejus certo constiterat: nam quatuor elapsi erant dies, & cadaver positum erat in monumento. Resurrectio negari non poterat; ideoque ut dicitur Joann 11. Pontifices, & Pharisæi inde occasionem sumpserunt cogendi concilium, ut caperent Jesum, timentes, ne

(1) Exam. c. 3. » On n' a aucune preuve que les miracles de » J. C. aient été examinés par les Juifs & par les Gentils «. *Nulla exstat probatio, quod Jesu Christi miracula ad examen revocata fuerint & à Judæis, & à Gentilibus.* Potestne esse mendacium impudentius?

omnes crederent in eum ; & principes Sacerdotum , ut dicitur Joann. 12. v. 10. sq. cogitaverunt , *ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis , & credebant in Jesum* (1). Quid ad hæc Freretus ? Adhuc perstabit in perquirenda probatione examinis Judæorum ? Magna cæcitas , in meridie non videre. Adeatur S. Thomas 3. p. q. 43. a. 4. ubi ostendit , miracula à Christo patrata ejus Divinitatem manifestasse.

729 Si autem sermo sit de miraculis post Christi mortem sive ab ipso patratis , sive ejus virtute ab Apostolis , aliisque sanctis viris ; æque falsum est , ea non fuisse vocata ad examen. Ne singula persequamur (quod infinitum esset), satis erit in mentem revocare claudum illum ex utero matris suæ , qui sedebat ad portam templi , quæ dicebatur Speciosa , ut habetur Act. 3. Hunc Petrus in nomine Jesu Christi Nazareni fecit surgere , & ambulare in testimonium Resurrectionis Jesu Christi à mortuis. Hunc *vidit omnis populus ambulantem , & laudantem Deum.* In hoc miraculum diligentissime inquisierunt *Sacerdotes , & Magistratus templi , & Sadducæi* , ut refertur Act. 4. v. 1. Et v. 5. sqq. dicitur: *Factum est autem in crastinum , ut congregarentur principes eorum , & seniores , & Scribæ in Jerusalem. Et Annas princeps Sacerdotum , & Caiphas , & Joannes , & quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio , interrogabant : In qua virtute , aut in quo nomine fecistis hoc vos ?* Requiretne Freretus judices graviores , & severiores , præsertim , quia convenerunt etiam Sadducæi , qui erant ex numero incredulorum ? Quid vero illi profecerint , describitur ibid. v. 13. sq. » Videntes » autem Petri constantiam , & Joannis , comperto , quod homi- » nes essent sine litteris , & idiotæ , admirabantur , & cogno- » scebant eos , quoniam cum Jesu fuerant. Hominem quoque vi- » dentes , qui curatus fuerat , nihil poterant contradicere. Jus- » serunt autem eos foras extra concilium secedere , & confe- » rebant ad invicem , dicentes : Quid faciemus hominibus istis?

(1) Egregie S. Augustinus tract. 10. in Joann. » Quia tantum » miraculum Domini tanta erat evidentia diffamatum , tanta manifesta- » tione declaratum , ut non possent vel occultare quod factum est, » vel negare : quod invenerunt videte. Cogitaverunt autem principes Sa- » cerdotum , ut & Lazarum interficerent. O stulta cogitatio , & cæca sæ- » vitia ! Dominus Christus , qui suscitare potuit mortuum , non pos- » set occisum « ?

„quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus „habitantibus Jerusalem; manifestum est, & non possumus „negare. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur „eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum «. Videtis, nullam fuisse prætermissam diligentiam à Sacerdotibus, & Magistratibus templi, & Sadducæis, atque ab omnibus qui erant de genere sacerdotali, ut veritatem facti expenderent. Homo, qui fuerat curatus, erat annorum amplius quadraginta; antequam curaretur, bajulabatur, & ponebatur quotidie ad portam templi, ideoque omnibus introeuntibus in templum notus erat; ipse per se, etiam tacentibus Apostolis, prodigium contestabatur; contradici facto non poterat; & nihilominus à Sacerdotibus Judæorum conferebatur: & cum non possent prodigium negare, silentium indicebant. In quodnam factum fuit umquam diligentius inquisitum? Et tamen Freretus adhuc probationes miraculorum Christi desiderat (1). O stultitiam singularem! o delirationem incredibilem!

730 Quod vero ad Gentiles pertinet, falsum est, ipsos ad examen non revocasse miracula Christi, & Apostolorum; non enim cæco modo conversi fuerunt ad Fidem. Si autem universus mundus non statim credidit, id non est tribuendum defectui diligentis examinis miraculorum, sed malis hominum consuetudinibus, quæ gratiæ Dei impedimenta ponebant, efficiebantque, ut miracula, quæ nullo modo negari poterant, vel spernerentur, vel falsis diis tribuerentur. Id apprime constat cum ex aliis multis, tum ex miraculo à Paulo Lystris patrato in curatione claudi ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat. Quod quidem prodigium Gentiles cum negare non possent, dicebant: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium*, ut habetur Act. 14. v. 10. sq.

731 Mentitur autem Freretus, cum dicit, Apostolos non nisi vili populo potuisse ea persuadere. Act. 6. v. 7. legitur: *Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde; multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Hæc Sacerdotum turba eratne vilis populus? Quid memo-

(1) Neque dicat, narrationem illam auctorem habere Lucam Actorum scriptorem, qui non est testis idoneus. Nam Lucas hæc scribebat eo tempore, quo Judæi infensissime persequebantur Christianos; ideoque si Lucas minus vera narrasset, ipsum falsitatis accusassent.

rem Stephanum plenum sapientia? quid Paulum? quid Ananiam? quid Nathanaelem? quid Gamalielem? quid Barnabam? quid Nicodemum? quid Andronicum, & Juniam, de quibus Apostolus ad Rom. 16. v. 7. *Salutate Andronicum, & Juniam cognatos, & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis*? Quid Apollum Alexandrinum, hominem eloquentem, & potentem in Scripturis? quid denique alios innumeros ex Judæis doctissimos? Veniam ad Gentiles. Certe Cornelius ex vili non erat populo, nec similiter Proconsul Sergius Paulus, neque Dionysius Areopagita, neque Eunuchus ille potens Candacis Reginæ Æthiopum. Pudens quoque, de quo Apostolus 2. ad Tim. 4. v. 21. non erat ex vili populo: nam ex senatorio erat ordine. Ii quoque, de quibus idem Apostolus ad Philipp. 4. v. 22. *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt*, ad vilem populum non pertinebant; nisi Freretus velit, hoc ipso ad vilem populum pertinuisse, quod Jesu Christo nomen dederint. Si autem ad eos, quos Apostolorum discipuli pepererunt Christo, attendamus; quam magnam videbimus turbam Philosophorum doctissimorum, hominumque nobilitate, ac dignitatibus præstantium. Nullus esset dicendi finis, si percensere vellemus omnes. Hæc Freretus non ignorabat, & nihilominus dissimulavit ad simplices decipiendos. Talis est bona fides istiusmodi incredulorum (1).

(1) Hæc cum sint, legi absque indignatione non possunt quæ Freretus scribit loc. cit. c. 3. » Malgré l' éclat de tous les miracles » que les chrétiens attribuent à J. C. les apôtres ne se font suivre » que d' une vile populace toujours facile à seduire. Les personnes » distinguées par leur rang & par leur esprit reçoivent avec un sou» verain mépris cette nouvelle religion «. Mutuatus hæc Freretus fuit ex Celso apud Origenem l. 3. n. 44. & ex Cæcilio apud Minucium in Octavio. Idipsum objiciebat Julianus Apostata apud S. Cyrillum Alex. l. 7. cont. Julian. Quam calumniam dispellit Minucius loc. cit. & Justinus M. Apol. 2. n. 10. & Lactantius Inst. l. 5. c. 13. Quod autem Freretus objicit ex Apostolo 1. ad Cor. 1. v. 26. *non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, nihil efficit. » Dicit, *non multi sapientes secundum carnem* (inquit S. Thomas » ibid. lect. 4.), quia aliqui pauci erant etiam in sapientia mundana » instructi, sicut ipse, & Barnabas . . . Dicit, *non multi potentes*, scilicet secundum sæculum . . . Dicit, *non multi nobiles*. Et ali» qui inter eos nobiles fuerunt, sicut ipse Paulus «. Vide Chrysostomum Hom. 5. in cap. 1. Epist. 1. ad Cor. & Origenem lib. 3. cont. Celsum n. 48. sq. Præterea, ut idem S. Thomas ibid. observat, Apo-

732 Denique falsum est, quod Freretus idem ait, probabile non esse, Judæos & Gentiles Religionem Christianam vexare voluisse, si fuissent convicti de Christi miraculis. Ex descriptis enim miraculis tantopere contestatis perspicuum est, Judæos, & Gentiles incredulos veritati evidentissime propositæ, quam negare nullo modo poterant, obstinantissime restitisse; non absimili ratione ac impii ætatis nostræ, qui etiamsi videant gloriam Crucis Christi toto orbe radiantem, obstinati perstant in sua incredulitate. Utique Judæi, si sapientiam Dei in mysterio absconditam cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, ut ait Apostolus 1. ad Cor. 2. v. 8. quo loco abutitur Freretus; sed quod non cognoverint, ex eorum malitia, & perfidia fuit (1).

733 Ad tertium respondemus, nihil detractum iri veritati Christianæ Religionis, etiamsi concederetur, non omnes Apostolos per martyrium ex hac vita migrasse. Nam dici posset, quod de Apostolo Joanne ait Hieronymus (2), *martyrio ani-*

---

stolus loquebatur non de iis, qui convertebantur ad Christum, sed de illis, qui Evangelium prædicabant, quorum primi erant Apostoli; & idcirco statim subdit v. 27. » Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, » ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat » fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ » non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret: ut non glorietur omnis ca» ro in conspectu ejus «. In hoc ergo manifestata fuit Dei potentia, & veritas Christianæ Religionis, quod per insipientes mundi fusi sunt sapientes secundum carnem; per infirmos, potentes; per ignobiles, nobiles.

(1) Vide S. Thom. in c. 2. Epist. 1. ad Cor. lect. 2. Idem Angelicus 3. p. q. 47 a. 5. jampridem contriverat Frereti sophisma: nam quærens, utrum Christi persequutores eum cognoverint, distinguit inter Judæos majores, & minores. Ac de majoribus, id est, principibus ait, ipsos cognovisse, Christum esse Messiam in Lege promissum, quia in eo videbant signa à Prophetis prædicta: ignorasse autem mysterium Divinitatis ejus, de qua ignorantia loquitur Apostolus loc. cit. sed eorum ignorantia fuit affectata, quippe videbant in illo evidentia signa Divinitatis, quæ tamen ex odio, & invidia pervertebant; ideoque excusationem non habebant de peccato suo, ut dicitur Joann. 5. De minoribus autem, quibus mysteria Scripturæ non erant perspecta, ait, ipsos non plene cognovisse Christum, etsi aliquando dubitaverint propter signorum multitudinem, & efficaciam doctrinæ; fuerunt tamen decepti, & seducti à principibus, ne in Christum crederent, licet aliqui eorum in Christum crediderint.

(2) Lib. 3. in Matth. cap. 20.

mum non defuisse, & bibisse calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem. Quæ æque valida esset contestatio in tam multis mortis subeundæ periculis tam fortiter obitis. Negamus autem, non omnes Apostolos martyrium subiisse. Nam de SS. Petro, & Paulo, quod hic Romæ martyrio fuerint coronati sub Nerone, explorata res est (1). De S. Andrea testatur Hieronymus (2), *cruci* fuisse *suffixum ab Ægea præfecto Edessenorum.* De S. Jacobo, qui frater Domini appellatur, idem Hieronymus (3): *Juxta templum*, ait, *ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est.* De Jacobo filio Zebedæi idem Hieronymus scribit (4): *Interfectus est autem gladio ab Herode*; ut habetur Act. 12. v. 2. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* De Joanne Evangelista idem Hieronymus (5) ex Tertulliano (6) refert, quod *Romæ missus in ferventis olei dolium, vegetior exiverit, quam intraverit*: quod satis fuit, ut martyrii calicem biberet. De cæteris Apostolis exstat traditio Ecclesiæ Catholicæ, quæ illos semper ut Martyres est venerata. Cujus quidem traditionis testem habemus S. Polycarpum in Epistola ad Philippenses n. 9. ubi eos exhortans ad patientiam, & tolerantiam: „ Rogo, *inquit*, vos omnes insistere verbo „justitiæ, & patientiæ, quam & oculata fide vidistis non „solum in beatissimis illis Ignatio, & Zosimo, & Rufo, sed „& in aliis qui ex vobis sunt, & in ipso Paulo, & *cæteris „Apostolis*“. Consentit Clemens Alex. Strom. 4. pag. 503. scribens: „ Dominus . . . bibit calicem. Quem imitantes Apostoli, „ut qui revera essent cognitione præditi, & perfecti, pro Ec„clesiis quas fundarunt, passi sunt“. Hegesippus etiam apud Eusebium (7): *Sacer*, inquit, *Apostolorum cœtus vario mortis genere exstinctus est.* Origenes autem (8) inde probat veritatem doctrinæ ab Apostolis annunciatæ, quia nisi ea vera fuisset, *tanta constantia non annunciassent, ut non solum aliis mortis despectum instillarent, sed etiam ipsi priores hanc subirent.*

(1) Vide Baronium ad ann. Christi 69.
(2) L. de Script. Eccl. in Andrea.
(3) Ibid. in Jacobo fratre Domini.
(4) Ibid. in Jacobo filio Zebedæi.
(5) L. cont. Jovinianum.
(6) L. de Præscript. cap. 36.
(7) Lib. 3. Hist. cap. 32.
(8) Lib. 2. cont. Celsum num. 56.

Quo argumento utitur etiam S. Isidorus Pelusiotes (1). »Quo»nam pacto, *inquit*, digni, quibus fides haberetur, testes non »essent, qui per sexcenta pericula, & mortis genera resurrecti»onis veritatem confirmarunt, testimoniumque suum non atra»mento, sed cruore suo obsignarunt«?

734 At *Heracleon*, inquit Freretus (2), *auctor Ecclesiasticus secundi sæculi, pro certo statuit Matthæum, Thomam, Philippum, pluresque alios Apostolos naturali morte obiisse.* Quinam is Heracleon? videlicet hæreticus *Valentinianus*, quem ipsemet Clemens Alexandrinus (3), in eo quem Freretus citat loco, redarguit. Isne testis aptus, qui contendebat, utilius esse sancte vivere, quam martyrium subire pro Christo? ut ex ejus verbis à Clemente relatis.

735 Sed Ruinartius, addit Freretus (4), fatetur: *Quo mortis genere excesserint Apostoli, plane nobis ignotum est.* Mirum! Idemne est, ignotum esse mortis genus, ac esse ignotum martyrium Apostolorum? quasi in ipso martyrio varia non possint esse genera mortis.

736 Ad quartum respondemus, miraculum præcipuum, quo cætera Christi miracula ejus Divinitatem comprobantia confirmantur, esse admirabilem Evangelii propagationem per homines rudes, pauperes, despectos, & infensissime, acerbissimeque vexatos ad internecionem usque à Judæis, & à Gentilibus; illosque Religionem annunciantes, quæ indicebat bellum adversus carnem, & sanguinem, suadebatque mundi contemptum. Hoc est maximum miraculum, præsertim si contigisse dicatur absque ullo miraculo, ut dictum est (5). Id non modo Apostoli contestati sunt, cum *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, ut prædictum fuerat Psalm. 18. v. 5. sed testificantur Judæi toto orbe dispersi, sine Regno, sine Rege, sine Templo, sine Sacerdotio, ut ipse Christus prædixerat Lucæ 19. Testificantur & Gentiles, de quibus tandem Christus

---

(1) Lib. 2. Epist. 212.

(2) Exam. crit. cap. 3. »Héracléon auteur écclésiastique du se»cond siécle, assure que Mathieu, Thomas, Philippe, & plusieurs »autres apôtres sont morts de leur mort naturelle«. Videte malam fidem. In numero *auctorum Ecclesiasticorum* ponit hæreticum *Valentinianum*, cujus, ut Clemens Alex. loc. cit. pag. 502. ait, *in schola Valentini fuit maxima existimatio.*

(3) Loc. cit. (4) Loc. cit. (5) §. 708. sq.

triumphavit. Quid ergo concludunt increduli ex credulitate, & ruditate Apostolorum, quod non magis ac magis comprobet veritatem miraculorum Christi, ejusque Divinitatem?

737 Falsum est autem, quod Christi miracula testimonium non acceperint à Judæis, & à Gentilibus. Tot ex ipsis fuere testes, quot ad Christum conversi sunt; qui quidem fuere innumeri, etiam ex ipso cœtu Philosophorum; eosque sine ullo examine permotos fuisse ad credendum in Christum, incredibile omnino est. Ipsimet Judæi, atque Gentiles, qui in incredulitate perstiterunt, facere minime potuerunt, quin faterentur admirabilem illam Christianæ Religionis propagationem; ipsorumque multi vel inviti in Christi (1), Christianorumque laudes, etiam dum eis maledicebant, effundebantur (2). Igitur ad-

(1) Exstat celebre de Jesu Christo Josephi testimonium l. 18. Antiquit. c. 6. quod S. Hieronymus l. de Script. Eccl. in Josepho ita describit: » Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & » doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de » Judæis, quam de Gentibus sui habuit sectatores, & credebatur esse » Christus. Cumque invidia nostrorum principum, cruci eum Pilatus » addixisset, nihilominus qui eum primum dilexerant, perseverarunt. » Apparuit enim eis tertia die vivens: multa & hæc & alia mirabi» lia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & usque hodie » Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum, non defecit «. Scimus plures esse, qui hunc locum falso adscriptum Josepho dicunt, quos recenset noster Mamachius Orig. & Antiq. Christ. l. 2. c. 4. §. 5. Sed innumeri sunt, qui illum genuinum esse defendunt, ut ipsemet Mamachius animadvertit ibid. multis eorum citatis etiam ex Protestantibus. Certe universi veteres Codices conveniunt, nec ullus fuit Veterum, qui de ejus sinceritate dubitarit.

(2) Quia Freretus loc. cit. rabiem suam in Christianum nomen furenter convertens, Taciti, Suetonii, & Plinii junioris testimonia profert; abs re non erit, ea hic describere, ut ex hostium testificatione veritas comprobetur. Itaque Tacitus Annal. l. 15. describens incendium, quod Romæ Nero excitari jusserat: » Ergo, *inquit*, abo» lendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, » quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor no» minis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pon» tium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabi» lis superstitio rursus erumpebat, *non modo per Judæam* originem » ejus mali, sed *per vrbem etiam*, quo cuncta undique atrocia, aut » pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fate» bantur; deinde indicio eorum *multitudo ingens*, *haud perinde in*

seri non nisi mendacissime, iniquissimeque potest, miracula Christi nullum sive à Judæis, sive à Gentilibus testimonium accepisse.

738 Quod autem Freretus addit de Resurrectione Christi, quod debuerit manifestari omnibus, & non tantum Apostolis, discipulis, & mulieribus, quia Fides Christiana in Christi Resurrectione fundatur; putidissima objectio est, quam sibi jam olim refutandam opposuerat Angelicus Doctor; quærens enim 3. p. q. 55. a. 1. *utrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari*, hanc egregiam doctrinam tradit, qua incredulorum configitur impietas; nimirum, circa ea quæ divinitus revelantur, hanc esse à Deo institutam legem, *ut à Deo immediate superioribus revelentur, quibus mediantibus deferantur ad*

» *crimine incendii*, quam *odio generis humani* convicti sunt. Et per» euntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum » interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset » dies, in usum nocturni luminis urerentur «. Habemus igitur ex Tacito, Christianam Religionem, decimo imperii Neronis anno, quo Urbs, ipso jubente, deflagravit, id est, anno Christi 66. *non solum per Judæam*, sed *per Urbem etiam* fuisse propagatam, & quidem *multitudine ingenti*, quæ non ob crimen incendii, sed ob Christianam Religionem, quam Tacitus deorum cultui addictus superstitionem vocat, tam crudelibus suppliciis fuit affecta. Quod autem ille dicit, Christianos ob flagitia fuisse invisos, id accidit, vel quia deos constantissime detestabantur, ideoque habebantur ut impii; vel quia plures Christiano nomine vagabantur hæretici obscæna perpetrantes, nomenque Christianum infamantes. Potestne illustrius reperiri ex ore hostis infensissimi testimonium laudis pro Christiana Religione tam brevi tempore aucta *ingenti* hominum *multitudine*, qui pro Christo tam immania constantissime pertulere supplicia? Merito Tertullianus Apolog. c. 5. » Consulite, *ajebat*, commentarios: illic reperietis primum » Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem, Cæsariano » gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam glo» riamur; qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande ali» quod bonum à Nerone damnatum «. Quid ergo Freretus proficit, cum Taciti proferens testimonium, ait: » Personne n'ignore jusqu'où » alloit le mépris de Tacite pour cette secte nouvelle «. *Nemo ignorat, quousque devenerat Taciti contemptus hujusce novæ sectæ?* Contempsit utique Tacitus, quia ethnicismo erat mancipatus; at nolens confessus est miram Christianæ Religionis propagationem, & ingentem multitudinem Christianorum *etiam Romæ*, immanissima supplicia pro Christo constantissime passorum.

Veniamus ad Suetonium, de quo Freretus: » il loue Néron de

inferiores. Resurrectio autem Christi pertinet ad ea quæ revelantur; futura enim gloria excedit naturalem hominis captum. Non ergo omni populo manifestari immediate à Deo debuerat, sed testibus præordinatis à Deo, per quos ad cæteros deferretur. Et ibid. q. 36. a. 2. »Quæ à Deo sunt, *inquit*, ordinata sunt. Pertinet autem ad divinæ sapientiæ ordinem, ut Dei »dona, & secreta sapientiæ ejus non æqualiter ad omnes, sed »immediate ad quosdam perveniant, & per eos ad alios deriventur. Unde & quantum ad resurrectionis mysterium dici»tur Act. 10. quod Deus dedit Christum resurgentem manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo«. Hoc igitur ipso, quod Fides Christiana in Christi resurrectione fundatur, hæc non debuit manifestari omni populo. Quare sophisma in incredulos retorquetur.

» l'aversion qu'il avoit contre les chrétiens«. *Neronem laudat ob aversionem in Christianos.* Suetonii hæc sunt verba in *Nerone* c. 16. *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ, ac maleficæ.* Non ad alia quidem supplicia Suetonius respicit, quam ad illa, quæ descripsimus ex Tacito. An vero ob illa laudandus fuerit Nero, recusat vel ipse Tacitus. Suetonius ergo Neroni assentabatur. Meminerit autem Freretus loci ejusdem Suetonii in *Claudio* c. 25. ubi refert, sub Claudio Judæos, & cum ipsis omnes Christianos, qui tunc putabantur Judæi, fuisse Roma pulsos. Cum autem ipsemet Suetonius dicat, à Nerone, qui Claudio successit, fuisse Christianos suppliciis afflictos, palam est, odium Claudii erga Christianos nihil omnino retardasse, sed juvasse potius propagationem Christianæ Religionis; quemadmodum illam juvit crudelissima Neronis persequutio. Quid ergo ex Suetonii verbis?

Laudat denique Freretus Epistolam Plinii junioris ad Trajanum, ac scribit: »La fameuse lettre de Pline le jeune nous apprende que »le simple aveu du Christianisme passoit pour un crime capital«. *Celebris epistola Plinii junioris nos docet, simplicem Christianismi confessionem habitam fuisse tamquam capitale crimen.* Perditæ fidei homo iniquissime, itane adversus Christianam Religionem hac abuteris epistola, quæ gravissimum pro ejusdem Religionis veritate testimonium perhibet? Pauca describamus. Itaque ipsa epistolæ conscribendæ ratio ostendit, Trajani ætate, hoc est, anno Christi 104. quo epistola data fuit, immensam fuisse Christianorum multitudinem, quos Plinius in Bithynia, ubi Proconsul præerat, invenerat, ita ut consuli Imperator debuerit, ne tanta multitudo perderetur. Quærit igitur primum à Trajano, *an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant?* Quibus verbis demonstrat, non viros modo, sed & infantes paratos tunc

739 Ad quintum respondemus, augures quidem, & fatidicos exstitisse apud omnes nationes, Prophetas vero nusquam, nisi in solo Dei populo; falsitatem enim oraculorum, quæ apud

---

fuisse ad confitendam Christi Fidem inter tormenta. Pergit: *confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi.* Habemus hic confitentes Christum, & in ejus confessione perseverantes tam magna constantia, ut ad supplicia duci paterentur. Addit: *Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.* Mentitur ergo Freretus, cum ait, Christianos fuisse è populi fæce. De illis qui Christum negaverant, quamquam fuerant Christiani, ait: *dimittendos esse putavi.* Quod probat, reliquos non ob flagitia, sed unice ob Christianæ Religionis professionem fuisse mulctatos. Idque evidentius probant sequentia verba: » hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod » essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: » quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse; rursusque coeundi » ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium «. His autem cum multa declarantur pertinentia ad rationem vitæ priscorum illorum Christianorum, tum magna ipsorum innocentia comprobatur. Causam vero consilii ex Trajano petendi sic Plinius exponit: » Visa » est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim (*audiat Freretus*) omnis ætatis, *omnis ordinis*, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim *civitates* tantum, sed *vicos* etiam, atque *agros* superstitionis istius contagio pervagata est: quæ videtur sisti & corrigi » posse. Certe satis constat, prope jam *desolata* templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu *intermissa* repeti «. Plinio igitur teste, initio secundi Ecclesiæ sæculi innumerabilis erat numerus Christianorum *omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus* inter ipsas immanes tyrannorum persecutiones. Christiani opplebant *civitates, vicos*, & *agros*. Tantus erat eorum numerus, ut *desolata* essent templa, & idolorum *diu intermissa* sacrificia. Quod autem in Bithynia, idem contingebat ubique terrarum. Quis non videt in tam mirabili opere dexteram Domini?

At simplex confessio Christianæ Religionis (inquit Freretus) crimen erat capitale. Id autem majorem in modum omnipotentiam Dei in hoc opere manifestat. Crimen erat capitale simplex illa confessio: bonis omnibus spoliabantur, qui eam profitebantur: indigni reputabantur honoribus, dignitatibus, ipsaque vita, qui ut Christiani deferebantur: invisi erant propter flagitia, quæ eis falso imputabantur: & nihilominus inter tot infamias, pericula, tormenta, bonorum proscri-

Ethnicos jactabantur, testatus fuit apud Theodoretum (1) vel ipse Porphyrius, inquiens: *multis de rebus interrogati, mendaces sæpenumero inveniuntur*; & apud eumdem Theodoretum (2) Diogenianus ait: *Multa autem rerum eventa frustrari eos, qui divinatores, vatesque vocantur, testari poterit omnis hominum vita, ipsique testes erunt certissimi, qui divinandi artem profitentur* (3). Ostendant increduli falsitatem aliquam vel minimam in Prophetis nostris: id quod facere nullo modo poterunt. Nam eorum oracula ad amussim in Christo, & in ejus Ecclesia fuere completa: quod demonstrare facillimum esset, si per tempus liceret; demonstratumque jam est à multis (4).

740 Non negamus, plerasque Prophetias esse obscuras; quemadmodum multa alia in Scripturis contenta, obscura sunt ad edomandam nostram superbiam. Valde tamen negamus, inveniri in illis posse quidquid placet. Proferat Boulangierus vel unum tantum nostrorum Prophetarum oraculum, quod aptari ita possit: nos autem innumera proferemus, quæ in Christo fuere completa. Vel sola Danielis prophetia cap. 9. ita est evidens, ut Porphyrius putarit, eam confictam fuisse post eventum. Quod

---

ptiones, mortis genera, numerus Christianorum augebatur ex hominibus *omnis ætatis*, *omnis ordinis*, *utriusque sexus*, ac tam ingenti multitudine, ut eorum plenæ essent *civitates*, *vici*, *agri*, essentque propterea *desolata* falsorum numinum *templa*, & eorum *intermissa diu sacrificia*. Tantumne poterat error? Increduli ætatis nostræ totis viribus contendunt, ut Christianam Religionem exterminent. Quid vero proficiunt? si paucos libertinos excipias, inanis est eorum conatus. Omnia ad criticum examen se revocasse dicunt; quid vero? ne unus quidem recte sapiens reperitur, qui eorum stultitiam non defleat. Dicent, se rationibus, non armis, agere. At cæteri homines, qui Christiani sunt, forte sunt stipites? aut incredulis tantum inest ratiocinandi vis, cum tamen nihil minus sciant quam ratione uti? Quibus autem armis usa prioribus illis sæculis Christiana Religio fuit, nisi armis patientiæ & fortitudinis in perpetiendo? Vicit tyrannos sustinendo, deque ipsis insigni parta victoria triumphavit. Hæc est Dei virtus, & potestas Christi ejus, adversus quam portæ inferi non prævalebunt.

(1) Serm. 10. de cur. Græc. affect. (2) Ibid.

(3) Videri etiam possunt S. Augustinus l. 2. de Doctr. Christ. c. 23. Lactantius l. 2. Inst. c. 17. Et Eusebius in proœm. l. 6. de Demonst. & l. 5. Præpar. c. 10.

(4) Conferantur Huetius, & Bossuetus, & Bergierus.

tamen dici nulla ratione potest : nam Judæi ipsi non sunt ausi id affirmare (1). Destructio autem Regni Judæorum, & subversio civitatis Jerusalem à Christo prædicta, invictissimum est argumentum veritatis Religionis Christianæ (2).

---

(1) Ad Judæos se recipit Boulangierus, ac scribit : « Celles que » les Chrétiens attribuent à Jesus-Christ, ne sont point vues du mê- » me œil par les Juifs, qui attendent encore ce Messie, que ces pre- » miers croyent arrivé depuis 18. siécles «. *Prophetiæ illæ, quas Christiani Jesu Christo attribuunt, non eodem adspectu à Judæis respiciuntur, qui Messiam adhuc expectant, quem tamen Christiani advenisse credunt à decem & octo sæculis.* Desperatissima causa! Ad perfidos confugit Judæos, qui apertam vim inferunt oraculis Prophetarum? At nonne ii ipsi toto orbe dispersi, & in summum contemptum ubique adducti, dispersione ipsa sua ostendunt, oracula Prophetarum impleta esse in Jesu Christo Deo, ac Salvatore nostro, eumque esse Messiam promissum, quem frustra, & contra apertissimas prophetias adhuc venturum insanissime expectant?

(2) Audiamus quid Boulangierus ad hæc reponat : « Je réponds, » qu' il étoit facile de prédire la dispersion & la destruction d' un peu- » ple toujours inquiet, turbulent, & rébelle à ses maîtres ; toujours » déchiré par des divisions intestines : d' alleurs, ce peuple fut sou- » vent conquis & dispersé ; le temple, détruit par Titus, l' avoit » déja été par Nabuchodonosor, qui amena les tribus captives en As- » syrie, & les répandit dans ses états «. *Respondeo, nullo negotio prædici potuisse dispersionem, & destructionem populi jugiter inquieti, turbulenti, & à suis Principibus deficientis, jugiterque discerpti propter intestinas divisiones : aliunde fuit is populus sæpe confectus, ac dispersus ; templum à Tito destructum, jam fuerat destructum à Nabuchodonosore, qui transtulit tribus captivas in Assyriam, & in suas ditiones eas divisit.* In nota addit, constare evidenter ex Actibus Apostolorum, Judæos ante Christum fuisse dispersos per Græciam, Persidem, Arabiam, &c. Conglobata sophismata discutiamus. Fallitur Boulangierus, imo vero fallere vult, cum Prophetarum oracula coarctat ad simplicem dispersionem populi Judæorum. Non hæc tantum prædicta fuit, sed eversio civitatis Jerusalem, in qua Deicidium fuerat perpetratum, nec simplex eversio, sed talis, ut relinqui non deberet lapis super lapidem. Lucæ 19. v. 44. *Ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Et Matth. 24. v. 2. de templi ædificationibus dixit Christus : *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Ita autem completam fuisse sub Tito, testatur Josephus l. 7. de bello Judaico, ubi c. 10.

741 Quod dicitur de sanctorum Prophetarum moribus, iniqua calumnia est. Quænam arrogantia, & seditionum commovendarum studium in Samuele, qui à se abdicavit regendi populi potestatem, eamque in Saulem transtulit? quem si regno declaravit privatum, ac Davidem ei suffecit, id præstitit jubente Deo, in pœnam illius criminum. Quænam arrogantia, & seditio in Elia, qui nullum non movit lapidem, ut Achabum, & Jezabelem in officio contineret, arceretque ab injustitia, & impietate, nec umquam in suspicionem venit perduellionis? Quantum vero laborarit Jeremias pro incolumitate Regis Sedeciæ, cum Nabuchodonosor obsidebat Jerusalem, & in quam graves redactus fuerit angustias, constat ex ejus c. 37. & 38. Si autem Jeremias conspirasset cum Chaldæis, ut Boulangierus calumniatur; cur constanter recusavit

---

refert, templum incensum fuisse invito Tito. Quis autem nisi Divino Spiritu hæc tam asseveranter prædicere poterat, quæ ipso Tito repugnante contigerunt?

Conatus quidem fuit Julianus Apostata hujus oraculi veritati detrahere, ideoque facultatem Judæis fecit templi reædificandi. Sed non est potestas contra Dominum. Ammianus Marcellinus, ethnicus homo, qui sub Juliano militabat, l. 23. de nova hac excitatione templi Hierosolymitani scribens: *Metuendi*, inquit, *globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus.* Ita plane ad litteram completa est Christi prædictio. Nam quod Auctor Miscellan. tom. 3. c. 63. ad fabulas amandet hanc Marcellini narrationem, magis confirmat rei veritatem, cui obsistere nemo, nisi gratis negando, potest. Vide Nazian. Or. 4. n. 4. Hac de re diss. edidit Warburton.

Utique templum destructum sub Tito, fuerat ante destructum à Nabuchodonosore. Sed nonne etiam prior illa destructio fuerat à Prophetis prædicta? Adeatur Jerem. c. 25. & 29. & Isai c. 44. & 45. ubi prædicitur & abductio populi Judæorum in Babylonem, & captivitas septuaginta annorum, & postea reditus in patriam sub Cyro potestatem facturo reædificandi Jerusalem, & templum: quæ omnia ita ut prædicta fuerant, evenerunt. Quid ergo concludit Boulangierus?

Quod vero Judæi ante Christum dispersi essent in variis mundi regionibus, nec quidquam probat; dispersi enim erant, ut modo sunt & Itali, & Galli, & Hispani, & Germani, &c. in variis regnis, & ditionibus. At captivine erant, quemadmodum captivi sunt Judæi post Hierosolymitanum excidium, civili ubique gentium servituti subjecti? Hæc est perspicacia Boulangieri non videntis ea, quæ & pueri vident.

pergere Babylonem ? cur remansit in Judæa , ut suos consolaretur ? cur in Ægyptum perrexit ? Ferrine tanta Boulangieri impudentia potest , qui audet de seditione accusare Prophetas sanctissimos , cum tamen ipse omnes intendat vires, ut avertat populos à Principibus , quos tamquam tyranos describit ?

742 Longe est iniquior ejusdem Boulangieri calumnia, cum ait (1) , apud Judæos *fundere oracula artem quamdam fuisse , aut quamdam speciem commercii valde utilis ad quæstum in natione inopi* ; indeque accidisse , *ut sibi invicem Prophetæ detraherent ; & quisque rivalem compellaret suum falsi prophetæ titulo.* Atque ex Dodwello addit (2), *Prophetas vinum bibendo se ad prophetandum disposuisse.* Quæ non modo falsa sunt & impia, sed contumeliosa adversus sanctissimos Prophetas. David Rex erat ; Isaias ex regia erat stirpe ; Ezechiel , & Jeremias ex ordine erant sacerdotali ; Danielem Rex Babylonis magnis fuit prosequutus honoribus. Hi scilicet , qui præcipui inter Prophetas sunt , indigebant victum quærere arte prophetandi ! Proh hominis furor insanus (3)!

743 Eodem laboravit morbo Rousseaus , cum negavit , posse admitti prophetiam quampiam , nisi quis præsens sit testis & fusi oraculi , & eventus subsequuti. Oporteret enim , si hæc vera essent, omnibus historicis factis nuncium mittere , nec aliud quidpiam recipere tamquam verum , quam id tantummodo, quod quisque propriis oculis videt : qua certe stultitia nihil dici mi-

---

(1) Loc. cit. » L' art de prophétiser fut un vrai métier , ou , si » l' on veut , une branche de commerce fort utile & lucrative dans » une nation misérable. . . aussi voyons-nous qu'ils se décrioient les » uns les autres ; chacun traitoit son rival de *faux prophéte* «. Quinam sunt hi , qui ita inter sese mutuo certabant ? Sanctine Prophetæ, quorum vaticinia veneratur Ecclesia ? Nihilo minus. Hi mirifice inter se conveniunt ; atque hoc ipso demonstrant , reliquos qui dissidebant, jure meritoque falsis accensos fuisse Prophetis ; unus enim est Spiritus Dei, qui non potest sibimet contradicere.

(2) Ibid. » Dodwell , *de jure laicorum* , dit que c' étoit en bu- » vant du vin que les prophétes se disposoient à prophétiser «. Si hæc Dodwellus dicit , est æque impius; Prophetæ enim Divino Spiritu erant afflati , Deoque revelante futura prædicebant.

(3) Alias impietates adversus Prophetas congestas à Voltairio in Dict. Phil. à Boulainvilliersio , & ab aliis incredulis redarguit Bergierus Tom. 3. Apol. de la Relig. Chrét. c. 6. §. 15.

serius potest. Libros Prophetarum Judæi custodiunt, ne quis dubitet de illorum sinceritate. Adimpletorum vero oraculorum universus mundus est testis. Quod autem eventus iisdem oraculis non responderit fortuito, demonstrat ipsa series factorum. Non enim agitur hic de uno, aut altero facto, per verba ambigua prædicto, ut olim à Pythio Apolline (1); aut de uno, aut altero vaticinio per conjecturas, causasve naturales prænunciato (2); sed de Prophetis, quorum alii aliis successere per multa sæcula; & quamquam dissiti essent inter sese non ætate solum, sed & regionibus, & moribus, mirifice convenerunt in prænunciandis eventibus non modo liberis, & contingentibus, sed à Deo unice pendentibus, quorum prædixere loca, tempora, singularesque etiam minimas circumstantias, ut quod Messias ex semine David, & ex Virgine nasceretur; quod nasciturus esset in Bethlehem; quod futurus esset despectus, & novissimus virorum, vir dolorum, portans languores nostros, & dolores, &c. Conferantur inter cætera cap. 53. Isaiæ, & Ps. 21. & singula comperientur prædicta, quæ in Christi Passione contigerunt. Hæc autem omnia quis, nisi omnino fatuus, dixerit, fortuito respondisse oraculis adeo manifestis?

744 Ad sextum respondemus, magnum esse discrimen inter sanctos Ecclesiæ Catholicæ Martyres, & eos quos increduli tamquam martyres jactant, sive ex Donatistis, sive ex Anabaptistis, sive ex Calvinistis, & Lutheranis, aliisque hæreticis, sive ex Judæis, aut Atheis. Hi vere fanatici fuere, quia pro errore certabant; illi vero Christiana fortitudine sustinuerunt, ne contaminarentur sacrilegis Ethnicorum ritibus. Ac de Circumcellionibus (3) Donatistarum audiendus est S. Augustinus, qui multa de ipsis scribit, præsertim vero Epist. 88. al. 68. quæ est totius Cleri Catholici Hipponensis ad Januarium Episcopum Donatistam; ibi enim n. 8. describitur mira Circum-

(1) Vide Tullium l. 2. de Divinat. & Eusebium l. 5. Præpar. c. 10. & Theodoretum serm. 10. de cur. Græc. affect. ubi multa harum deceptionum exempla proferens ait: *Eisdem quoque ambagibus Imperatorem Julianum involvit, cum in Persas Romanum ductaret exercitum.*

(2) Confert Tertullianum Apolog. c. 22.

(3) » Circumcelliones dicti sunt (ait S. Augustinus Enarr. in Psalm. » 132. n. 3.), quia circum cellas vagantur. Solent enim ire hac illac nus» quam habentes sedes «.

cellionum crudelitas, ac tandem concluditur: *Vivunt ut latrones, moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut martyres.* Ut quid ergo increduli ad detrahendum Martyribus Ecclesiæ Catholicæ, in scenam producunt martyres Donatistas? *Alioquin*, ut ipsemet Augustinus ait (1), *si quisquis ab Imperatore, vel à Judicibus ab eo missis pœnas luit, continuo martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt.* Præterea de ipsis scribit (2): *Inobedientes, atque impii nec Deo reddunt Christianum amorem, nec Regibus humanum timorem.* Quis tales dixerit martyres, dum ab Imperatoribus debitis afficiebantur pœnis? Non est pœna tantum quæ martyres facit, sed causa (3). Addimus

(1) L. 1. cont. Epist. Parmeniani c. 8.

(2) Ibid. cap. 10.

(3) Qui infamem scripsit librum *Exam. de la Relig.* cap. 6. hac ratione abutitur adversus Religionem; inquit enim: » Les Pe-» res de l' Eglise disoient, que c' étoit la cause, & non le suppli-» ce, qui faisoit le martyre; & c' est un axiome de Religion, que » *Causa martyrem facit, non pœna.* Ainsi quand on conclud que la » R. C. est véritable parcequ' elle a eu des Martyrs, on suppose ce qui » est en question. « *Ecclesiæ Patres ajunt, non supplicium, sed causam facere martyrem; estque Religionis axioma*, Causa martyrem facit, non pœna. *Cum ergo concluditur veritas Christianæ Religionis, quia martyres habuit, supponitur id quod est in quæstione.* Ad Dialecticam is impius provocat, cum nobis objicit petitionem principii, & argumentationem circularem; sed quam infeliciter! hoc ipso enim ostendit, à se Dialecticæ regulas ignorari. Nulla est petitio principii, nec ullus est circulus vitiosus, cum argumentatio procedit à causa ad effectum, & ab effectu ad causam, sive, ut ajunt, in argumentationibus *à priori*, & à *posteriori*. Vide quæ diximus tom. 1. §. 1080. sqq. Id demonstrare possemus infinitis exemplis. Satis sit hoc vulgare. Possum certe dicere: *homo respirat; ergo vivit*: & econverso: *homo vivit, ergo respirat.* In quibus argumentationibus nulla est petitio principii, nullus circulus vitiosus; quia cum dico: *homo respirat; ergo vivit*, argumentor ab effectu ad causam. Cum vero dico: *homo vivit; ergo respirat*, argumentor à causa ad effectum. Cur non idem in hisce aliis argumentationibus: *Martyres sanguine contestati sunt Religionem Christianam: ergo Religio Christiana vera est*; & econverso: *Religio Christiana vera est; ergo Martyres recte eam sanguine sunt contestati.* Si in posterioribus hisce argumentationibus supponitur id quod est in quæstione; cur non in prioribus illis? Et si in prioribus illis nulla est petitio principii, cur erit in hisce posterioribus? Veritas Christianæ Religionis non probatur *à priori & per causam* ex constantia Martyrum, sed dumtaxat *à posteriori*, & per effectum, sive signum. Itaque veritas Religionis Christianæ est cau-

ex eodem Augustino, Circumceliones Donatistarum, præter improbos mores, consuevisse se præcipites dare. » Isti, *inquit* (1), »cur non se respiciunt, quorum catervæ gregum furiosorum »huc atque illuc armatæ ferro, ac fustibus volitant; & tam »crebris ubi potuerint stragibus, nequaquam tamen tanta im»manitate satiantur, ubi per busta cadaverum eorum, cum »fœminis, quæ cum illis passim commixtæ contra ordinem re»rum divinarum, & humanarum, diebus, ac noctibus eva»gantur, tanta fervet ebrietas, ut inde insaniam quotidia»nam non solum alios insectandi, sed etiam seipsos præci»pitandi concipiant (2) « ? Vide S. Optatum Milevitanum (3). Præclari equidem martyres cum SS. Martyribus comparandi !

745 De pseudo-martyribus Anabaptistarum audiamus quid scribat ipsemet Bælius, qui duplex eorum martyrologium recenset (4). *Ipsi*, inquit (5), *docuerunt, potestatem Principum usurpationem esse, hominesque sub Evangelio frui debere plena libertate.* Et paulo post loquens de Munzero, præcipuo sectæ auctore, ait (6): *Munzerus ita temerarius evasit, ut populos sit vehementer hortatus ad resistendum Magistratibus, & ad contradicendum*

---

sa, propter quam Martyres constanter subiere martyrium : martyrium autem tam constanter toleratum ab innumeris Christianis omnis ætatis, conditionis, dignitatis, & utriusque sexus, est effectus, sive signum veritatis Christianæ Religionis. Quare nulla est petitio principii. Impius igitur ille, qui veluti triumphum canit, declarat animadversione sua, ignoratas à se fuisse dialecticas leges, quas ipsi tirones norunt. Hi sunt egregii ætatis nostræ philosophi.

(1) Lib. 2. con. Epist. Parmen. c. 3.

(2) Vide ibid. c. 9. & l. 3. c. 6.

(3) De Schism. Donat. l. 3. n. 4.

(4) In Dict. crit. a. *Anabaptistes* Rem. F. ubi refert dissensiones ortas inter ipsos Anabaptistas propter hoc duplex martyrologium.

(5) Art. cit. » Ils enseignerent que la puissance des Princes étoit »une usurpation, & que les hommes sous le Evangile doivent jouïr »d' une pleine liberté «.

(6) » Munzer devint si téméraire, qu' il exhorta hautement les »peuples à résister aux Magistrats, & à contraindre les Souverains à »se défaire de l' autorité. Un tel Evangile plut si fort aux païsans »d' Allemagne, qui trouvoient un peu trop rude le joug de leurs »maîtres, qu' ils se soulevérent en mille lieux, & qu' ils commirent »une infinité de violences. On leva des troupes contre eux, on les »batit aisément, on en fit mourir un très-grand nombre «.

summis Principibus, seque ab eorum auctoritate subducendum. Ejusmodi evangelium tam valde placuit Germaniæ habitatoribus, quibus durius videbatur suorum dominorum jugum, ut commotæ ab ipsis in mille locis seditiones fuerint, patratæque innumeræ violentiæ. Contra ipsos exercitus instruuntur, facile profligantur, & magnus eorum numerus trucidatur. Hæc est series totius causæ, judicii, sententiæque, ac mortis Anabaptistarum à Bælio descripta. Nonne videntur inclyti martyres ii, qui *vehementer Magistratibus resistebant*, qui *summis Potestatibus contradicebant*, & in apertam conspirabant rebellionem, & seditiosi innumeras violentias patrabant? Hi comparandi erunt cum Ecclesiæ Catholicæ Martyribus, qui non solum subjecti erant Principibus, & Potestatibus, sed pro eis Deum deprecabantur tunc quoque, cum immanibus cruciabantur supplicíis (1)? Incredulis potius sunt comparandi, qui non cessant populos commovere adversus supremas Potestates, quas tamquam tyrannicas describunt.

746 Quod de Anabaptistis, idem dicendum de Lutheranis, & Calvinianis, aliisque hæreticis, inter quos maxima pars illorum, qui ad mortem a publica Potestate sunt condemnati, arma adversus eam sumpserant, ut ex Germaniæ, & Galliarum historiis constat; siquidem *reformationem*, quam vocabant, suam, armis defendendam adversus legitimos Principes sunt arbitrati (2). Quod si qui pauci heterodoxi visi sunt in mediis supplíciis pietatem, & constantiam demonstrare, id ex pertinacia oriebatur, aut ex vana gloria, ne viderentur ab impiis dogmatibus recessisse (3); aut certe propter alia vel vera, vel im-

(1) Legatur Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi: is enim invictissimus Martyr cum proxime igni esset comburendus, ait: *Edocti sumus, principibus & potestatibus à Deo ordinatis honorem, prout decet, dare.* Et S. Cyprianus, ut in Actis Proconsularibus à Baluzio editis, Proconsuli interroganti respondit: *Deo nos Christiani deservimus: hunc deprecamur, diebus ac noctibus, pro nobis, & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum Imperatorum.* Vide Tertullianum Apolog. c. 30. & 36. sq. & l. ad Scapulam c. 2. & S. Justinum M. Apol. 1. n. 17. & Athenagoram Legat. pro Christ. num. 37. & S. Theophilum lib. 1. ad Autolycum num. 11.

(2) Vide animadversionem Gronovii à nobis relatam not. 4. §. 494. perspiciesque, quonam spiritu ducantur hæretici tunc etiam, cum dant aliis jugulum.

(3) Scimus, à nonnullis exemplum proponi Joannis Hus, qui in

putata crimina, non ob Fidei confessionem illi mortem oppetierunt (1). Longe aliter in sanctis Martyribus contigit, qui non ob aliquem errorem, neque ob aliqua patrata delicta, sed unice propter confessionem Christi per immania supplicia morti fuerunt addicti. Id quod cum ex innumeris Ecclesiasticæ Historiæ monumentis constat, tum ex Trajani rescripto ad cit. Epist. Plinii junioris, in qua respondit (2): » Conquirendi non »sunt: si deferantur, & arguantur, puniendi sunt; ita ta»men ut qui negaverit, se Christianum esse, idque re ipsa »manifestum fecerit, id est, supplicando Diis nostris, quamvis »suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret«. Qui ergo se Christianos esse confitebantur, unice puniebantur ob Christi confessionem.

747 De Judæis quod additur, falsum omnino est: nam Judæi, ubi sunt tolerati, permittuntur judaice vivere, quin ipsis ulla irrogetur pœna, ut à Judaismo recedant; testesque sunt Judæi hic Romæ degentes. Quare si quando ad mortem damnantur, id est propter alia delicta; ideoque tam dici martyres possunt, quam latrones. Ubi autem tolerati non sunt

---

medio supplicio combustionis visus fuit pietatis signa dare; & similiter exemplum Hieronymi Pragensis, qui dicitur cantasse Symbolum, cum duceretur ad mortem; ideoque à suis sectariis honoratos fuisse tamquam martyres. At vero diaboli illos exstitisse martyres plane constat: nam præter errores Wiccleſi, quos adoptarant, inter quos erat ille de Principibus, qui si in peccatum lethale inciderent, omni statim dominio, & potestate destituti censebantur, ut ex art. 15. damnato in Concilio Constantiensi sess. 45. ipsimet Hus, & Hieronymus docebant, licite, & meritorie posse, & debere occidi tyrannum à quovis subdito, nullo obstante præstito jurejurando, ut ex eodem Concilio sess. cit. hunc errorem damnante. Vere hi recensendi erant inter martyres incredulorum, qui populos urgere non cessant, ut supremis Principibus imperium, & vitam eripiant.

(1) Ne quis objiciat Carolum I. Regem Angliæ, qui in libro *communium precum*, ut vocant, quo Angli *Protestantes* utuntur, colitur ut martyr, ejusque festivitati ad diem 30. Januarii præmittitur jejunium; sciat, *Puritanos* Anglos illum detestari ut tyrannum, proditorem, & publicum hostem. Sciat quoque Carolum, etsi impie morti addictum à Senatu, quem *Parlamentum* vocant, Cromuello urgente; non tamen fuisse capite plexum neque ob Fidem, neque ob aliquem virtutis actum. Quare etiamsi in Anglicana hæresi non decessisset, non propterea martyris honores fuisset promeritus.

(2) Epist. 98. inter Plinianas lib. 10.

sub pœna capitis, morti subjiciuntur non propter Judaismum, sed propter legem violatam; potissimum vero ob simulatam Christianam Religionem, quam nisi simulassent, non potuissent in loco manere (1).

748 Tandem quod ajunt de martyribus atheorum, mendacium est impudens. Ipsemet Bælius, qui atheismi erat patronus, nullum alium talem martyrem reperire potuit præter Vaninum, de quo jam satis dictum est (2). Gramondus, qui præsens aderat, testatur (3), à Vanino, ut mortem evaderet, simulatam fuisse Catholicam Religionem: cum autem deprehendisset, simulatione se nihil proficere, furore percitum, ad patibulum fuisse tractum. De hujusmodi martyribus, ex quorum numero alius quidam non multis abhinc annis exstitit apostata, qui omni erat vitiorum genere pollutus, & ad extremum supplicium propter ea damnatus Mediolani, fortem in impietate animum ostentavit, etsi certis postea argumentis constiterit, ipsum summo fuisse timore perculsum: de hujusmodi, inquam, martyribus increduli, si velint, glorientur; non enim invidebimus.

749 Longe aliter in SS. Christianis Martyribus contigit, sive immensum eorum numerum spectes, ex omni conditione, nobilium, plebejorum, sacerdotum, laicorum, doctorum, indoctorum, militum, philosophorum, virorum, mulierum, senum, infantium, non in una tantum regione, sed in toto, qua late patebat, Romano Imperio, aliisque etiam in locis; nec uno tantum mense, aut anno, sed tribus, & amplius sæculis; sive spectes tormentorum immanitatem, in quibus exquirendis, infligendisque omne studium crudelitas adhibuit; sive consideres constantiam, patientiam, fortitudinem, charitatem, ac cæteras

(1) Produnt hæc, quam sit inanis Montesquii conatus *De l'esprit des loix* l. 25. c. 13. ubi fingit Judæum quemdam ad Fidei Quæsitores Hispaniarum, & Portugalliæ se convertentem, eisque immanitatem exprobrantem, propterea quod magis in eos sæviant, quam Japoniæ Imperator in Christianos. Oleum, & operam Montesquius perdidit in longa peroratione, quam Judæo affingit. In regnis Hispaniarum, & Portugalliæ non ideo igni traduntur Hebræi, quod Hebræi sint; sed quia simularunt Religionem Christianam, ut ibi morarentur, etsi morari eis esset interdictum sub pœna capitis, & combustionis. Quare tota peroratio illa est de subjecto non supponente, & ponit non causam pro causa.

(2) §. 146. & in notis subjectis.

(3) Hist. Galliæ lib. 3.

virtutes, quæ in agonibus Martyrum emicuere (1). Hine erunt fanatismi effectus? Vere stulti qui ita sentiunt: sentiunt autem ita, imo vero ita sentire videri volunt: nam ad tantam Martyrum gloriam ingenti suffunduntur pudore, nec habent quid respondeant, nisi omnipotentis Dei virtutem in eorum agnoscant agonibus.

750 Ad septimum negamus, progressum Christianæ Religionis principaliter deberi violentiæ Christianorum Imperatorum. Jam enim observavimus ex Epistola Plinii junioris ad Trajanum, maximum in Bithynia fuisse initio secundi Ecclesiæ sæculi numerum Christianorum *omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus*. Tertullianus autem tertio sæculo ita scribebat (2): »Externi sumus, & vestra omnia implevimus; urbes, insulas, »castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, de»curias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus »templa... Potuimus & inermes, nec rebelles, sed tantum»modo discordes solius divortii invidia adversus vos dimicas»se. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum »abrupissemus à vobis, suffudisset utique dominationem ve»stram tot qualiumcumque amissio civium; imo etiam & ipsa de»stitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem ve»stram, ad silentium rerum, & stuporem quemdam quasi mor»tuæ urbis, quæsissetis, quibus in ea imperassetis. Plures ho»stes, quam cives vobis remansissent; nunc enim pauciores »hostes habetis præ multitudine Christianorum «. Et ibid. c. 50. »Plures efficimur, quoties metimur à vobis: semen est sanguis »Christianorum... Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, ma»gistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad »requirendum, quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, »accedit? ubi accessit, pati exoptat «? Hæc autem exaggerata non esse, constat ex ipsa Apologetici inscriptione, quæ est *ad Romanos Antistites*, quibus equidem non eam ingen-

(1) Legantur Acta Martyrum Ruinartii. Nunc pauca ex Martyrio S. Ignatii, qui in amphitheatro leonibus objectus devorandus: »Viri, »*inquit*, Romani, & præsentis hujus certaminis spectatores, non hæc »mihi fiunt ob aliquod maleficium, neque ut luam pœnas pravorum »facinorum, sed ut Deum assequar, cujus quidem teneor desiderio, »& quem cupio insaciabiliter. Sum enim ejus frumentum, & molor »per dentes bestiarum, ut fiam ei purus panis «. Vide etiam Epist. Eccl. Smyrn. de Martyr. S. Polycarpi n. 14. apud Cotelerium de Patr. Apost. tom. 2.

(2) Apolog. cap. 37.

tem Christianorum multitudinem Tertullianus objecisset, nisi omnium patuisset oculis. Idem ad Scapulam Africæ provinciæ Præsidem: „ Arrius Antoninus, *inquit* (1), in Asia cum perse„queretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tri„bunalia ejus se manu facta obtulerunt: cum ille, paucis duci „jussis, reliquis ait: ὦ δαλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους „ἔχετε. Hoc si placuerit & hic fieri, quid facies de tantis milli„bus hominum, tot viris, ac fœminis, omnis sexus, omnis æta„tis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, „quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est „decimanda à te, cum propinquos, cum contubernales suos „illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse & tui „ordinis viros, & matronas, & principales quasque perso„nas, & amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos? Par„ce ergo tibi, si non nobis. Parce Carthagini, si non tibi. „Parce Provinciæ, quæ visa intentione tua obnoxia facta est „concussionibus ... Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc „magis ædificari scias, cum cædi videtur. Quisque enim tan„tam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, & „inquirere accenditur, quid sit in causa (2); & ubi cogno„verit veritatem, & ipse statim sequitur (3)“. Possuntne illustriora expeti testimonia ad comprobandum mi-

(1) L. ad Scapul. cap. 5.

(2) Videat Freretus in hisce Tertulliani verbis, ethnicos non cæce, & absque examine adhæsisse Religioni Christianæ, sed potissimum fuisse permotos ex constantia Martyrum ad inquirendum, ut cognita veritate, eam sequerentur. Quod ergo non omnes statim accesserint, ex neglectu examinis fuit. Tantum igitur abest, ut qui non crediderunt etiam ex philosophis, expenderint argumenta credibilitatis Religionis Christianæ, illaque infirma repererint, quin eam sint amplexati statim omnes illi, qui attento humilique animo illa expenderunt.

(3) Adeatur idem Tertullianus l. cont. Judæos c. 7. & Origenes l. 1. cont. Celsum, & Arnobius l. 2. adv. Gentes, & Eusebius l. 1. Præpar. c. 3. & alibi, & Lactantius lib. 5. Inst. c. 13. utque cæteros omittamus, S. Irenæus l. 1. adv. hær. c. 2. ubi ait: *Ecclesia per universum orbem usque ad finem terræ seminata.* Et c. 10. al. 3. memorat Ecclesias fundatas in Germania, in Iberis, in Celtis, in Ægypto, in Libya, & in medio mundi. Et S. Justinus Mart. in Dial. cum Tryph. n. 109. & 121. ait, nullam esse nationem sive Barbarorum, sive Græcorum, in qua non invocetur Jesu nomen. Sic autem ajebat secundo Ecclesiæ sæculo.

rificos Christianæ Religionis progressus, etiam urgentibus immanibus persequutionibus ? Et nihilominus Freretus ærea fronte contendit (1), *Christianam Religionem augmentum suum principaliter debere violentiæ Imperatorum Christianorum.*

751 Non negamus, Christianos Imperatores curasse, ut Christiana Religio magis ac magis propagaretur, nihilque aliud conficiunt leges, quas magno numero Freretus congerit. Nam qua ratione Christiani fuissent, si nihil de ea Religione propaganda curassent, ethnicisque potius favissent, qui odio illam prosequebantur ? At quænam fuit irrogata ethnicis violentia, ut ethnicismo renunciarent, & ad Christiana accederent sacra? Fortasse quia Constantinus Magnus Clericis favit ; quia præcepit, ut die Dominico omnes etiam gentiles abstinerent à forensibus actibus, & à servilibus operibus ; quia Gubernatores Christianos misit in majorem provinciarum partem ; quia prohibuit, ne idolis sacrificarent præcipui reipublicæ Ministri, ipseque Præfectus Prætorii ; quia Edictum promulgavit, in quo suorum Prædecessorum cæcitatem descripsit in cultu idolorum ; quia universos hortatus est, ut unicum verum colerent Deum, salutisque spem in Jesu Christo reponerent ; quia idolorum templa spoliavit, sustulitque præcipuas statuas ; vel quia templa celebriora destruxit ; vel quia interdixit paganorum festivitates ? Hæc sunt crimina, quæ Constantino Freretus objicit, ut de violentia damnet in propaganda Christi Religione. Itaque ne violenter Constantinus agere videretur, non Christianis, sed ethnicis adesse studio, & opera dedebat sua ? tunc vero næ præclarus fuisset Christianus ! Nihil violentum reperire est in legibus à Constantino latis pro Christianis, nisi Freretus velit, ne dehortari quidem ethnicos illum potuisse ab impio idolorum cultu, quin statim violentiam inferret. Sed quid de violentia arguitur Constantinus, qui in Litteris, quas refert Eusebius (2), ait : » Nemo alteri molestiam facessat. Quod »cuique libitum fuerit, id agat . . . Qui vero seipsos sub»trahunt, habeant sibi mendaciorum delubra, quando ita vo»lunt (3) « ? Qui ita statuit, cuinam infert violentiam ?

(1) C. 7. » Le christianisme doit son principal accroissement à la » violence des empereurs chrétiens « .

(2) L. 2. de vita Constantini c. 56.

(3) Constantinum Freretus carpit, quod ita præceperit, ne ethnicorum obstinatio in erroribus seditiones crearet. Quid mali in hac

752 Reliquis Imperatoribus ad Marcianum usque non aliam vim illatam ethnicis exprobrare Freretus potuit, quam leges, quibus sacrificia, & cultus idolorum prohibuerunt quandoque sub mortis pœna; utque idolorum templa prosternerentur, mandarunt. At si hæ violentiæ dicendæ sunt, quænam earum potest esse comparatio cum immanissimis persequutionibus, quas Christiani passi fuerunt tribus, & amplius sæculis ab ethnicis Imperatoribus? Recenseat Freretus gentiles, quos Christiani Imperatores spoliarunt bonis, suppliciis affecerunt, privarunt vita. Nullos plane reperiet (1). Nos autem infinitum pæne numerum Martyrum objiciemus omni pœnarum genere vexatos ab ethnicis Imperatoribus. Nunc sic: idololatria altissimas radices fixerat ubique gentium, atque ab antiquissimis temporibus; ut enim supra diximus (2), initium cœpit circa tempora Abrahæ, latissimeque manarat, dominationemque obtinuerat, in Imperio præsertim Romano. Fieri ergo non poterat, ut non dicam evelle-

---

piissimi Imperatoris cautione? Audiat tamen Freretus quæ Constantinus ipse loc. cit. dicit: » Illud apud eos, qui recte sentiunt, fixum, » ratumque esse oportet, solos illos sancte, casteque esse victuros, » quos tu ipse ad hoc vocavisti, ut sacrosanctis tuis legibus acquiescant «. Quibus quidem verbis gratiæ Dei, non soli hominum industriæ, attribuit gentilium conversionem; ostenditque, quam alienus fuerit ab inferenda illis vi, ut Christo nomen darent.

(1) Freretus, qui nullam diligentiam omisit, ut de violentia Christianos Imperatores accusaret, nullum alium invenire potuit, præter Sopatrem, quem Constantinus jussit occidi. » Ce prince assouvit » son zele par la mort du philosophe Sopatre, qu' il fit mourir, si » l' on en croit Suidas, pour faire voir combien il haïssoit le pa» ganisme «. *Hic Princeps suum explevit zelum morte philosophi Sopatris, quem fecit interficere, ut autumat Suidas, ut ita ostenderet, à se paganismum odio haberi.* De Suida non laboramus, qui tam multo post Constantini tempora scripsit. Eunapius, Constantino synchronus, in *Ædesio* testatur, Sopatris mortem procuratam ab Aulicis fuisse, qui invidia perciti Ablabium ad Constantinum miserunt, ut Sopatrem accusaret, quasi magicis artibus naves detineret frumento onustas, ne ad portum appellerent. Atque hæc potuit esse causa, cur Suidas dixerit, Sopatrem ob religionem fuisse occisum. Etiamsi vero concederemus, Sopatrem ad mortem à Constantino damnatum fuisse propter paganismi odium, quid esset unius ethnici mors inter innumeras cædes Christianorum? Una cædes Sopatris violentiam Constantini in ethnicos Frereto exhibet; innumeræ Martyrum cædes nihil valebunt?

(2) Tom. 5. § 1233.

retur, sed ne deturbaretur quidem humana tantum industria, præsertim eo tempore, quo ethnici Imperatores in ea tuenda omnia studia ponebant sua. Econtra Religio Christiana recentissima erat, ubique invisa, in summum odium adducta, & ad exitium quæsita ab ethnicis, etiam sub Christianis Imperatoribus. Nihil ergo facilius erat, si humano loquamur modo, quam ut ipsa ethnicismo tandem cederet, præsertim quia ethnicismus voluptatibus sensibilibus favebat, Christianismus repugnabat. Atqui idololatria Religioni Christianæ cessit sub ipsis etiam persecutionibus ethnicorum Imperatorum, ac demum sub Christianis Principibus ad nihilum redacta fuit, nulla alia adhibita humana diligentia, quam paucarum legum, quæ præsidium Christianis pollicebantur, interdicebantque idolorum cultum. Destructio igitur idololatriæ, & Christianæ Religionis propagatio non sunt opera humanæ industriæ Imperatorum Christianorum, sed omnipotentis virtutis Dei. Hæc autem in ipsa conversione Constantini emicuit, ut ipsemet Imperator est contestatus (1). Mentitur ergo Freretus, cum post paucas illas Christianorum Imperatorum recensitas leges (nullam autem prætermisit diligentiam in iis conquirendis) ait, *non fuisse opus minori violentia ad convertendos paganos.* Nullam Christiani Imperatores violentiam ethnicis intulerunt, ut Christianismum propagarent; summam Christianis intulerunt vim ethnici Imperatores, ut Christianismum destruerent; & tamen ethnicismus fuit destructus, Christianismus mirifice propagatus sub ipsis etiam ethnicis Imperatoribus. Qui in hisce operibus non videt dexteram Domini facientis virtutem, cæcus omnino est.

753 Utique ethnicismus sub Christianis Imperatoribus non statim interiit, obstante hominum malitia, & impietate; interiturus fortasse citius, saltem exterius, si eamdem vim adversus ipsum adhibuissent Christiani Principes, quam ethnici adhibuerant adversus Christianam Religionem. Sed falsum est, quod Freretus opponit ex Symmacho, nimirum tempore Valentiniani II. illustriorem Senatus partem adhuc fuisse ethnicæ superstitioni addictam. Libellum quidem supplicem Symmachus Valentiniano adolescenti obtulit Senatus nomine, ut paganæ superstitiones restituerentur; sed, inquit S. Ambrosius ad eum-

(1) In Litteris cit. apud Eusebium l. 2. de vita Constant. ubi c. 55. idem Imperator gratias agens Deo: » Tuo, *inquit*, ductu, atque auspicio » res salutares suscepi, atque perfeci. Tuum signum ubique præferens, » victorem exercitum duxi, &c.

dem Valentinianum scribens (1), *absit, ut hoc Senatus petiisse dicatur: pauci gentiles communi utuntur nomine.* Quare rursus mentitur Freretus; & ex mendaciis suis conclusionem omnino nullam infert (2): *paganismus igitur destructus fuit, eique omnino substituta Christiana Religio, ob maximas violentias.*

754 Restat, ut ejus expendamus animadversiones ex progressibus hæreticorum, & ex qualitate persequutionum, quibus veteres Christiani fuere vexati. Itaque *stupendos valde non esse,* ille ait (3), *Christianismi progressus, si considerentur novitates, quæ accidunt statim, atque erumpit aliquis hæresiarcha; hunc enim populi certatim sequuntur, & si contingat, Principem aliquem illius doctrinæ subscribere, illico medietas ejus ditionis religionem mutabit.* Idque confirmat exemplo turbationum, quas concitarunt Lutherus, & Calvinus; atque ait (4): *Si tunc universa Europa potestati subjecta fuisset unius Principis, qui novitati favisset, Catholici redacti nunc fuissent ad paucissimos;* exemplaque addit Angliæ, Hollandiæ, variarumque Germaniæ ditionum, in quibus populi exempla suorum Principum sunt sequuti; atque animadvertit (5), *in regionibus, in quibus reformatio dominatur, non fuisse adhibitas contra Catholicos easdem violentias, quas Christiani Imperatores adhibuerunt, ut à paganismo removerent.*

755 Quis vidit umquam hominem tam aperte mentientem, & secum pugnantem? Si quid valeret quod ex Principibus faventibus Luthero, & Calvino ille deducit, sequeretur, ethni-

---

(1) Epist. 17. num. 10.

(2) » Ce n' est donc que par les plus grandes violences qu' on a pu » détruire le paganisme & lui substituer entiérement la religion chré- » tienne «.

(3) » Ce qui doit diminuer la surprise que pourroit causer le pro- » grès du christianisme, c' est de voir que pour peu qu' un hérésiar- » que s' éléve, les peuples avides de nouveautés s' empressent à le » suivre; & s' il arrive que quelque prince embrasse sa doctrine, bientôt » la moitié de son état changera de religion «.

(4) » Supposons que lorsque Calvin & Luther déclamoient contre la » religion romaine, toute l' Europe eût été sous la domination d' un seul » prince qui eût penché pour la nouveauté, les catholiques seroient au- » jourd'hui réduits à un très-petit nombre «.

(5) » C' est une chose digne de remarque, qu' il s' en faut beaucoup » dans les pays, où la reforme domine, qu' on n' ait employé les mêmes » violences contre les catholiques, que celles dont se sont servis les em- » pereurs chrétiens pour faire abjurer le paganisme «.

cismum debuisse corruere statim, atque Imperatores fuere Christiani; cum tamen ille contendat, non potuisse destrui, nisi per maximas violentias. Quare ethnici non statim sequuti sunt exempla Imperatorum Christianorum, sicut populi nonnulli exempla sequuti sunt Principum faventium Luthero, & Calvino? Præterea, nonne tribus prioribus Ecclesiæ sæculis unius Imperatoris potestati subjectum erat universum, qua latissime patebat, Romanum Imperium? nonne eidem Imperio præerat Constantius, cum Arianis favens, Catholicos immanissime persequebatur? Et nihilominus Christianismus, & Catholicismus viceruntprostrata idololatria, & Ariana hæresi. Exempla ipsa Angliæ, & Hollandiæ ostendunt, hæreticas Potestates in iis ipsis regionibus non potuisse Catholicam Religionem evellere: nam & in Anglia, & in Hibernia, & in Hollandia ingens est Catholicorum numerus. Oportet autem omnem sæculi sextidecimi, & decimi septimi historiam ignorare, ut adseratur, non ita à falsis Reformatis sævitum esse contra Catholicos, ut Christiani Imperatores sævierunt contra Paganos. Loquuntur in Anglia iniquæ leges Henrici VIII. Elisabethæ, Jacobi, Annæ. Loquuntur in Hollandia, in Gallia, & in Germania suscitatæ ab hæreticis seditiones, & bella adversus legitimos Principes. Loquuntur templa destructa, monasteria solo æquata, violatæ virgines, expilata Ecclesiæ bona, trucidati innumeri Catholici. Quid simile fecere cum ethnicis Imperatores Christiani? Freretus, qui diligentissimus fuit in eorum perquirendis violentiis, quas vocat, non alias invenire potuit, quam favorem Christianis præstitum, prohibitiones ethnicorum rituum, destructionem templorum dæmoni excitatorum. Hæ sunt violentiæ longe majores, & nullo modo comparandæ cum violentiis Lutheranorum, & Calvinianorum! Proh hominum fidem!

756 Cur vero hæretici sequuti sint hæreticorum Principum exempla; ethnici vero multi sequi detrectaverint exempla Imperatorum Christianorum in paganismo deserendo, res perspicua est. Lutherana, & Calviniana hæreses sustulerant, sub reformationis specie, abstinentias, jejunia, confessionem auricularem, necessitatem satisfactionis, cœlibatum, subjectionem ecclesiasticæ & laicæ Potestati, & bonorum ecclesiasticorum direptionem concesserant. Hæc omnia ad gustum erant hominum depravatorum, qui facilius seducebantur prætextu sequendi litteram Evangelii, Religionemque redigendi ad pristinam puritatem. Mirum ergo videri non debet, quod hæreses illæ progressus aliquos fecerint, non tam favore Principum, quam impulsu concupiscentiæ, & cupiditatis. Cæterum Christiana Re-

ligio nihil tale ethnicis promittebat, aut permittebat; imo jubebat mundi contemptum, passionum refrenationem, Crucis amorem. Minimum ergo valuerunt exempla Principum Christianorum ad ethnicos convertendos, minimumque valuissent violentiæ etiam maximæ, si quas adhibuissent. Prostratio igitur idololatriæ, & ethnicorum conversio ad Fidem Christianam manifestissimum est opus Divinæ potentiæ, quod veritatem Religionis Christianæ invictissime demonstrat.

757 Nihilo minus falsus est, & sibimet Freretus contradicit, cum ait (1), persequutiones Imperatorum Romanorum non potuisse Christianismum delere, quia *major earum pars fuit adeo brevis durationis, ut mirandum non sit, quod non potuerint effectus producere, quos Imperatores intendebant; aliunde vastitas Romani Imperii nimis obstabat perversæ voluntati hostium Christianorum. Facile non erat mittere quoquoversus inquisitores iisdem temporibus. Facile persequutionem passis erat se subducere à persequentium rabie; hisce tamen difficultatibus minime obstantibus, si Romani Imperatores eadem usi fuissent severitate, longa annorum serie, & eadem diligentia adversus Christianos, quæ fuit adhibita in Japonia, ut eos exterminarent, verisimillime idem effecissent. Cur enim in cæteris regionibus fieri non poterat, quod Imperator Japoniæ facit in suâ? Religio Christiana ibi maxime floruerat, nunc autem ne unus quidem Christianus ibi exstat.* Videte hominis mendacissimi incredibilem scribendi audaciam, & impudentiam. Dixerat paulo ante Catholicos paucissimos futuros fuisse, si universa Europa unius Principis Lutherani, aut Calviniani potestati fuisset subjecta. Nunc autem ad vastitatem provocat Romani Imperii, quæ

(1) » La plûpart de ces persécutions ont été d' une si courte durée, » qu' il n' est pas étonnant qu' elles n' aient pas produit les effets » que les empereurs en attendoient ; d' ailleurs l' etendue de l' empi- » re romain mettoit un grand obstacle à la mauvaise volonté des » ennemis des chrétiens. Il n' étoit point aisé d' envoyer par-tout des in- » quisiteurs en même tems. Il étoit facile aux persécutés de se sous- » traire à la rage de leurs bourreaux ; mais malgré tant de difficul- » tés, si les empereurs romains eussent employé pendant une longue » suite d' années la même sévérité, & la même exactitude contre les » chrétiens, que celle dont on s' est servi au Japon pour les exterminer, » il y a toute apparence qu' ils auroient également réussi. Pourquoi » ne pourroit-on pas faire dans les autres pays ce que les empereurs » du Japon ont fait dans leurs états ? La religion chrétienne y avoit été » très florissante, & présentement on n' y trouve pas un seul chrétien «.

obstabat persequentium voluntati. Quid est hoc aliud, quam andabatarum more pugnare?

758 Quod ait de plerisque persequutionibus, quod brevi durarunt, falsum esse multis possemus ostendere, si per institutum liceret; ostensum autem fuit à multis adversus Dodwellum. Satis nunc sit laudare Chrysostomum, qui hoc ipsum versans argumentum, scribit (1): »Gentiles erant Imperatores Augustus, »Tiberius, Cajus, Nero, Vespasianus, Titus, & post illum »omnes usque ad tempus beati Constantini Imperatoris; omnes»que illi, alii minus, alii vehementius Ecclesiam oppugnabant: »oppugnabant tamen omnes. Quod si qui eorum visi sunt mi»tius agere, hoc ipsum tamen, quod Imperatores palam in im»pietate viverent, materia bellorum erat, cum alii, qui ipsis »adulabantur, gratiam illorum captantes, Ecclesiæ bellum in»ferrent«. Continua igitur sub ethnicis Imperatoribus fuit Christianorum persequutio, etsi non semper ita vehemens, ut sub Nerone, Domitiano, Trajano, Antonino Pio, Septimio Severo, Decio, Diocletiano, &c. Ac Decium quidem ita in Christianos desævisse, ut Religionem, quæ longe, lateque propagata erat, delere constituerit, testes sunt Eusebius (2), Lucius Cæcilius (3), & S. Cyprianus (4). Diocletianus autem, impulsore Galerio, adeo acerbam persequutionem, latissimeque patentem in Christianos excitavit, ut innumeri ubique fuerint Martyres effecti, ut testantur iidem Cæcilius (5), & Eusebius (6), itemque Lactantius (7), qui circa ea tempora vixerunt. Hæc autem persequutio tam crudelis, & late patens, toto decennio perduravit; quæ sane duratio nemini brevis videbitur.

759 Quod autem opus erat mittere quoquoversus inquisitores iisdem temporibus, si quoquoversus Imperatoriæ Litteræ mittebantur, ut Christiani perderentur? Si Judices, & Præsides ita erant ubique contra Christianos affecti, ut etiam sine novis mandatis in eos sævirent, occasione accepta ex præteritis edictis non

---

(1) L. Quod Christus sit Deus.
(2) Lib. 6. Hist. c. 39. sqq.
(3) L. de mort. Persecut. cap. 4.
(4) Epist. 10. al. 9.
(5) Loc. cit. cap. 15.
(6) Hist. lib. 8. cap. 7.
(7) L. 5. Inst. c. 11. Vide etiam S. Optatum Milevit. l. 3. de Schism. Donatist. num. 8.

revocatis? Si plebs ipsa solebat sæpe *ad leonem* clamare (1)? Quo vero facile fugerent Christiani à rabie persequentium, Freretus non dixit, nec dicere poterat: nam si vastitas Imperii Romani in causa fuit, cur nequiverint Imperatores suam exequi voluntatem; nonne eadem Imperii vastitas Christianos prohibere debuit, ne facile possent fugiendo evadere? Fugerunt quidem nonnulli ad barbaras Nationes (2), eorumque fugam Deus convertit in Barbarorum bonum, quorum multi ad Christum conversi sunt, magisque propagata est Christiana Religio. Sed quod, non dicam omnes Christiani, sed plerique talem inire fugam potuerint, id asserere in tanta Romani Imperii vastitate non nisi Freretus valuit insigni ea, qua pollebat, mentiendi perpetuo, sibique contradicendi fiducia.

760 Reliquum est, ut ad hypothesim Freretianam nos convertamus. Itaque si Imperatores Romani eamdem severitatem, & diligentiam diu adhibuissent contra Christianos, qua usus fuit Japoniæ Imperator, deletum jam iri nomen Christianum ubique gentium, ut in Japonia est, ille decidit. Sed quam imperite, paucis perspicito. Japonia insula est, ut omnes norunt; illuc ergo non nisi navibus patet iter. Inde autem Japoni Imperatores Ministros Evangelii ea impiissima lege perpetuo arcere, suadentibus, ut nonnulli existimarunt, Batavis, decreverunt, ut quicumque in portum aliquem ejus regni pervenissent, Crucem pedibus proterere cogerentur. Hac lege deterriti Catholici, ne tantum patrarent facinus, Japonos deserere constituerunt, experturi opportuniori tempore, si forte denuo pateret via annunciandi iis gentibus Evangelium; quod & multoties tentarunt, sed hactenus frustra. Quid ergo mirum, si diabolico obstante consilio, Fides in Japonia periit? nam Fides sine Evangelicis Ministris durare diu nequit. Batavi autem, qui illuc veniendi obtinuerunt facultatem, tam longe sunt à studio propagandæ Religionis Christianæ, quam non abhorrent à proculcando Redemptionis nostræ signo. Cerrius tamen (3) affirmat,

---

(1) Moshemius ipse Hist. Eccl. c. 5. sect. 1. §. 5. scribit: „In „provinciis passim vim Christianis perpetuo fere à plebe, aut præsidibus „illatam esse, documentis exploratum est certissimis“.

(2) Constantinus in cit. Litt. apud Eusebium l. 2. de ejus vita c. 53. „Gloriantur, *ajebat*, ob hæc nunc Barbari, qui homines ex „nostris regionibus profugos tunc temporis exceperunt“.

(3) Vide Bunonem in Not. ad Cluverii Introd. Geograph. lib. 5. c. 6. §. 5.

multos in Japonia Christianos perstitisse, qui filios suos sacro Baptismate abluant, quorum plerique martyres decesserint. Poterantne Imperatores Romani, quorum Imperium terra marique tam late patebat, eamdem legem ferre? Quæ si etiam lata fuisset, ut lata lex fuit de sacrificando idolis, nonne infiniti fuissent modi evadendi? Quis poterat custodias ponere ubique terrarum, ut potuere Japoni, ne ullus Evangelicus Præco submitteretur? Frereti ergo hypothesis de re est, quæ plane fieri non poterat, humano loquendi more. Humano, dicimus: nam fieri quidem potest, ut dæmonis arte, merentibusque hominum peccatis, Christiana Religio ab uno regno, aut regione abscedat; ut vero in toto mundo exterminetur, fieri nullo modo potest, ne ipsis quidem Antichristi temporibus. Non enim Christus promisit, Fidem in uno, aut altero loco non esse defecturam; sed promisit Ecclesiæ, eam non defuturam usque ad consummationem sæculi, nec portas inferi adversus eam prævalituras. Obstrepant igitur quantum volunt Freretus, Boulangierus, cæterique impii; Religio Christiana numquam erit cessatura, etiamsi alii plusquam ipsi insanierint, sed semper magis progressura, ut in tot regionibus, quæ postremis hisce temporibus sunt detectæ, & ad Christi Fidem, Ecclesiæque Catholicæ gremium adductæ.

ARTICULUS III.

Utrum Christiana Religio pati tolerantiam religiosam possit.

761 De *religiosa* tolerantia loquimur, non de mere *civili*. Hac enim tolerantur quidem in quibusdam Catholicis regnis, aut rebuspublicis homines aliarum sectarum; sectæ vero ipsæ minime probantur, nec quidpiam admittitur, quod ad earum probationem pertinere aliqua ratione posse videatur (1). Illa vero sectarum, aut sectæ approbationem sive explicitam,

(1) De hac tolerantia loquens S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 11. ait: » Humanum regimen derivatur à divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens, & summe bonus, permittit » tamen, aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset: ne eis sublatis majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur... Sic » ergo quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, propter » aliquod bonum, quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum, » quod vitatur «.

sive implicitam præ se fert (1); estque vel *generalis*, vel *particularis*. Ac *generalis* quidem est tolerantia illorum, qui putant, homines cujuscumque sectæ recte agere, si ad sectæ principia se componant, modo bene moraliter vivant. Hi *Latitudinarii*, *Indifferentistæ*, *Adiaphoristæ*, *Libertini*, *Moralistæ*, *Pacifici*, &c. vocantur (2). *Particularis* vero est illorum tolerantia, qui

---

(1) Ex qua distinctione constat, quam turpiter erravit Rousseaus Emil. tom. 3. pag. 187. in not. scribens: » La distinction entre la » tolérance civile & la tolérance théologique, est puerile & vaine. Ces » deux tolérances sont inséparables «. *Distinctio inter tolerantiam civilem, & theologicam est puerilis, & vana. Hæ duæ tolerantiæ separari nequeunt.* Hic Romæ tolerantur Judæi civiliter. Quis dixerit, probari etiam eorum superstitionem; quæ esset tolerantia theologica? Ignoravit ille definitionem utriusque tolerantiæ: tantus erat philosophus.

(2) Hanc tolerantiam tuendam suscepit Voltairius in Dict. a. *tolérance*; Auctor Philos. *du bon sens*; Mandevillius in l. *Fabula muscarum ad mel*; Auctor l. *Vera Religio demonstrata*; Spinoza Tractat. theol. polit. c. 16. Collinsius l. de libert. cogit. Auctor *Medit. philos. de Deo, mundo, & homine*, cujus verba recitat noster Gazzaniga in tom. 4. Prælect. theol. diss. 2. c. 5. » Colo Deum talem, qua» lem Princeps, vel Respubl. me jubet; si Turca, Alcoranum; si » Judæus, vetus Testamentum; si Christianus, novum Testamentum » veneror pro lege... Papa si imperans, Deum credo transubstantia» tum; si Lutherus, Deus mihi particulis *in*, *cum*, & *sub* circumval» latur; si Calvinus, signum pro Deo sumo «. Scilicet is homo religionem habet fabulæ loco. Similiter loquitur Rousseaus loc. cit. pag. 184. » Je regarde toutes les religions particulieres comme autant d' in» stitutions salutaires qui prescrivent dans chaque pays une maniere » uniforme d' honorer Dieu par un culte public; & qui peuvent tou» tes avoir leurs raisons dans le climat, dans le gouvernement, dans » le génie du peuple, ou dans quelqu' autre cause locale qui rend l' une » préferable à l' autre, selon les tems & les lieux «. *Universas particulares religiones respicio tamquam totidem salutares institutiones præscribentes in unoquoque loco modum uniformem honorandi Deum publico cultu*; (Hæc fortasse respiciebat Genuensis, cum scribebat, patriam religionem esse à cive servandam, ut dictum est not. ult. §. 658.) *eæque omnes proprias habere rationes possunt in climate, in regimine, in genio populi, in alia quavis locali causa, ob quam una alteri sit præponenda, habita ratione temporum, & locorum.* Eadem docuisse videtur Montesquius, cum ex climatum diversitate confinia præscripsit Religioni Christianæ, & superstitioni Mahumedanæ, ut dictum est in not. *Sed multo* §. 659. subject.

reprobant quidem sectas non admittentes Religionem revelatam, & Christianam ; putant tamen, satis esse, ut admittantur articuli Fidei, quos *fundamentales* vocant; circa reliqua vero dogmata dicunt cuique licitum esse id sentire quod velit, absque dispendio salutis æternæ (1).

762 Videtur autem I. admittenda tolerantia religiosa generalis ; Deus enim non rejicit cultum sincerum, sub quacumque forma ei præstetur ; quandoquidem cultus essentialis est ille, qui exhibetur corde. Nihil ergo refert, an sub hac, vel sub illa religionis forma Deus colatur (2).

763 II. Si semel inducatur universalis intolerantia, maxima etiam inducitur perturbatio in toto humano genere. Dogma igitur intolerantiæ crudele est, & opponitur sanæ Morali, quæ prohibet, ne quisquam proximum suum detestetur (3).

764 III. Videtur etiam admittenda tolerantia hæreticorum; hi enim sunt Ecclesiæ membra, uti colligitur ex parabola zizaniorum superseminatorum in agro Domini, id est, Ecclesia; & insuper ex verbis Apostoli 2. ad Tim. 2. v. 20. ajentis, in magna domo esse non solum vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia. Hæretici ergo, quicumque ii sunt, tolerari in Ecclesia debent (4).

765 IV. Baptisma hæreticorum validum est. Si autem hæ-

---

(1) Communis ferme est inter hæreticos recentiores hæc sententia, eamque docuit Claudius *Défense de la Religion réformée*; Jurius *Le vrai Sistême. de l' Eglise*, & *de unit. Eccl.* Clericus *de eligenda inter dissentientes Christ. sentent.* Lockius l. *Le Christianisme raisonnable*; Miltonus l. *de vera Relig.* &c. Bælius in Dict. a. *Milton* Rem. O, & Comment. philos. p. 2. c. 10. aliique bene multi, præsertim Arminiani, atque inter eos Grotius. Sed antiquus hic error est jam tunc sæculo 2. ab Apelle adsertus, & deinde à Rhetorio. Vide Eusebium Hist. l. 5. c. 18. & Philastrium de Hæres. n. 90. & S. August. l. de Hæres. hær. 72. ubi hanc hæresim vocat *mirabilis vanitatis*, & *incredibilis*. Tertullianus autem l. de Præscript. c. 41. de hæreticis loquens: *Pacem*, inquit, *passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent.* Ita semper mentita est iniquitas sibi.

(2) Rousseaus pag. cit.

(3) Idem ibidem pag. 187.

(4) Jurius loc. cit.

retici non pertinerent ad Ecclesiam, quomodo possent valide baptizare?

766 V. Quicumque superædificat super fundamentum quod Christus est, sive superædificet aurum, & argentum, sive ligna, fœnum, & stipulam, salvus erit, ut docet Apostolus 1. ad Cor. 3. v. 11. sq. Atqui hæretici superædificant super hoc fundamentum, quia baptizati sunt, & credunt Christo. Salvi igitur erunt (1).

767 VI. In schismate decem tribuum Israel plures fuerunt sancti, ut Elias, Elisæus, &c. qui tamen neque ibant in Jerusalem, ut adorarent in templo, neque communicabant cum tribu Juda. Initio quoque nascentis Ecclesiæ plurimi judaizarunt, & ipse Paulus, ut dicitur Act. 21. licet contra definitum esset in Concilio Hierosolymitano (2).

768 VII. Qui faciunt quod in ipsis est, ne errent, & nihilominus errant, digni sunt venia, nec error eis imputatur. Atqui Lutherani, Calviniani, Anabaptistæ, Sociniani, Arminiani, &c. qui verbum Dei habent pro regula Fidei, si totos se conferant sincero corde ad legendas, intelligendasque Scripturas, implorato Spiritus Sancti lumine, faciunt quod in ipsis est. Si ergo errent, digni sunt venia, nec eis errores imputantur (3).

769 VIII. Semel admissa intolerantia universali, sequitur, maximam hominum multitudinem debere æternum perire, id est, illos omnes qui ab Ecclesia Catholica dissentiunt, quamquam simplices sint, & ignari: quod alienum est à Dei benignitate, & misericordia (4).

770 IX. Si Deus voluisset, unam ab hominibus Religionem coli, omnibus easdem Religionis ideas indidisset, sicut in mathematicis. Si ergo non easdem omnibus ideas indidit, non ab omnibus eamdem Religionem exigit; alioquin exigeret, quod non est in hominis potestate; homo enim non potest sibi alias, atque alias ideas formare (5).

771 X. Etiam inter Catholicos dissidia sunt in plerisque controversiis. Cur ergo reprehenduntur inter heterodoxos?

---

(1) Idem ibidem.
(2) Idem ibidem.
(3) Miltonus loc. cit. & Bælius in Dict. a. *Milton.*
(4) Jurius loc. cit.
(5) Noodt ser. de Relig. ab imperio jure gentium libera.

Prop. *Religio Christiana nullo modo pati potest religiosam tolerantiam*, I. *sive universalem omnium sectarum*, II. *sive particularem sectarum hæreticarum.*

772 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (1). Religio Christiana vera est, ut demonstravimus (2). Veritas autem non est nisi una; quod enim recedit à veritate, hoc ipso falsum est. Sola igitur Religio Christiana est vera; omnes vero sectæ, quæ religiones appellantur, sunt falsæ. Atqui falsum non potest componi cum vero: nam *quæ societas luci ad tenebras*, ut ait Apostolus 2. ad Cor. 6. v. 14. Religio igitur Christiana pati non potest religiosam tolerantiam universalem omnium sectarum.

773 Qua ratione probata manet etiam 2. p. quæ nihilominus probatur ulterius ex eodem S. Thoma (3). Religio Christiana nititur Divina revelatione, ut dictum est (4). Deus autem non potest opposita revelare; ut enim ait Apostolus 2. ad Tim. 2. v. 13. *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* In Religione igitur Christiana non potest esse nisi una, & simplex veritas. Atqui sectæ hæreticorum in hac una, & simplici veritate non conveniunt; discrepant enim inter sese, v. g. secta Lutherana à Calviniana, & utraque à Sociniana, Anabaptistica, &c. Religio igitur Christiana pati nullo modo potest religiosam tolerantiam particularem sectarum hæreticarum. Utramque prop. partem probant ea Apostoli verba ad Eph. 4. v. 5. *unus Dominus, una fides*; adeoque una Religio. Intolerantia igitur est proprius, & essentialis character veræ Religionis. Quare sicut hæretici, qui aliorum hæreticorum sectas tolerant, hoc ipso ostendunt, apud ipsos non esse veram Religionem; ita Religio Christiano-Catholica hoc ipso ostenditur vera, quia nullam prorsus tolerat sectam.

774 Hinc destruitur illa distinctio articulorum in *fundamentales*, & *non fundamentales* (5). Hæc enim ipsa distinctio op-

(1) 2. 2. q. 4. a. 6. & q. 10. a. 12. & q. 11. a. 3.
(2) A. præc. (3) Loc. cit.
(4) §. 684.
(5) Non negamus, inter Fidei dogmata quædam esse, quæ ab omnibus *explicite* credi debent necessitate *medii* ad salutem consequendam, ut sunt mysteria Trinitatis, & Incarnationis Filii Dei,

ponitur unitati. Petimus autem, an qui eam adhibent, velint, articulos *non fundamentales* pertinere ad fidem, necne? Si dicant, non pertinere, quare in suis formulis fidei ponunt etiam articulos *non fundamentales*, qui proprii sunt suarum sectarum? Anne ad formulas fidei pertinebunt articuli, qui ad fidem non pertinent (1)? Si autem pertinent, quomodo qui eos scientes, volentesque amplectuntur, quamquam opponantur articulis aliarum sectarum, & ab Ecclesia Catholica damnati sint, convenire possunt in unica veritate, qua nititur Christiana Fides, & Religio (2)?

775 Quid, quod ne ipsi quidem heterodoxi conveniunt inter sese in designandis articulis *fundamentalibus*? Leibnitius enim (3) unicum articulum *fundamentalem* ponit, scilicet *amorem Dei* (4). Henricus Coccejus (5) in articulis *fundamentalibus*

---

ejusque Passionis, Mortis, Resurrectionis. Quædam vero non oportere, ut ab omnibus *explicite* credantur, sed satis esse, ut credantur *implicite*, sicut dogmata sublimiora Justificationis, Prædestinationis, &c. hæc enim satis est, ut Christianorum vulgus credat *implicite*, credendo scilicet quidquid credit Ecclesia Catholica. Sed hæc distinctio dogmatum longe diversa est à distinctione hæreticorum in articulos *fundamentales*, & *non fundamentales*. *Fundamentales* enim illos appellant, quibus nemo possit non assentiri; *non fundamentales*, quibus liberum cuique sit assentiri, vel non assentiri absque salutis dispendio. Nemini autem Catholicorum licet absque hæresis crimine negare aliquod Fidei dogma, quodcumque illud sit; licet non omnia singuli teneantur *explicite* credere.

(1) In formulis fidei, quas multiplices edidere Protestantes, non solum continentur articuli, quos vocant *fundamentales*, sed etiam alii adversus dogmata Ecclesiæ Catholicæ. Si hos ad fidem pertinere nolint, quare eos posuerunt in formulis fidei? Novum genus formularum fidei, quibus profiteantur, se credere fide divina, quæ ad fidem divinam dicant non pertinere.

(2) Utique potest quis ex ignorantia errare in iis, quæ ad Fidem pertinent, quin sit hæreticus *formalis*, si nempe absit contumacia, paratusque sit omnia credere, quæ Ecclesia Catholica proponit credenda. Id vero in hæreticis locum non habet, qui contemnunt Ecclesiæ Catholicæ magisterium, judicesque sedere volunt in decernendis dogmatibus privato spiritu.

(3) Ita in Commercio litt. cum Pellissonio circa tolerantiam.

(4) Verus Dei amor separatus non est ab observantia mandatorum. Mandatum autem est, ut universa credamus, quæ Deus revelavit, & Ecclesia Catholica credenda proponit.

(5) In Comment. ad Grot. l. 2. c. 20. §. 50. & l. 3. c. 5. §. 2.

habet dogmata definita in quatuor prioribus Conciliis Œcumenicis (1). Jurius (2) contendit (3), errorem *fundamentalem* dici debere illum, qui Dei gloriam, finemque ultimum hominis evertit; aut opponitur unanimi, perpetuo, & universali Christianorum consensui, cujusmodi sunt errores negantium Trinitatem Personarum, Incarnationem Verbi, satisfactionem Christi.

776 At primum quærimus, quanam auctoritate Coccejus, & Jurius, quos communius Protestantes sequuntur, (nam de Leibnitio non laborant) hosce constituerint *fundamentales* articulos? Statim enim qui eos negant, pari se auctoritate alios posse constituere dicent. Deinde quis affirmabit, plus Fidei opponi errores negantium Trinitatem Personarum, aut Incarnationem Verbi, quam negantium libertatem arbitrii, ut Lutherus, & Calvinus faciunt; aut Deum constituentium peccati auctorem, ut idem constituit Calvinus? Ad Ecclesiam non pertinebunt ii, qui Trinitatem, aut Incarnationem negant; pertinebunt vero, qui arbitrium faciunt mancipium, imo vero prorsus tollunt, & Deum habent ut auctorem peccati? Præterea, qua facilitate Coccejus habet ut dogmata *fundamentalia* ea, quæ fuerunt definita in quatuor prioribus Conciliis; eadem Sabelliani, Ariani, Photiniani, Sociniani negabunt, illa ad fidem pertinere. Provocabit eos Coccejus ad auctoritatem illorum Conciliorum (4)? Sed ipsam ii spernent, & se munient principio Lu-

---

(1) Cur tantum quatuor priora Concilia, nisi quia ita Coccejo placuit? Erimus igitur Christiani, eosque credemus articulos, qui Coccejo placent, scilicet non Christiani, sed Coccejani erimus.

(2) Vrai syst. p. 209. & 227.

(3) In hac ipsa dissensione manifestatur, abesse à sectis hæreticorum spiritum unitatis, qui est veræ Fidei spiritus; hæc est enim illa unitas, de qua Apostolus ad Eph 4. v. 13. sq. ajebat: » Donec occurramus omnes in unitatem fidei. . . Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris «. Hæretici autem, cum se invicem tolerant, omni vento doctrinæ circumferuntur ad circumventionem erroris.

(4) Apostolus ad Gal. 5. damnat eos, qui necessariam circumcisionem esse dicebant in Lege Evangelica. Ibi v. 2. *si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Idem Apostolus 2. ad Tim. 2. damnavit Hymenæum, & Philetum, quia dicebant, resurrectionem esse jam factam. Si stet Cocceji principium, male egit Apostolus; neque enim errores de necessitate legalium, & de resurrectione jam

theranorum, & Calvinianorum negantium infallibilitatem Synodorum Œcumenicarum. Advocabit Scripturas; sed producent & illi testimonia Scripturarum, eaque à se bene, ab aliis male intellecta dicent. Convertet se ad spiritum privatum. At si tota res à spiritu privato pendet : hæretici illi respondebunt, se spiritu privato aliter esse inspiratos, aliterque sentire. Itaque ne ipsi quidem supererunt Coccejani articuli *fundamentales.*

777 Pari modo respondebunt Jurio, se negantes mysteria Trinitatis, & Incarnationis Verbi Dei, non magis evertere gloriam Dei, & ultimum hominis finem, quam negantes arbitrii libertatem, aut facientes Deum peccati auctorem. Quod si hi non errant circa articulos *fundamentales*, cur ipsi errabunt ? Si autem Jurius se recipiat ad unanimem, perpetuum, & universalem Christianorum consensum, reponent illi, id nihil esse aliud, quam confugere ad Traditionem, eamque pro regula habere in constituendis articulis *fundamentalibus.* Protestantes autem hanc regulam respuunt. Quare addent illi : si vobis licet Traditionem respuere in cæteris articulis, qui *fundamentales* non sunt, cur nobis non licebit illam respuere in articulis *fundamentalibus* ? Et si Traditio regula est ad constituendos articulos *fundamentales*, cur illam Protestantes universim rejiciunt, nolentes eam reponere in regulis fidei ? Insuper, nonne Protestantes ipsi tolerandos esse dicunt Socinianos, etiamsi cum Arianis conveniant in neganda Verbi Divinitate (1) ? Quid ergo concludunt ex suis *fundamentalibus* articulis (2) ?

778 Patet ergo manifestissime, in iis quæ ad Religionem

---

facta, erant de articulis *fundamentalibus* definitis in quatuor prioribus Conciliis. Insuper S. Petrus in 2. Epist. c. 3. v. 26. de quibusdam, qui depravabant Epistolas Pauli in his, quæ pertinebant ad secundum Domini adventum, ait, id eos facere *ad suam ipsorum perditionem.* Quinam erat articulus fundamentalis Coccejanus ab istis negatus?

(1) Non dubitavit Miltonus loc. cit. & Bælius in Comment. philos. p. 2. c. 10. adserere, Socinianos, & Arianos, & Macedonianos, & Nestorianos, & Eutychianos, & quoslibet alios hæreticos esse tolerandos.

(2) Addimus, hujus distinctionis articulorum *fundamentalium*, & non *fundamentalium* nullum in Ecclesia fuisse umquam vestigium. Ecclesia enim semper habuit ut hæreticos quotquot negarunt dogma quodcumque ad Fidem pertinens.

Christianam pertinent tamquam dogmata fidei, necessario requiri Ecclesiæ Catholicæ magisterium, apud quam servatur ea, quæ ab Apostolis est, Traditio (1). Quod quidem magisterium qui spernunt, vix facere possunt, quominus vi systematis in *tolerantismum*, & *indifferentismum* universalem ruant. Nullus enim erit articulus ab uno adsertus, qui non possit ab altero negari. Nam qua ratione poterit unus hos, vel illos articulos in Scripturis videre spiritu privato, eadem poterit & alter contendere, se in Scripturis aliter videre. Imo corruet & ipsa veritas Scripturarum, de qua certi non sumus, nisi quia Ecclesia Catholica eam ex Traditione proponit ut verbum Dei (2).

779 Ad primum respondemus, cultum superstitiosum non posse esse sincerum. Omnis autem cultus, qui Deo exhibetur extra Catholicam Ecclesiam, superstitiosus est; nam extra ipsam vel exhibetur cultus divinus, cui non debetur; vel non eo modo, quo debetur: quod utrumque ad superstitionem pertinet, ut dictum est (3).

780 Ad secundum negamus, ullam perturbationem induci inter homines ex intolerantia religiosa universali; hæc enim doctrinam respicit, non ea quæ pertinent ad statum civilem (4).

---

(1) Hæc Traditio principaliter conservatur in Ecclesia Romana, de qua S. Irenæus l. 3. adv. hær. c. 3. ait: » Ad hanc Ecclesiam » propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire » Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his » qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio «. Ab hac Ecclesia cum sint præcisi hæretici, non habent partem cum Christi hæreditate; ideoque circumferuntur omni vento doctrinæ, & erroris.

(2) Egregie de hac re scripsit Bossuetus cum in Hist. *des Variat.* tum in *Avertissemens aux Protestans.* Petrus Coste eamdem veritatem testatus est in Diss. ad Lockii *Christ. rationabilem.*

(3) §. 660.

(4) Dici vix potest, quantum obstrepant increduli recentiores adversus intolerantiam universalem Ecclesiæ Catholicæ, contendentes, eam esse originem magnarum perturbationum in rebuspublicis, fontemque immanium sævitiarum ad eos perdendos, qui aliter sentiunt ac Catholici. Illis autem in hoc genere auxiliares dant manus heterodoxi, qui eodem vesano odio contra Ecclesiam Catholicam ducuntur. Miseri propriam agunt causam; vellent enim errores, & impietates impune spargere, quin ab aliqua Potestate contineri possent. Hoc percitus adversus intolerantiam Catholicorum furore ita Bælius erat, ut in Dict. art. *Milton* scripserit: » Comme le Papisme est de

Multo minus intolerantia religiosa opponitur sanæ Morali ; non enim Catholici cum non tolerant gentiles, Mahumedanos, hæreticos, personam cujusquam detestantur, sed detestantur errores.

781 Ad tertium negamus, hæreticos esse Ecclesiæ membra: neque id colligitur ex parabola agri, qui non significat Ecclesiam, sed mundum, ut ipsemet Christus explicavit Matth. 13. v. 38. dicens: *Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.* Vasa autem lignea, & fictilia, de quibus loquitur Apostolus, non sunt hæretici, sed fideles peccatores, ut post S. Augustinum (1) S. Thomas observat (2).

782 Ad quartum respondemus, non modo baptismum col-

» tems immémorial le parti qui persécute le plus, & qu'il ne cesse » de tourmenter le corps & l' ame des autres Chrétiens par tout où » il le peut faire, c' est principalement à son expulsion que concluent » les tolérans les plus outrez «. *Quia Papismus ab immemorabili tempore secta est, quæ plus cæteris persequutiones commovet, nec cessat torquere corpus, & animam aliorum Christianorum, quoad ipsi permittitur; propterea tolerantes etiam liberiores pro ejus exclusione principaliter concludunt.* At Ecclesia Catholica cum persequutiones commovet in hæreticos, eodem spiritu ducitur, quo ducebatur Apostolus 1. ad Cor. 4. v. 21. dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* & quo ductus S. Basilius Epist. 278. al 246. de quodam nefario homine, quem frustra reprehenderat, ait: *Pago toti nuntietur, eum admittendum non esse ad ullam rerum ad vitam pertinentium societatem.* Non utique ad perdendum, sed ad corripiendum. Quod si hæretici errores suos aliis instillent, Ecclesia, quæ de filiorum suorum salute debet esse solicita, in illos persequutiones commovet, ut à cœpto desistant. Certe corporales pœnæ, & etiam pœna capitis constitutæ sunt à civilibus legibus in regnis, & rebuspublicis Christianis adversus hæreticos; easque leges cum Ecclesia Catholica commendat S. Augustinus Epist. 93. al. 48. ut hæretici ipsi ad Fidem, quam in Baptismate susceperunt, reducantur, vel saltem non creent aliis subversionis periculum. Hæc non placent impiis hominibus, qui nulla coerceri lege vellent, ut facilius in supremas insurgere Potestates possent, sicut avidissime optant, & ipsi hæretici tam sæpe factis probarunt. Idcirco furiose vociferant contra intolerantismum Ecclesiæ Catholicæ. Cæterum si Bælius scire velit turbationes, quas hæretici adversus Catholicos Principes suscitarunt, in Hollandia, & Gallia exempla habet luculentissima.

(1) Serm. 15. al 254. de Tempor. c. 2.

(2) In cit. c. 2. Epist. 2. ad Tim. lect. 3.

latum ab hæreticis, sed etiam collatum ab ethnicis, & ab atheis, validum esse, si faciant in ejus collatione, quod facit Ecclesia. Christus enim est, qui principaliter baptizat, ut ait S. Augustinus (1); alii vero baptizantes sunt instrumenta, quæ hoc ipso quod faciunt, quod facit Ecclesia, in ipsa collatione exhibent personam Ecclesiæ, ideoque valide baptizant (2). Quid ergo concluditur? An etiam ethnici, & athei dicentur ad Ecclesiam pertinere?

783 Ad quintum dicimus cum S. Thoma (3), eos qui falsitatem docent, cujusmodi sunt hæretici, nullo modo superædificare super fundamentum, scilicet super fidem Christi prædicatam ab Apostolis, sed magis subvertere fundamentum. Itaque per illos qui fundamento superædificant ligna, fœnum, & stipulam, vel intelliguntur ii, qui in charitate manentes, in venialia peccata incidunt; vel si verba Apostoli referantur ad superædificationem doctrinæ, intelligendi sunt illi, qui doctrinæ fidei superædificant non quidem falsa, & erronea, sed vana, & inania, ut idem S. Thomas explicat (4).

784 Ad sextum respondemus, sanctos viros, qui exstitere inter decem tribus tempore schismatis, neque se polluisse schismaticorum idololatria, neque cum eis in schismate communicasse; imo vero cum Judæis communicasse in cultu veri Dei. Quod fecerunt Elias, & Elisæus, & cum ipsis omnes illi, qui non curvaverunt genua ante Baal. 3. Regum c. 18. describitur sacrificium oblatum ab Elia, & v. 38. dicitur: *Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum.* Qua ex re colligitur, à Deo dispensatos fuisse tunc temporis Sanctos illos, qui prohibebantur ascendere in Jerusalem ad adorandum, & immolandum. Nusquam vero probatur eorum tolerantia religiosa; quinimo ostenditur, eos restitisse impiis conatibus illorum Regum, qui decem tribubus dominabantur. Adeantur liber 3. & 4. Reg. in quibus zelus describitur sanctorum Prophetarum, præsertim Eliæ, & Elisæi.

785 De primis Ecclesiæ fidelibus ex Judaismo conversis, & judaizantibus, ut & de S. Paulo, sic habeto ex SS. Au-

(1) Tract. 6. in Joann.

(2) De baptizatis ab hæreticis idem Augustinus l. 1. de Baptismo: *Ecclesia*, inquit, *illos parit.*

(3) In c. 3. Epist. 1. ad Cor. lect. 2.

(4) Loc. cit.

gustino (1), & Thoma, (2), legalia post Christi passionem, antequam Evangelium divulgaretur, fuisse quidem *mortua*, sed non *mortifera* (3), ut scilicet Synagoga cum honore se-

---

(1) Epist. 82. al. 19.

(2) 1. 2. q. 103. a. 4. ad 1.

(3) Voltairius in Dict. phil. art. *tolérance* multa congerit more suo scelestissima in Christum, & Apostolos, sanctamque Religionem nostram. Ait 1. » Les Juifs avoient une loi écrite avec le plus grand » détail, & nous n'avons pas une seule ligne de la main de Jesus «. *Judæi habebant legem scriptam accuratissime: nos autem ne unam quidem habemus lineam ex manu Jesu.* Quid inde concludis, impi? Jampridem S. Thomas ostenderat 3. p. q. 42. a. 4. propter excellentiam ipsius Christi, & ejus doctrinæ, conveniens fuisse, ipsum doctrinam suam scriptis non tradidisse. Hoc ipso igitur, quod doctrina Christi præstat legi Judæorum, hæc debuit describi in tabulis lapideis, illa in tabulis cordis. Pythagoras, & Socrates, quos tantopere extollunt increduli, nihil scriptum reliquerunt, ut ibid. S. Thomas observat.

Ait 2. » St. Paul Pharisien, disciple du Pharisien Gamaliel, ce » même St. Paul qui avoit persecuté les Chrétiens avec fureur, & qui » ayant rompu avec Gamaliel se fit Chrétien lui même, alla pourtant » ensuite sacrifier dans le Temple de Jérusalem, dans le temps de » son Apostolat. . . il judaisa entiérement. Le plus grand Apôtre des » Chrétiens fit pendant huit jours les mêmes choses pour lesquelles » on condamne les hommes au bucher chez une grande partie des peu- » ples chrétiens «. *S. Paulus Pharisæus, discipulus Pharisæi Gamalielis, ipsemet S. Paulus, qui Christianos furiose persequutus fuerat, Christianæque Religioni nomen dederat, propterea quod a Gamaliele sese abalienaverat, ipsemet ad Hierosolymitanum templum sacrificaturus pergit sui Apostolatus tempore. . & omnino judaizat. Maximus Apostolus Christianorum facit octo dierum spatio easdem res, propter quas ad ignem homines damnantur penes magnam partem populorum Christianorum.* Videte hominis iniquitatem. Tantum abest, ut Paulus factus fuerit Christianus, quia à Gamaliele sese abalienaverat, quantum certissime constat, Paulum, furiis invectum, fuisse è cœlo prostratum, & mutatum a Christo in virum alterum. Neque erat, cur Paulus a Gamaliele sejungeretur, ut Christo nomen daret: nam Gamaliel eo tempore, quo Saulus Christianos persequebatur, consilium dederat in concilio Judæorum, ut liberi dimitterentur Apostoli in carcerem conjecti, quia inquit: *si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini*, ut refertur Act. 5. v. 38. sq. Quo ex consilio evertitur cum incredulorum omnium perfidia:

peliretur ; & ideo licebat illa observare , modo tamen in

---

nam Christiana Religio dissolvi non potuit inter maximas Judæorum , & Gentilium persequutiones , sed magis fuit stabilita ; ideoque hoc ipso constat , opus non esse ex hominibus , sed ex Deo : tum impietas Voltairii , qui statim addit , plures fuisse *Messias* ante , & post Christum ; ut videlicet concludatur , Christum fuisse unum ex illis : cum tamen idem Gamaliel loc. cit. v. 36. sq. dixerit , exstitisse quidem Theodam , & Judam Galilæum cum nonnullis eorum sectatoribus ; omnes vero fuisse dissipatos , & in nihilum redactos, quia eorum consilium non erat ex Deo , sed ex hominibus. Quod autem Paulus judaizaverit , id fuit , quia tunc legalia non erant *mortifera*. Cæterum & ipse Paulus in suis Epistolis nihil aliud impensius Judæis ad Christum conversis suadet, quam justificationem non esse ex operibus legis, sed ex fide Jesu Christi, quæ per charitatem operatur. Mentitur autem Voltairius, cum dicit, Judæos igni addici propter ritus judaicos. Ubi igni damnantur, id est propter simulatam Religionem Christianam.

Progreditur impius , & comparationem instituit inter Quakeros , & primævos Christianos , aitque: » rien ne ressemble plus aux Apôtres «. *nemo plus quam illi assimilatur Apostolis*. Horret ad comparationem animus ; nihilominus ille , cujus institutum erat sacrilege jocari in rebus sanctissimis : » Les Apôtres , *ait* , recevoient l' esprit , & les » Quakres reçoivent l' esprit. Les Apôtres & les Disciples parlaient trois » ou quatre à la fois dans l' assemblée , les Quakres en font autant. » Il étoit permis , selon St. Paul , aux femmes de prêcher , & selon » le même St. Paul il leur étoit défendu. Les Quakres prêchent en » vertu de la premiere permission. Les Apôtres & les Disciples ju» raient par oui & par non , les Quakres ne jurent pas autrement. » Point de dignité , point de parure différente parmi les Disciples & » les Apôtres. Les Quakres ont des manches sans boutons , & sont tous » vêtus de la même maniere. Jesus-Christ ne baptisa aucun de ses » Apôtres, les Quakres ne sont point baptisés «. *Apostoli recipiebant spiritum , & spiritum recipiunt Quakeri. Apostoli , & Discipuli loquebantur terni , vel quaterni simul in concilio : idem faciunt Quakeri. Fœminis à S. Paulo permittebatur prædicare , ac simul interdicebatur. Quakeræ prædicant vi prioris permissionis. Apostoli , & Discipuli jurabant per est , est , & non , non ; similiter jurant Quakeri. Inter Discipulos , & Apostolos nulla erat diversitas dignitatis , & ornatus. Quakeri manicas habent absque fibulis , omnesque eodem vestiuntur modo. Jesus Christus neminem Apostolorum baptizavit : Quakeri baptizati non sunt.* Quis umquam vidit hominem nequius ineptientem? Ut comparatio cumulatior esset , debuisset describere, quot linguis diversis Quakeri loquantur in suis conventiculis ? quot prophetias edant? quot miracula faciant ? quot languidos sanent ? quot suscitent mortuos? quot liberent dæmoniacos ? quot perferant passiones ad mortem usque,

eis non reponeretur spes, quasi essent necessaria ad salutem. De hac necessitate actum fuit in Concilio Hierosoly-

---

eamque acerbissimam? Nisi hæc indicet, addatque virtutum eximiarum actus, qui in Apostolis, primisque Fidelibus effulsere, comparatio nulla erit. Receperunt Spiritum Sanctum Apostoli, & statim variis linguis loquuti sunt homines rudes, & imperiti. Recipiunt Quakeri spiritum vertiginis, & mendacii, & ideo furiis agitantur, nec quid loquantur sciunt. Nusquam Apostoli, & Discipuli in conciliis loquuti sunt terni, vel quaterni simul, sed unus post alium, ut ex c. 15. Act. Quakeri, cum plures simul eructant enthusiasmata sua, ostendunt, se duci spiritu erroris. Nusquam Apostolus permisit mulieribus docere in Ecclesia, & mentitur Voltairius id affirmans. Mulieres igitur Quakeræ in cœtibus docentes faciunt contra præceptum Apostoli. Petrus inter Apostolos primatum habuit honoris, & potestatis. Apostoli, & Discipuli hortabantur omnes, ut subjecti essent sublimioribus Potestatibus. Quid de manicis absque fibulis, & vestibus similibus Quakerorum, si hi nullam agnoscunt superiorem Potestatem, & omnimodam tuentur æqualitatem? Undenam vero Voltairius scivit, Christum neminem Apostolorum baptizasse? Quod si etiam dicatur, negabiturne, Apostolos fuisse baptizatos, cum Baptismus sit janua omnium sacramentorum? En quo denique devenerunt Quakeri, ut ne Baptismi quidem characterem habeant, ideoque puri sint ethnici, quamvis Christianismum se profiteri dicant. Voltairius autem neminem in Ecclesia inveniens, qui sit plus quam Quakeri, Apostolis similis, ostendit, quam proxime ad Julianum Apostatam accesserit, qui si potuisset, Baptismi characterem, quem receperat, delevisset.

Denique post multas congestas blasphemias adversus Christi Divinitatem, ejusque sanctissimam Religionem, Voltairius concludit: » S' il » étoit permis de raisonner conséquemment en fait de religion, il est » clair que nous devrions tous nous faire Juifs, puisque Jesus-Christ » nôtre sauveur est né Juif, à vécu Juif, est mort Juif, & qu' il a dit » expressement qu' il accomplissait, & qu' il remplissait la religion » Juive «. *Si in religionis materia consequenter ratiocinari permitteretur, perspicuum est, nos omnes Judaismum debuisse amplecti: nam Christus Salvator noster Judæus natus est, Judæus vixit, Judæus mortuus est, & expresse dixit, se adimplesse, & complesse Judaicam religionem.* Nihil minus Voltairius sciebat, quam ratiocinari consequenter, ipsaque hæc ejus verba demonstrant. Si Christus adimplevit, & complevit legem Judaicam; consequitur, non amplius debere nos eam sequi: nam quomodo fuisset completa, & expleta lex illa, quam hactenus observare teneremur? Vide S. Thomam 1. 2. q. 107. a. 2. ubi ostendit, per novam Evangelii Legem impleri veterem legem Judaicam, quæ novam Legem præfigurabat.

mitano, non de simplici observantia pro illis Ecclesiæ initiis; nec pro Judæis latum illud decretum fuit, sed pro conversis ex Gentibus, ut constat ex c. 15. Act. v. 28.

786 Ad septimum negamus, hæreticos facere quod in ipsis est, cum male intelligentes Scripturas, eas pervertunt; deberent enim audire Ecclesiam, quæ est magistra veritatis; cujus proinde magisterium spernentes, spernunt & ipsum Deum, dicente Christo Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Non debet Spiritus Sanctus infundere lumen iis, qui rebelles sunt lumini. Errantes ergo nulla digni sunt venia.

787 Ad octavum concedimus, maximam hominum partem æternum perire, non quod Deus velit, sed quod ipsi volunt perire. *Deus* enim *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum . . . Impii autem manibus, & verbis accersierunt illam*, ut dicitur Sap. 1. v. 13. & 16. Nemo unus est tam simplex, & rudis in regionibus, in quibus prædicatum est Evangelium, qui non teneatur, & possit scire, imo sæpissime probe non sciat, exstare Ecclesiam Catholicam, sectamque suam ab ea dissentire. Si ergo dissentiat, ex ejus culpa est, nec ignorantia dici potest invincibilis.

788 Ad nonum respondemus, Religionem revelatam non esse ex ideis naturalibus, quæ etiam non sunt menti inditæ, sed ex sensibus acceptæ, ut tom. 1. demonstravimus. Est igitur ex ideis, quas acquirimus per auditum; ut enim ait Apostolus ad Rom. 10. v. 17. *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Has autem ideas ii pervertunt, qui veritati resistunt; quam quidem pervertendi potestatem habent, abutentes libero arbitrio; ut enim dicitur Joann. 3. v. 19. *Hoc est judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.*

789 Ad ultimum respondemus, controversias inter Catholicos non esse de dogmatibus ab Ecclesia definitis; iidem vero Catholici parati sunt Ecclesiæ judicio stare, quidquid fuerit circa eas controversias ab ipsa definitum. Contrarium accidit in hæreticis.

ARTICULUS IV.

Utrum ea quæ pertinent ad Religionem revelatam, sint rationis examini subjicienda.

790 Qui Ecclesiæ magisterium spernunt, uti sunt omnes increduli, & hæretici, facere non possunt, quin ad meræ rationis usum, & examen confugiant in Religionis revelatæ negotio; vel enim nihil revelatum admittunt, quia eorum rationi id repugnare videtur; vel si revelationi subscribunt, ideo hoc faciunt, quia ita ipsis videtur ex rationis præscripto. Præiverant in hoc errore Manichæi, ut S. Augustinus refert (1), quos postea sequuti sunt Sociniani (2) expresse fatentes, nihil revelatum admitti debere, quod ex ratione non constet. Quibus accedit Lockius (3) docens, ex ratione constare debere, an res quæpiam sit revelata, quamvis non sit exquirenda ratio rei revelatæ, postquam ratione constitit, eam esse revelatam (4). Idipsum & cæteri sentire debent heterodoxi; cum enim ex privato spiritu scrutentur Scripturæ sensum, palam est, idcirco ipsos credere, quia sic quisque eorum judicat esse credendum. Quis-

(1) L. cont. Epist. Fundam. c. 6.

(2) Ipsemet Bælius in Dict. a. *Socin*, de Socinianis loquens, inquit: » L' objection la plus générale que l' on propose contre eux, » est qu' en refusant de croire ce qui leur paroît opposé aux lumie» res philosophiques, & de soumettre leur foi aux mysteres inconce» vables de la Religion Chrétienne, ils fraient le chemin au Pyrrho» nisme, au Déïsme, à l' Athéïsme «. *Generalior objectio, quæ contra ipsos urgetur, est quod cum credere renuant, quod eis videtur oppositum veritatibus philosophicis, & fidem submittere mysteriis incomprehensibilibus Christianæ Religionis, viam aperiunt ad pyrrhonismum, deismum, & atheismum.* Quæ cum sint communia cæteris heterodoxis, qui nihil credunt, nisi quod ipsi judicant esse credendum; evidens est, hæresim quamlibet iter parare ad pyrrhonismum, deismum, & atheismum, ipso fatente Bælio.

(3) De intell. hum. lib. 4. cap. 18. §. 10. & l. de Christianismo rationabili.

(4) Nuper eumdem propugnavit errorem Petrus Conradus in Orat. *de necessario, sed probe administrando rationis usu in Religionis revelatæ negotio*, habita anno 1751. & in ea universa aliorum sophismata collegit.

quis ergo extra Catholicam vagatur Ecclesiam, Revelationem rationi, ejusque examini subjicere debet.

791 Videtur autem ita dicendum (1), 1. quia Religio Christiana non jubet humanitatem, id est, rationabilitatem exuere. An forte Deus cum per revelationem homines alloquitur, truncis, brutis, aut mente captis loquitur? Et sane cum in cæteris disciplinis usus rationis sit plane necessarius; cur in re omnium gravissima, in qua felicitatis æternæ, atque exitii cardo versatur, nullus erit rationi locus?

792 II. Divinæ revelationis, & veritatis cœlitus revelatæ non ea est indoles, ut rationis examen nequeat sustinere. Erroris character est latebras quærere: veritas produci amat, nihilque erubescit, nisi solummodo abscondi. Cum ergo Christiana Religio maxime vera sit, rationis lucem nec metuit, nec fugit.

793 III. Si ratio excludatur in iis, quæ pertinent ad doctrinam revelatam, quid aliud erit fides, nisi stolida credulitas, ac mera pertinacia? Annon igitur sciendum est, cui credatur, & cur credatur, ne fides nostra purus sit enthusiasmus?

794 IV. Sensus communis dictat, ut certissime nobis constet, veritates revelatas revera esse à Deo, atque hanc, & non aliam esse Dei revelantis mentem, ne forte commenta hominum pro Dei oraculis amplectamur. Quomodo autem hæc obtineri sine rationis usu, & præsidio possunt?

795 V. Ut verus deprehendatur sensus sacrarum Scripturarum, ad certas regulas interpretationis est attendendum, nec cuiquam aliunde, quam ex hisce regulis, convenientia interpretationis potest innotescere. Hæc autem fieri absque rationis usu nequeunt. Nemo igitur à vera Scripturarum interpretatione, & intelligentia rationis usum potest excludere.

(1) Ex cit. orat.

Prop. I. *Argumenta extrinseca credibilitatis doctrinæ revelatæ non excludunt humanæ rationis examen.* II. *Argumenta vero intrinseca veritatis ejusdem doctrinæ revelatæ examen excludunt meræ, & simplicis rationis humanæ;* III. *Nisi forte ad illam explicandam, defendendamque adversus impios.* IV. *Non excluditur tamen examen ex ratione ab ipsa revelatione petita, dummodo non instituatur propter dubitationem, vel ad eam fovendam; sed propter veritatis intelligentiam, & manifestationem, & confirmationem; & dummodo ultima resolutio non fiat in ipsam rationem humanam, sed in Divinum testimonium ut ab Ecclesia Catholica propositum.*

796 Prob. 1. p. ex S. Thoma (1). Argumenta extrinseca credibilitatis doctrinæ revelatæ adeo sunt evidentia, ut à nemine sanæ mentis negari possint; quare doctrina revelata dicitur, ac revera est evidenter credibilis, exque iisdem argumentis evidentissime constat, eam esse à Deo, ut supra ostensum est (2). Atqui evidentia ad rationem pertinet, cujus est videre connexionem inter principia, & conclusiones ex eis illatas, ut in 1. p. dictum est (3). Argumenta igitur extrinseca credibilitatis doctrinæ revelatæ non excludunt rationis examen. Non ergo absque ratione Religioni Christianæ nomen dedimus, nec cæco modo in eam ducimur, ut sæpe nobis exprobant impii, nec vanas opiniones, & inania sequimur somnia, nec ei subscribimus tantum, quia ex parentibus Christianis, & in Christianis regionibus nati, & educati sumus; sed quia evidentibus argumentis ad eam inducimur, quibus ejus veritas demonstratur (4). Quapropter S. Petrus in 2. Epist. cap. 1. v. 16. sqq. *Non enim*, inquit, *doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam: sed*

(1) Lib. 1. cont. Gent. cap. 6.

(2) §. 708. sqq. (3) Tom. 1. §. 927.

(4) Impius Boulangierus *Le Christ. dévoilé* cap. 1. » La chose, *inquit*, » que tous regardent comme la plus importante pour eux, fut toujours » celle qu' ils craignirent le plus d' approfondir; ils suivent les routes que » leurs peres leur ont tracées; ils croyent, parce qu' on leur a dit dès » l' enfance qu' il falloit croire... presque jamais ils n' ont daigné se

speculatores facti illius magnitudinis, &c. ubi & ex miraculo transfigurationis Christi, & ex voce delapsa, & ex Prophetico sermone probat & Christi Divinitatem, & Prophetarum inspirationem.

797 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Argumenta intrinseca veritatis doctrinæ revelatæ nituntur Divina veritate, & veracitate tamquam medio; non enim ei doctrinæ assentimur, nisi quia est à Deo revelata. Si autem illa penderent ab examine meræ, & simplicis rationis humanæ, jam qui eis assentiretur, non inniteretur Divina veritate, & veracitate tamquam medio; duceretur enim pura humana ratione, quæ ipsi proponeret, hoc potius quam illud esse à Deo revelatum. Non crederet ergo propter Divinam revelationem, sed propter puram humanam rationem ei proponentem rem ut revelatam. Fieri igitur nullo modo potest, ut argumenta intrinseca veritatis doctrinæ revelatæ pendeant ab examine meræ, & simplicis rationis humanæ.

798 Præterea, doctrina revelata excedit omnem humanam rationem; est enim de rebus, quæ naturalem hominis superant captum. Si autem ejus veritas penderet ab examine meræ, & simplicis rationis humanæ, jam ipsam rationem non excederet: nam ratio non potest examini subjicere nisi id, quod sub ejus captu continetur; quis enim ad examen revocabit ea, quæ omnem comprehensionem excedunt (2)?

799 Insuper, quidquid per meram humanam rationem concluditur, vel concluditur *demonstrative*, vel *probabiliter*. Si quidem *demonstrative*, conclusio non solum est certa, sed etiam evidens. Si *probabiliter*, conclusio neque certa est, neque evidens, sed dumtaxat verisimilis. Si ergo argumenta intrin-

---

» rendre compte des motifs de leur croyance «. *Res quam universi spectant veluti maximi pro ipsis momenti, ea fuit, in quam profundius inquirere formidarunt; persequentes enim suorum patrum exempla, eos sunt imitati; credunt, quia ipsis ab infantia dictum est, esse credendum . . . ne dignati quidem sunt fere umquam expendere suæ fidei motiva.* Proh quanta jactantia! Universi qui Christiani fuerunt, & sunt, infiniti prope numeri, cæci fuerunt sectatores suorum majorum! Expectandus erat Boulangierus, aut pauci alii quidam, qui nihil minus sciunt, quam ratiocinandi artem, & toti sunt ex mendaciis compositi, qui tenebras dissiparent, & lucem afferrent. Quænam, si non hæc, deliratio appellari poterit, & amentia?

(1) 2. 2. q. 1. art. 1.

(2) Idem Opusc. 3. cap. 2.

seca veritatis doctrinæ revelatæ penderent ab examine rationis humanæ, in iis vel concludi deberet *demonstrative*, vel *probabiliter*. Si *demonstrative*, doctrina revelata esset intrinsece evidens; non ergo esset doctrina Fidei, quæ essentialiter est inevidens. Si *probabiliter*, doctrina revelata non esset omnino certa, sed ad summum verisimilis, nec proinde esset doctrina Fidei, quæ est omnino certa (1). Repugnat ergo rationem humanam præstare argumenta intrinseca veritati doctrinæ revelatæ (2).

800 Prob. 3. p. ex eodem S. Thoma (3). Gratia non tollit, sed perficit naturam. Humana igitur ratio debet servire doctrinæ revelatæ, *non quidem ad probandam fidem* (*quia per hoc tolleretur meritum fidei*), *sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina.* Et propterea idem S. Thomas sæpissime utitur rationibus naturalibus, quæ non probant quidem mysteria revelata, sed eorum congruitatem ostendunt. Si vero eadem mysteria ab impiis negentur, rationibus humanis utimur, non ad ea probanda, sed ad sophismata revincenda. Cum enim doctrina revelata sit infallibilis veritatis; fieri autem non possit, ut de vero demonstretur oppositum: quidquid opponitur contra doctrinam revelatam, non potest esse nisi sophisma; ideoque demonstrari potest ejus falsitas; sic autem non demonstratur veritas doctrinæ revelatæ, sed demonstratur falsitas argumenti contra ipsam. Ad explicandam ergo doctrinam revelatam, eamque ab impiis defendendam licet provocare ad humanæ rationis examen, ut demonstretur falsitas argumentorum adversus ipsam.

801 Prob. denique postrema pars. Sæpissime quæstiones instituuntur adversus hæreticos; in quibus ex doctrina revelata, quam ipsi admittunt, rationes eruuntur ad eos revincendos. Id autem non fit, quasi dubitemus de veritatibus illis, quas hæretici negant, sed ad veritates ipsas manifestandas, atque ad refellendos illorum errores (4). Multoties etiam contingit, ut

---

(1) In iis quæ evidentia non sunt, quisque falli potest. Cum ergo mysteria revelata evidentia non sint, si semel eorum veritas penderet ab examine rationis humanæ, nemo de ipsis posset esse infallibiliter certus; ideoque & ipsa revelatio destrueretur.

(2) Vide quæ diximus Tom. 1. §. 915. sqq. & in notis subjectis.

(3) 1. p. q. 1. a. 8.

(4) Vide S. Thomam art. cit.

hæretici ipsi, Divina excitati gratia, incipiant dubitare circa suos errores; utque eos deponant, ad examen revocant rationes, quas urgent Catholici. Utrumque hoc examen non adversatur doctrinæ revelatæ; non enim fit ad eam impugnandam, sed ad veritatem manifestandam, vel adsequendam. Necesse tamen est, ut ultima resolutio fiat non in rationem humanam, sed in testimonium Divinum, quo fides nititur; alioqui destruitur ipsa revelatio. Et quia in hæreticis expendentibus Scripturæ sensum privato spiritu, ultima resolutio fit non in Divinum testimonium, sed in propriam eorum rationem judicantem, ac decernentem, hunc potius quam alium debere esse Scripturæ sensum; manifestum proinde est, hoc eorum examen destruere rationem doctrinæ revelatæ, & in purum putumque naturalismum recidere. Oportet ergo, ut ultima resolutio fiat in Divinum testimonium, ut ab Ecclesia Catholica proponitur; ipsa est enim columna veritatis, servatque eam, quæ ab Apostolis est, Traditionem. Quare dum Ecclesiam Catholicam proponentem audimus, Divinum ipsum testimonium audimus, ad nos usque ab Apostolis per traditionem transmissum (1).

802 Ad primum respondemus, Religionem Christianam non jubere quidem, ut rationem exuamus; jubere tamen, ne ratione nitamur tamquam medio ad credendum doctrinæ revelatæ. Utique intellectus, seu ratio est, quæ credit Deo revelanti, dum per voluntariam electionem assentitur Divino testimonio (2). Sed hoc ipso ratio non est medium ad assentiendum; alioqui non Deo revelanti, sed sibimet dicenti crederet. In aliis disciplinis assentimur propter rationem, quia illæ rationem non excedunt, uti excedit doctrina revelata.

803 Ad secundum dicimus, doctrinam revelatam non metuere, nec fugere rationis lucem, quasi vera non sit; sed quia est summe vera, omnem superexcedit naturalis rationis lumen.

---

(1) Ne quis nos reprehendat, quasi quæstiones Theologicas in hunc transtulerimus locum, meminerit, debuisse nos contra incredulos agere, qui de neglecto examine in Religionis revelatæ negotio Catholicos præsertim accusant. Quos ut refutaremus, oportuit controversiam totam attingere, a qua maxime pendet doctrina Religionis revelatæ. Nam etsi hæretici eam admittere videantur, revera tamen negant; non enim credunt nisi judicio suo, quo decernunt, quid debeant, & quid non debeant credere.

(2) Vide S. Thomam 2. 2. q. 1. a. 4.

Nec propterea latebras quærit, sed contra impugnantes disputat victrix, eorumque dissipat ratiunculas.

804 Ad tertium respondemus, argumenta credibilitatis efficere, ne sit levis nostra credulitas (1); eademque argumenta ostendere, Deum esse auctorem doctrinæ revelatæ, ideoque ei esse credendum. Si autem ratione tamquam argumento intrinseco duceremur ad credendum, levissima, ac pæne stolida esset credulitas nostra; crederemus enim, quia ita videretur rationi nostræ, quæ facillime potest decipi etiam in iis, quæ sensum non excedunt; in supernaturalibus vero omnino cæcutit.

805 Ad quartum dicendum, nobis, ut dictum est (2), per Ecclesiam Catholicam certissime constare, veritates quas ipsa proponit, esse à Deo, nec aliam esse Dei revelantis mentem.

806 Ad quintum respondemus petendo, an certæ illæ regulæ hermeneuticæ interpretationis ad praxim deductæ in interpretando Scripturarum sensu, excludant omne errandi periculum? Quis hoc dixerit? Nam idem Scripturæ textus in contrarios sensus ab hæreticis, qui ex regulis illis hermeneuticis Scripturas interpretantur, distrahitur. Eumdem textum, *hoc est corpus meum*, Calviniani interpretantur figurate, Lutherani pro impanatione. Si autem regulæ illæ subjacent errori, quomodo ex ipsis constare poterit verus Scripturæ sensus? Hæretici ergo fallaces sequuntur regulas, quæ hoc ipso regulæ esse non possunt: nam quomodo regula, quæ ut non fallat, alia indiget regula?

ARTICULUS V.

Utrum Christiana Religio conferat ad politicam Reipublicæ utilitatem.

807 Nullam impii homines prætereuntes occasionem creandi invidiam in sanctissimam Religionem nostram, eam obesse dicunt publicæ utilitati. Ita Nicolaus Macchiavellus (3), Bou-

(1) Vide eumdem l. 1. cont. Gent. c. 6.

(2) §. 801.

(3) Hanc Macchiavelli impietatem refutavit Jo. Franciscus Buddæus in Diss. *de Concordia Religionis Christianæ, Statusque civilis.*

langierus (1), Rousseaus (2), atque alii increduli plerique omnes. Sic autem objiciunt.

---

(1) Le Christianisme dévoilé cap. 14.

(2) Tom. 8. opp. de contractu sociali l. 4. c. 8. ubi Religionem dividit in Religionem *hominis*, & Religionem *civis*. De prima ait: » La premiere, sans temples, sans autels, sans rites, bornée au » culte purement intérior du Dieu suprême, & aux devoirs éternels de » la morale, est la pure & simple Religion de l'Evangile, le vrai » Théisme, & ce qu'on peut appeller le droit divin naturel «. *Prima sine templis, sine altaribus, sine ritibus, circumscripta cultu mere interiori Dei supremi, æternisque moralibus officiis, est pura, & simplex Evangelii Religio, verus Theismus, & id quod appellatur jus divinum naturale.* Fidenter hæc Rousseaus scribit, quasi ei dicenti piaculum sit refragari. Negamus iterum atque iterum, talem esse Religionem Evangelii. Vera Evangelii Religio complectitur præcepta Sacramentorum, quæ Rousseaus negare non poterat, nisi & Baptismum negaret. Sacramenta autem pertinent ad cultum exteriorem. Quomodo ergo pura, & simplex Evangelii Religio potest esse circumscripta solo cultu mere interiori? Imo quomodo poterit esse *hominis* Religio? Homo constat ex anima, & corpore; qua igitur ratione erit Religio *hominis* ea, quæ circumscribitur cultu tantum interiori, omnemque exteriorem excludit cultum? Insuper, si Evangelii Religio nihil est aliud, quam *jus divinum naturale*, nulla est amplius Religio revelata, quæ est de rebus excedentibus naturæ jura.

Pergit Rousseaus ad alteram Religionis speciem, atque ait: «L'autre, inscrite dans un seul pays, lui donne ses Dieux, ses Patrons propres & tutélaires: elle a ses dogmes, ses rites, son culte extérieur » prescrit par des loix... Telles furent toutes les Religions des premiers Peuples, auxquelles on peut donner le nom de droit divin » civil, ou positif «. *Altera circumscripta uni tantum regioni, ipsi suos præscribit Deos, propriosque patronos, ac tutelares: suas habet dogmata, suos ritus, suum exteriorem cultum à legibus præscriptum... Tales fuerunt omnes Religiones primorum populorum, quibus tribui potest nomen juris divini civilis, aut positivi.* Videte, ut omnia perverse confundit. Primi populi fuere homines antediluviani, apud quos perstitit semper cultus unius veri Dei. Post diluvium homines, qui in idololatriam lapsi fuerunt, sicut à veri Dei cultu recesserunt, ita nullam veram Religionem habuerunt. Apud homines autem, qui veri Dei fuere cultores, semper à mundi initio viguit cultus exterior, isque in Lege veteri fuit ab ipso Deo determinatus per varia præcepta cæremonialia. Quid ergo Rousseaus miscet superstitiones ethnicorum cum ritibus veræ Religionis, illasque appellat jus divinum civile positivum?

Addit tertiam Religionis speciem: » Il y a une troisiéme sorte » de Religion plus bizarre, qui donnant aux hommes deux Législa-

808 I. In Christiana Religione, in primisque Catholica

» tions, deux Chefs, deux Patries, les soumet à des devoirs con-» tradictoires, & les empêche de pouvoir être à la fois dévots & » Citoyens. Telle est la Religion des Lamas, telle est celle des » Japonois, tel est le Christianisme Romain «. *Est & tertium speciosius Religionis genus, quæ hominibus duplicem præbens legislationem, duplex caput, duplicem patriam, eos subjicit officiis contradictoriis, eosque impedit, quominus esse possint simul devoti, & cives. Talis est Religio apud Lamas, apud Japonos, apud Christianos Romanos.* De Japonis, & Lamis nihil curamus; sunt enim ethnici; impudentiam vero Rousseaujanam detestamur in impia comparatione. Petimus autem ex Rousseau, an velit, legislationem civilem distinctam esse à legislatione Divina positiva? an Christum agnoscat ut Christianorum caput? an præter hunc mundum fateatur alteram futuram vitam? Si neget, ne ipsa quidem supererit Evangelii Religio, quam fingit sine templis, sine altaribus, sine ritibus. Itaque non alia erit legislatio præter civilem: non aliud caput præter civilem Principem: non alia patria præter civitatem, quam quisque incolit. Nullus etiam Deus erit, qui certe Legislator est, & Dominus, & bene agentibus in hoc mundo cœlestem promittit patriam. Si vero affirmat, quænam sunt illa officia contradictoria, quæ homines prohibent, ne possint esse simul devoti, & cives? Nec dicat, legislationem Divinam esse internam, Christumque esse caput invisibile, & invisibilem quoque esse patriam cœlestem. Nam si hæc non contradicunt juri civili, quia alterius sunt ordinis, & jus ipsum civile perficiunt, cur legislatio exterior Ecclesiæ, cur ejus caput visibile, cur Ecclesia ipsa, quæ etiam ordinis alterius sunt, & civile perficiunt gubernium, subjicient officiis contradictoriis?

Sed audiamus, quid ille censeat de triplici illo Religionis genere. » Elles, *inquit*, ont toutes leurs défauts «. *Hæ omnes suos habent defectus.* Quasi Deus, quamvis infinite sapiens, nescierit Religionem condere, quæ defectibus careret. Incipiens autem à tertia, ait: » La troisiéme est » si évidemment mauvaise, que c'est perdre le tems de s'amuser à » le démontrer «. *Tertia tam est evidenter mala, ut tempus inutiliter tereretur, si in eo demonstrando immoraremur.* Sic putavit, per simplicem contemptum posse pessundare veritatem, & quidem in re omnium gravissima. Quid responderet, si diceremus, in demonstrandis ejus paralogismis non esse tempus terendum? de victoria triumpharet. Sed quænam erit vel apertissima demonstratio, quæ non hoc modo negari facillime possit, si nempe dicatur, tempus non esse absumendum in ea expendenda? Nec quidquam ille probat, cum statim ait: » Tout ce qui romp l'unité sociale ne vaut rien; toutes les » institutions qui mettent l'homme en contradiction avec lui même » ne valent rien «. *Id omne, quod unitatem socialem rumpit, ad nihi-*

duæ sunt Potestates, duæque Legislatiònes, quarum una cum

lum prodest; omnes institutiones, quæ faciunt hominem contradicere sibi ipsi, nihil valent. Non, inquam, probat quidquam; negamus enim, Religionem Catholicam frangere unitatem Societatis, aut hominem ponere in statu contradictionis: quæ ille adsumit quidem, sed minime probat. Hæc est sapientia istiusmodi philosophorum, adsumere falsa tamquam certa, atque ex eis inferre consequentias, quæ nihil concludunt.

Alteram Religionis speciem, etsi judicet malam in cæteris, in hoc tamen bonam esse ait, quia *reunit cultum Divinum, & amorem legum; & cum efficiat, Patriam esse objectum adorationis Civium, eos docet, quod præstare servitium Statui, est servire Deo tutelari.* » La seconde est bonne en ce qu' elle réunit le cult divin, & » l'amour des loix, & que faisant de la Patrie l' objet de l' adoration des » Citoyens, elle leur apprend que servir l' Etat c' est en servir » le Dieu tutélaire «. Nova Religionis forma, quæ nullum alium agnoscit Deum præter Patriam, nullumque alium cultum præter servitium præstitum Statui. Religio Rousseau digna.

Jam de postrema sic præcipit: » Reste donc la Religion de » l'homme ou le Christianisme: non pas celui d' aujourd'hui, mais » celui de l' Evangile, qui en est tout-à-fait différent «. *Remanet igitur Religio hominis, sive Christianismus, non hodiernus quidem, sed Evangelii, qui est omnino diversus*, nimirum quia, ut dixit, nihil differt *à jure divino naturali*, ideoque ad purum putumque naturalismum spectat. Quis crederet? ne hæc quidem Religionis species componi à Rousseau potuit cum Societate politica. » Cette Religion, » *inquit*, n' ayant nulle relation particuliére avec le Corps politique » laisse aux loix la seule force qu' elles tirent d' elles mêmes sans leur » en ajoûter aucune autre, & par-là un des grands liens de la so- » cieté particuliére reste sans effet. Bien plus; loin d' attacher les » cœurs des Citoyens à l' Etat, elle les en détache comme de toutes » les choses de la terre: je ne connois rien de plus contraire à » l'esprit social «. *Hæc Religio, quia nullam habet peculiarem relationem cum Corpore politico, legibus relinquit solam vim, quam ex seipsis habent, quin ullam aliam adjiciat, indeque unum è potissimis societatis peculiaris ligamen suo caret effectu. Adhuc amplius; tantum abest, ut illa adhærere Statui corda civium faciat, quin inde distrahat, ut ex aliis omnibus telluris rebus: nihil video, quod magis opponatur spiritui sociali.* Falsissima hæc sunt: nam etiam Religio naturalis, & interior vim addit legibus civilibus, imo addit maximam; nisi enim Deus esset, nulla esset lex æterna, ideoque nec lex naturalis, nec lex civilis, quæ ab æterna derivantur. Homines etiam nisi Deum colerent, & revererentur, de legibus civilibus nihil curarent, nisi tantum metu pœnæ, quam si possent effugere, actum esset

altera pugnat. Politica autem Reipublicæ utilitas in unitate

---

de illis legibus. Quis autem dixerit, Christianum hominem posse recte agere, si nihil curet de bono communi Status, cum ejus procuratio ad ipsum aliqua ratione pertinet? Videtis, quam egregius ratiocinator sit Rousseaus.

At vero si nulla ex iis tribus Religionis speciebus compati potest cum Statu politico, quid erit reliquum, nisi omnem omnino Religionem ablegandam esse à Statu politico, ne quidpiam opponatur spiritui sociali Rousseau? Res seipsa patet. Nullam aliam Religionem, præter triplicem illam, agnovit Genevensis philosophus; omnis igitur Religio ad triplicem illam revocatur, ipso auctore. Tres autem illæ Religiones per ipsum contradicunt spiritui sociali, sive politicæ societati: quod vero politicæ societati contradicit, componi cum ea nequit: & quod cum ea componi nequit, est ab ea arcendum. Omnis igitur Religio arcenda est à statu politico. En post longos anfractus reducimur ad rempublicam atheorum.

Ac revera talis est Respublica, quam Rousseaus describit paulo post, inquiens: » Le droit que le pacte social donne au Souverain » sur les Sujets, ne passe point, comme je l' ai dit, les bornes de » l' utilité publique. Les Sujets ne doivent donc compte au Souve» rain de leurs opinions, qu' autant que ces opinions importent à » la Communauté. Or il importe bien à l' Etat que chaque Citoyen » ait une Religion qui lui fasse animer ses devoirs; mais les dogmes » de cette Religion n' intéressent ni l' Etat, ni ses membres, qu' au» tant que ces dogmes se rapportent à la morale, & aux devoirs que » celui qui la professe est tenu de remplir envers autrui. Chacun peut » avoir au surplus telles opinions qu' il lui plaît, sans qu' il appartienne » au Souverain d' en connoître «. *Jus quod pactum sociale Principi in subditos præbet, non prætergreditur, ut dixi, confinia publicæ utilitatis. Subditi ergo rationem suarum opinionum non tenentur Principi reddere, nisi quatenus earum interest Communitati. Interest autem Statui, ut quisque civis Religionem habeat, quæ ipsi suorum officiorum amorem inspiret; at dogmata hujus Religionis neque ad Statum, neque ad ejus membra spectant, nisi quatenus referuntur ad mores, & ad officia erga alios. In reliquis potest quisque opiniones quas malit, habere, quin earum cognitio ad Principem pertineat.* In Republica igitur, quam Rousseaus describit, & quam unice ut rectam admittit, nihil aliud requiritur, nisi ut quisque bene moraliter vivat, & officia erga alios impleat. An autem Fidem Catholicam habeat, an sit hæreticus, an deista, an atheus, nihil refert; nec ad Principem in hisce dogmatibus quidpiam pertinet. Hæc est religio *civis* Rousseaujana, cum qua jam dixerat componi non posse Religionem *hominis*. Judicent nunc æqui rerum æstimatores, an Rousseaus ullam agnoverit Religionem præter illam, quæ

consistit. Religio igitur Christiana opponitur politicæ Reipublicæ utilitati.

809 II. Religio Christiana interdicit omne id, quod floridam reddere Rempublicam potest: ipsa enim per cœlibatum, quem matrimonio præfert, populorum propagationem impedit. Ipsa divitias damnat, divitesque excludit à Regno cœlorum; ideoque nullum relinquit commerciis locum. Ipsa vetat quamcumque industriam Christianis, qui de nulla temporali re debent esse soliciti, nec cogitare de crastino. Ipsa quoque militiam Christianis inhibet, si velint operari consentanee ad sua principia; quis enim potest se periculo mortis exponere, nesciens, an sit in statu gratiæ? & quomodo potest Christianus, qui debet etiam inimicos diligere, hominem interficere, cujus internam dispositionem ignorat?

810 III. Christiani, si tendere, ut debent, ad perfectionem velint, sunt inutilia membra Reipublicæ; sunt enim otiosi contemplativi, qui non nisi de altera vita cogitant, nihilque commune habent cum mundo, imo nihil magis desiderant, quam de mundo exire. Poteritne cum hisce hominibus compati publicum politicum bonum? Nisi Christiani essent inconsequentes, nulla posset subsistere Christiana Respublica, hominesque redirent ad silvestrem statum.

811 IV. Bonum politicum Reipublicæ maxime pendet à publica tranquillitate. Hæc autem periclitatur sub Christiana Religione, cujus documenta efficiunt homines intolerantes, & persequutiones Principum commovent, redduntque

---

à Principe constituitur relate ad publicam utilitatem mere temporalem Reipublicæ, de qua statim ait: »Il y a donc une profession de »foi purement civile dont il appartient au Souverain de fixer les »articles«. *Est igitur quædam fidei professio mere civilis, cujus ad Principem pertinet articulos determinare.* Nam quod ait, ad Principem non pertinere inquisitionem de opinionibus subditorum in dogmatibus Religionis ab Ecclesia definitis, falsissimum est; siquidem Religio est præcipuum Reipublicæ fulcrum, à quo maxime pendet utilitas publica. Interea Rousseaus nullum alium invenire potuit patronum præter Hobbesium, de quo scribit: »Le Philosophe Hobbes »est le seul qui ait bien vû le mal & le reméde, qui ait osé pro»poser de réunir les deux têtes de l'aigle, & de tout remener à l'u»nité politique«. *Solus Hobbesius est, qui malum, & remedium bene vidit, & modum proponere ausus fuit reuniendi bina aquilæ capita, remque totam redigendi ad unitatem politicam.* Dignus auctor, quem Rousseaus sequeretur.

subjectos populos aut mancipia, aut rebelles. Christiana ergo Religio compati non potest cum politico Reipublicæ bono.

812 V. Illud etiam ex Christiana Religione malum in Rempublicam manavit, ut major divitiarum pars in Ecclesiasticorum manus devenerint, reliquis civibus in egestate misere languentibus: quod certe obest publicæ felicitati.

Prop. *Religio Christiano-Catholica apprime necessaria est ad veram politicam Reipublicæ utilitatem.*

813 Prob. ratione S. Thomæ (1). Nulla vera politica Reipublicæ utilitas haberi potest, nisi omnia particularia bona civium sint ordinata tamquam media ad bonum multitudinis, sicut in finem ejusdem Reipublicæ; & nisi ipsum bonum multitudinis sit ordinatum ut medium in finem ultimum, quæ est æterna beatitudo. Sicut enim Respublica corrueret, nisi cives bona particularia ordinarent ad bonum multitudinis, quod est bonum commune Reipublicæ; ita ipsum commune bonum Reipublicæ deficeret ab ultimo fine, nisi ad æternam beatitudinem, quæ verus & unicus est ultimus hominum finis, ordinaretur. Quorum ea firmissima ratio est, quia nulla ne concipi quidem potest vera utilitas, quæ non sit comparata ad finis assequutionem: nam media ideo utilia sunt, quia prosunt ad finem assequendum; quapropter si per ea finis assequutio haberi nequit, media utilia dici minime possunt. Sicut vero bona particularia civium ordinantur ut media ad bonum multitudinis, qui est finis Reipublicæ; ita hoc ipsum bonum multitudinis ordinatur tamquam medium ad beatitudinem æternam, quæ est ultimus hominum finis (2). Ut autem bonum multitudinis ordinetur ad æternam beatitudinem, necessario requiritur Religio Christiano-Catholica; hæc enim sola vera est, ut demonstravimus (3): & sine vera Religione nemo assequi æternam beatitudinem

(1) Opusc. 20. lib. 1. c. 14. sq.

(2) Scimus, incredulos id negare; nullam enim agnoscunt vitam futuram; vel si quam agnoscunt, eam reponunt in sola cognitione, & amore Dei naturali. Verum contra ipsos jam demonstrata est §. 684. necessitas Religionis revelatæ ex hoc ipso, quod homo ordinatur ad Deum, qui omnem intellectus, & voluntatis creatæ capacitatem excedit.

(3) §. 708.

potest. Nulla igitur vera politica Reipublicæ utilitas haberi potest sine Religione Christiano-Catholica, quæ proinde ad illam necessario requiritur.

814 Ad primum negamus, duplicem potestatem, & legislationem, quæ sunt in Religione Christiana, inter sese pugnare, aut Reipublicæ unitatem tollere. Ea enim, quorum unum ordinatur ad aliud, neque pugnant inter se, neque destruunt unitatem. Potestas, & legislatio humana subjicitur potestati, & legislationi Divinæ. Quis, nisi atheus, id negabit? An propterea destruitur unitas Reipublicæ, quia Princeps stat sub potestate, & legislatione Divina? Cur ergo destruetur unitas Reipublicæ, si Princeps in iis, quæ ad Religionem pertinent, subsit potestati, & legislationi Ecclesiæ? Egregie S. Thomas (1): »Quia, *inquit*, vitæ, qua in præsenti bene vivimus, finis »est beatitudo cœlestis, ad Regis officium pertinet, ea ratio»ne vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod con»gruit ad cœlestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea »præcipiat, quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, & eorum »contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat (2).

(1) Loc. cit. c. 15.

(2) Aurea hæc doctrina refellit quod Rousseaus scribit loc. cit. loquens de supremo Principe: »Comme il n' y a point de compétence »dans l' autre Monde, quelque soit le sort des Sujets dans la vie à »venir, ce n' est pas son affaire, pourvu qu' ils soient bons Citoyens dans celle-ci«. *Cum ad ipsum nihil pertineat de altero mundo, quæcumque sit subditorum sors in vita futura, tale negotium ad ipsum non spectat, modo sint boni cives in hac vita.* Negamus, quempiam posse esse vere, & absolute bonum civem, nisi in hac vita bene vivat. Si enim male vivat, etiamsi non sit deordinatus à bono communi multitudinis, est tamen deordinatus à fine ultimo, ad quod ipsum bonum commune multitudinis ordinatur; ideoque vere, & absolute bonus civis non est, qui ordinari debet ad ipsum ultimum finem, ad quem ordinatur bonum commune Reipublicæ. Finis autem vitæ, qua bene vivitur, est futura vita, sive cœlestis beatitudo: nam, ut ait Sanctus Augustinus Tract. 45. in Joann. »Ad »hoc debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vi»vere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere«? Cum ergo ad Principes pertineat curare, ut subditi bene vivant, ad ipsos pertinet etiam curare, ut ea ratione vitam instituant, quæ congruat assequutioni felicitatis æternæ. Et cum hæc assequutio pendeat à vera Religione, sine qua nemo Deum assequi potest, pertinet etiam ad Principes præcipere, ut populi subjecti veram Religionem secten-

»Quæ autem sit ad veram beatitudinem via, & quæ sint im-»pedimenta ejus, ex lege Divina cognoscitur, cujus doctrina »pertinet ad Sacerdotum officium, secundum illud Malachiæ 2. (v. 7.): *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem »requirent ex ore ejus.* Et ideo in Deuter. 17. (v. 18.) Dominus præcipit: *Postquam sederit (Rex) in solio regni sui, »describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, acci-»piens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit »secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat »timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cære-»monias ejus, quæ in lege præcepta sunt «.* Tantum igitur abest, ut duplicitas capitis, & legislationis in Rebuspublicis Christianis quidpiam obsit earum unitati, ac felicitati; quin sit omnino necessaria, ut Princeps qui Reipublicæ præest, ordinare possit subjectum populum ad finem ultimum ipsius Reipublicæ, quæ est cœlestis beatitudo, accipiens doctrinam legis Divinæ ex ore Sacerdotum, ac præsertim ex ore summi Sacerdotis, quem Deus posuit regere universam suam Ecclesiam. Non sunt ergo Catholici, qui detrahunt auctoritati supremarum Civilium Potestatum, agnoscentes in Christianis Rebuspublicis Potestatem etiam Ecclesiasticam, quæ præest rebus ad Religionem pertinentibus. Impii homines sunt illi, qui Principes Civiles potestate spoliant *præcipiendi ea, quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria interdicendi* (1).

---

tur, & interdicere ea, quæ illius puritatem labefactare possunt. Quare præcipue ipsis curandum est, ut conatibus incredulorum resistant; qui idcirco omni in hac re potestate Principes spoliant, ut nemine contradicente impietates spargere suas possint.

(1) De hac eadem re agens impiissimus Rousseaus, non dubitavit Christum Dominum Mahumeto postponere, quasi is formam regiminis melius constituerit, collata Principi utraque potestate in Religionem, & Rempublicam. »Mahomet, *inquit*, eut de vues très-»saines; il lia bien son système politique, & tant que la forme de »son gouvernement subsista sous les Califes ses successeurs, ce gou-»vernement fut exactement un, & bon en cela «. *Mahumetus sanissime vidit; recte composuit suum systema politicum, & quousque forma gubernii substitit sub Califis ejus successoribus, gubernium fuit perfecte unum, & in hoc ipso bonum.* In his autem verbis nescimus, utrum magis impietatem, quam stultitiam Rousseau debeamus detestari. Nam ipsemet *lett. 1. écrit de la montagne*: »Nous, *ait*, cro-»yons Jesus-Christ revêtu de cette autorité (divine); nous reconnois-»sons une vertu plus qu'humaine dans sa conduite, & une sagesse

815 Ad secundum negamus, Religionem Christianam quidpiam eorum interdicere, quæ conferre ad Reipublicæ felicitatem possint. Si ex factis concludenda res est, ubinam in toto orbe scientiæ, artes, commercia, omnisque humanæ vitæ ratio magis coluntur, quam in iis regionibus, in quibus viget Christiana Religio? Non putamus, Boulangierum, Rousseaum, aliosque incredulos ausos fuisse dicere, Galliarum regnum, in quo Christus adoratur, minus esse cultum, quam imperium Turcarum, Sinensium, Japonorum, Malabaricorum, Æthiopum, &c.

816 Sed percurramus singula Boulangieri objecta. Cœlibatus, inquit, propagationi nocet. Peto, an populi frequentia magis floreant regiones, quæ Mahumetanis subsunt, an vero, quæ parent Principibus Catholicis? In illorum regionibus olim exstabant urbes celeberrimæ, Antiochia, Ephesus, Philadelphia, Carthago, &c. quæ tamen vel non exstant amplius, vel ad vilissimos pagos sunt redactæ: & nisi inter Mahumetanos tot essent Græci, Armeni, Syri, Galli, Itali, &c. deserta essent, & horrida omnia. Mahumetani de cœlibatu ne cogitant quidem, imo polygamiam servant; cur ergo tam magna in eis depopulatio, ac pæne vastatio (1)? Pleræque etiam

---

» plus qu' humaine dans ses leçons «. *Nos credimus Jesum Christum Divina præditum auctoritate; in ejus agendi ratione virtutem agnoscimus humana majorem, & sapientiam plusquam humanam in ejus lectionibus.* Poteratne pugnantius loqui? nam quomodo sapientia plusquam humana, planeque Divina in Christo fuisset, si minus Mahumeto vidisset in forma Religionis constituenda? Pudeat tandem Rousseau admiratores etiam Catholicos laudibus efferre tale impietatis, & contradictionum monstrum.

(1) Genuensis in Lect. Œcon. Civ. p. 1. c. 5. §. 26. hujus depopulationis causam refert in ipsam polygamiam, subscribitque Premontualio affirmanti, polygamiam propagationi humanæ obesse, non prodesse. At si id verum foret; cur Deus dispensavit cum Sanctis Patribus Veteris Testamenti, ut plures habere uxores possent? Censerine debet dispensasse, ut impediretur propagatio major, quæ haberi potuisset per monogamiam? aut forte dicetur dispensasse, ut magis illi possent voluptati indulgere? Utrumque cum Dei sapientia, & sanctitate pugnat. Dispensavit ergo, ut docet. S. Thomas in 4. d. 33. q. 1. a. 2. *ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ.* Quod idem docet S. Augustinus Serm. 51. al 63. de div. cap. 15. » Ut filios, inquit, procrearent, ideo illis permissum est, » ut plures (uxores) haberent. Nam si libido immoderata placeret

septentrionales regiones, in quibus nulla cœlibatus habetur ratio, non ita civibus abundant ut olim, cum in eis cœlibatus colebatur, neque ut Gallia, & Italia, ubi multi sunt cœlibes (1). Præterea quisquis leviter attigit veteres Geographos, Strabonem, Melam, Ptolemæum, eosque cum posterioribus Geographis contulit; novit, quam magna urbium, pagorum, locorum accessio facta sit urbibus, pagis, locis, quæ à Geographis illis antiquioribus describuntur; quamquam posterioribus sæculis magnus exstiterit numerus cœlibum. Nunc quoque in iis ipsis regionibus, in quibus à multis colitur cœlibatus, frequens est populus, præsertim in Gallia. Non est igitur cœlibatus, qui depopulatur regna; aliæ inquirendæ sunt causæ. A qua nos inquisitione supersedentes, cum ad rem nostram

---

» Deo, sic permitteretur illo tempore, ut una fœmina haberet plu» res viros, quomodo unus vir plures fœminas. Quare omnes fœminæ » castæ non habebant amplius uno viro, vir autem plures fœminas? » nisi quia plures habere fœminas unum virum, pertinet ad prolis » numerositatem: una autem fœmina non quo plures habuerit viros, » plures poterit parere filios «. Polygamia igitur se ipsa non impedit, sed promovet procreationem filiorum. Non ergo polygamia causa esse potest desolationis regionum plurimarum in Turcico imperio: imo ex polygamia ipsa innumerabilis ferme ibi deberet esse hominum multitudo. Alia igitur debet esse causa illius depopulationis. Miramur, quod impii polygamiam non advocarint, ut Respublicæ frequentiores civibus essent: ideoque in Evangelica Lege non cœlibatum modo, sed etiam monogamiam damnarint, tamquam adversam publicæ felicitati.

(1) Verus, non fictus Mirabaud in præclaro opere *L' Ami des hommes* to. 1. c. 2. refert querelas Davidis Hume, aliorumque Anglorum, quod Anglia in dies magis ac magis depopulabatur, aitque, veram causam illos non tetigisse, quam ipse judicat repositam in Angliæ divitiis. In Anglia certe non multi sunt cœlibes. Nihilominus Genuensis loc. cit. in not. ad §. 28. loquens de regionibus septentrionalibus, ait: » Io crederei più tosto, che se vi è stata do» po il XII. secolo qualche mancanza di popolazione, sia più da » attribuire al celibato delle donne, che sottrae i fondi alla genera» zione, che alla Monogamia «. *Si qui post* XII. *sæculum est ibi frequentiæ populi defectus, crederem potius, tribui magis debere cœlibatui mulierum, qui generationi subtrahit fundos, quam monogamiæ.* Legantur quæ Valsechius *De' fondamenti*, &c. l. 2. c. 12. §. 8. in not. refert ex Auctore *Lettres sur les Anglois*, & ex Litteris pastoralibus Pseudo-Episcopi Londinensis; & verior perspicietur causa defectus, quam Hume deflebat.

non faciat, dicimus, satis prospectum iri propagationi sobolis, etiam ubi multi sunt cœlibes, (qui numquam erunt valde multi, *non* enim *omnes capiunt verbum istud*, ut dicit Christus Matth. 19. v. 11.) si, ut ait Apostolus 1. ad Thessal 4. v. 4. sq. *sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum* (1). Denique Christiana Religio cœlibatum non præcipit, sed consulit iis, qui ad altiorem perfectionem adspirant (2). Veremur autem, ne propter nuptias intempestive ab iis initas, qui filios alendi facultates non habent, recrudescat malum, quod in ethnicis deplorabat S. Justinus M. (3) scribens: *hominum improborum esse pueros recens natos exponere* (4), qui postea

---

(1) Quærere quis posset, utrum increduli homines, qui cœlibatum collocant in Reipublicæ damnis, addiderint generationi fundos, ut Genuensiana utamur phrasi? Quid addiderint Spinoza, Hobbesius, Bælius, Voltairius, aliique eorum, non videmus. Cur ergo exprobrant Catholicis cœlibatum, si ipsis uxorem ducere neglexerunt? Et si adeo erant soliciti de addendis generationi fundis ad Reipublicæ felicitatem, cur nihil ipsi addiderunt? Fortasse dicent, ita se gessisse, ut possent liberius vacare studiis. At si hoc dicent, cur non licebit Catholicis colere cœlibatum, ut possint liberius vacare Deo, & studiis propter Deum?

(2) Auctor *Exam. de la Relig.* c. 10. putat, cœlibatum esse præceptum singulis Christianis; idque ita demonstrare credit: Omnes Christiani tenentur tendere ad perfectionem: nam Christus dixit: *Estote perfecti.* Atqui virginitas perfectior est matrimonio; ergo omnes Christiani amplecti virginitatem debent, ut sint perfecti. Cœlibatus ergo singulis Christianis est præceptus. Quis non videt paralogismum? Perfectio Christiana non consistit in consiliis, sed in charitate: *Unumquodque*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 1. *dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est, quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis, quia* qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, *ut dicitur* 1. *Joann.* 4. » Virginitas ergo, ut & alia » consilia non sunt ipsa perfectio, sed perfectionis instrumenta, non » quidem absolute necessaria ad habendam charitatem, & adsequendum » finem ultimum, sed ut facilius, & securius ad illum perveniamus «, ut idem S. Thomas demonstrat loc. cit. a. 3. Quid ergo concludit jactata illa demonstratio?

(3) Apolog 1. n. 27.

(4) Probare non dubitavit Montesquius veterum Romanorum morem exponendi suos filios. L. 23. c. 22. ait: » Les premiers Ro- » mains eurent une *bonne* police sur l'exposition des enfans «. Ci-

ad stupra non puellas solum, sed etiam masculos producant; ideoque *& puerorum ad turpes dumtaxat usus, & fœminarum pariter, ambigui sexus hominum, ac nefanda patrantium turba ad hoc piaculum prostat* (1). Cæterum si inter milites magna est cœlibum multitudo, neque id obest Reipublicæ felicitati, quia milites pro Republica pugnant: si leges Fideicommissorum, Majorascatuum in rebuspublicis recte ordinatis sunt constitutæ, nec sapientissimi Viris visæ sunt nimium subtrahere fundos humanæ generationi, ad conservandum splendorem illustrium familiarum (2); cur cœliba-

---

tatque Dionysium Halicarnasseum scribentem, Romulum præcepisse, ut filii deformes, & monstrosi exponerentur. Quid, si parentes hanc sequi vellent Montesquii sententiam, & *bonam* censerent *politicam* exponendi filios deformes? Nonne agerent contra justitiam naturalem, quæ parentibus imponit onus alendi filios etiam deformes? Montesquius autem hasce tradebat lectiones agens *de spiritu legum.*

(1) Addit S. Thomas post Aristotelem 2. Polit. lect. 6. modum esse ponendum procreationi filiorum, » quia si permittatur, quod in » infinitum homines generent . . ex necessitate sequitur, quod ex hoc » proveniat causa paupertatis civibus: multi enim filii pauperes » erunt, habentes id solum, quod eorum pater dives habebat: ex pau» pertate autem civium sequitur, quod sint seditiosi, & maligni, quia » dum non habent necessaria vitæ, student ea acquirere fraudibus, & » rapinis «. Hæc est vera politica, non ea quam vellent inducere increduli, sublato cœlibatu, qui potius necessarius est ad Reipublicæ tranquillitatem.

(2) Non sumus nescii, ejusmodi leges Fideicommissorum, & Majorascatuum Genuensi non placuisse, propterea quod, ut scribit loc. cit. §. 22. »i Feudi, e i Fedecommessi, poichè sono de' primoge» niti, obbligano i secondogeniti, per la tenuità del loro patrimo» nio, al celibato o religioso, o militare, o domestico; e così annien» tano i fondi della propagazione del genere umano «. *Feuda, & Fideicommissa, quia ad primogenitos pertinent, cogunt secundogenitos, ob patrimonii tenuitatem, ad cœlibatum religiosum, aut militarem, aut domesticum; atque ita in nihilum redigunt fundos propagationis generis humani.* Magna sane audacia, improbare leges jamdiu constitutas in politioribus regnis, & constanti usu retentas. Dividatur autem tota hæreditas patris nobilis, ac divitis inter multos filios hæredes, ut Genuensis jubet, iique omnes per matrimonia fundos augeant propagationis humani generis; ubinam erunt amplius familiæ illustriores? Divisa hæreditas inter filios, & rursus inter eorum filios ac nepotes, vix subsistet amplius, multique erunt pauperes, & absurda sequentur, quæ innuimus not. præc. Hæc fortasse non displicebant Genuensi, qui pro æqualitate Quakerorum laborabat.

tus Ecclesiasticorum, & Religiosorum, ut Deo, rebusque divinis vacare diligentius possint, politicæ utilitati perniciem creabit (1)?

At neminem sensatum reperiet, qui ei subscribat; præsertim quia hæc ipsa ejus doctrina seditiosa est, ut quisque videt, vel nobis tacentibus. Neque sequitur, secundogenitos esse cœlibes invitos: nam & ipsi animadvertere debent, non casu, sed Dei providentia primogenitos non esse; ideoque voluntarie debent parere legi, quæ ipsos a jure primogenitorum excludit: id quod erit, si Christiane sint educati.

(1) Multa de generis humani propagatione scribit Montesquius l. 23. Longum nimis esset, universa recensere, & in singula animadvertere, ut facillime possemus. Hæc tantum sint satis. Itaque c. 21. agens de legibus Romanis pertinentibus ad speciei propagationem, & de mutationibus in eis factis à Constantino, ait: » De ce premier objet » vinrent ces loix qui donnérent une telle autorité aux évêques, qu' elles » ont été le fondement de la jurisdiction ecclésiastique «. *Ex primo hoc objecto manarunt leges, quæ talem Episcopis auctoritatem dederunt, ut ipsæ fuerint fundamentum Jurisdictionis Ecclesiasticæ.* En paucis Jurisdictio Ecclesiastica in nihilum redacta. Nam si leges Constantini fuerunt ejus fundamentum, nulla fuit ante Constantinum, nec ulla est Jurisdictio Ecclesiastica juris divini.

Paulo post: » La même raison, *ait*, de spiritualité qui avoit fait » permettre le célibat, imposa bientôt la nécessité du célibat même. » A Dieu ne plaise que je parle ici contre le célibat qu' a adopté la reli» gion: mais qui pourroit se taire contre celui qu' a formé le liberti» nage «? *Eadem spiritualis ratio, ob quam cœlibatus fuerat permissus, non multo post necessitatem ejusdem cœlibatus imposuit. Absit, ut loquar contra cœlibatum, quem Religio adoptavit: at tacere quis posset contra illum, quem formavit licentia?* Cœlibatus in Christiana Religione numquam fuit tantum *permissus*; permittuntur enim ea, quæ sunt mala: cœlibatus autem est opus perfectionis. Numquam vero fuit imposita *necessitas* cœlibatus, nisi iis tantum, qui voluntarie ad illum se obligavere per votum. Hos videtur ferire Montesquius, quasi dicat, non reprobo cœlibatum eorum, qui nulla lege ad illum tenentur; reprobo cœlibatum illorum, qui cum voto se adstrinxerint, postea frangunt ex libidine. Non negamus, aliquos hujus generis esse cœlibes: nam & ipsi thesaurum portant in vasis fictilibus. At quis, nisi impie, dixerit, licentiam esse hujus cœlibatus causam?

Scimus, in Apologia op. Montesquii p. 2. de cœlibatu, excusationem prætexi, quod cœlibatus, quem Montesquius dicit oriri ex licentia, est cœlibatus illorum, qui matrimonii jugum ferre nolunt, ut licentiosius vivant. Sed vanum est effugium: nam Montesquius loquitur de cœlibatu, cujus *necessitatem eadem spiritualis ratio induxit, ob quam*

817 Falsum est autem, Religionem Christianam absolute

cœlibatus fuerat permissus : quod certe non respicit cœlibatum assumptum ad fovendas licentias, sed pertinet ad cœlibatum *ex voto*, qui *necessarius* fit ex causa spirituali.

De Nosocomiis Montesquius agens c. 29. ait : » Henri VIII. vou» lant réformer l' église en Angleterre, détruisit les moines, nation » paresseuse elle-même & qui entretenoit la paresse des autres... » Il ôta encore les hôpitaux, où le bas peuple trouvoit sa subsistance «. *Henricus VIII. reformare volens Ecclesiam Anglicanam, destruxit Monachos, gentem otiosam se ipsa, & quæ fovebat otium aliorum... Sustulit etiam nosocomia, in quibus plebeji homines suam reperiebant subsistentiam.* Docuerat jam l. 14. cap. 7. *Monachatum ortum esse in calidis regionibus Orientis, in quibus homines minus ad actionem, quam ad contemplationem sunt apti* : » Le monachisme est né dans les » pays chaud d' Orient, où l' on est moins porté à l' action qu' à la spécu» lation «. Itaque statum perfectionis Christianæ ad physicas dumtaxat leges revocavit; sibique contradixit : nam Monachi magno numero erant in Anglia, ut erant, & sunt in aliis Septentrionis, & Occidentis partibus, quæ certe non sunt nimis calidæ. Comparaverat etiam ibid. Monachos nostros, qui sunt electa portio Religionis Christianæ, cum *Dervichis* Mahumetanis, aliisque similibus Indiarum hominibus. » En Asie » le nombre des derviches ou moines semble augmenter avec la » chaleur du climat ; les Indes, où elle est excessive, en sont rem» plies «. Non fuit autem illi satis ita impie scripsisse, nisi commendaret etiam Henricum VIII. qui Ecclesiæ Anglicanæ se constituit *caput*, & a Catholica Religione ob vesanum amorem descivit, legitima repudiata uxore ; quasi inducto schismate, & hæresi, Anglicanam *reformarit* Ecclesiam, magnumque fecerit facinus Monachos destruendo, & nosocomia tollendo. Nè miremur, Montesquius cum hæc scribebat, eodem spiritu ducebatur, quo cæteri increduli : nam quî aliter potuisset originem Monachatus repetere à climate ; Monachos nostros comparare cum *Dervichis* ; Henricum VIII. celebrare tamquam *reformatorem* Ecclesiæ Anglicanæ?

Quia vero Monachos habet ut gentem otiosam, & foventem in aliis otium, ei opponimus non Mabillonium in Præfat. ad sæc. 1. Benedict. n. 114. non Gaultierum *Les lettres Persanes convaincues d' impiété* pag. 92. neque Sanderum l. 1. de Schism. Anglicano ad ann. 1535. aliosque Scriptores Catholicos, sed Anglum Protestantem Joannem Marshamum in Propylæo ad Monasticum Anglicanum, ubi inter cætera scribit : » Monachatus olim maxima fuit pars » gentis Ecclesiasticæ : & parietes cœnobiales diu sanctitatis, & me» lioris litteraturæ fuerunt sepes. Ex illo seminario prodierunt ingen» tia illa Christiani orbis lumina, Beda, Alcuinus, Willebrordus, » Bonifacius, alii ob doctrinam, & propagatam fidem impense co-

damnare divitias, ac divites; damnat enim abusum. *Divitibus hujus sæculi*, ajebat Apostolus 1. ad Tim. 6. v. 17. sqq. *præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.... Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quibus ex verbis non solum constat, bonum usum divitiarum prodesse divitibus, ut apprehendant vitam æternam; sed etiam evidentissime demonstratur iniquitas Frereti effutientis, Apostolos ad Christum non convertisse nisi populi fæcem. Similiter nec prohibet Religio Christiana curam, & industriam in rebus temporalibus, modo ita curentur, ut charitas non occidatur. Solicitudo autem, quam Christus prohibet, non respicit industriam, & laborem, quem

---

» lendi. Absque Monachis nos sane in historia patria essemus pueri «. Hi scilicet sunt gens illa *otiosa*, aliorum fovens otium, quam merito Henricus VIII. morum perditissimorum, reformandæ Anglicanæ Ecclesiæ causa, exterminandos curavit, Montesquio plaudente. Sed audiendus est Wood & ipse Anglus e Protestantium cœtu, qui loquens de falsis Angliæ Reformatoribus, sic ait in Hist. Univers. Oxon. ad ann. 1535. » Revera hi Aristarchi potestate aucti, quam minime » merebantur, facili compendio alios inscitiæ postulabant, quo pro» priam minus suspectam redderent, instauratores se litterarum pro» fessi, ut eruditorum opes interverterent, rapinis, & sacrilegio re» formationem prætexentes «. Videat Montesquius, videant qui ipsum admirantur, & sectantur, an hæc aptari eis possint; otiumque & inscitiam ideo Monachis exprobrent, *ut propriam minus suspectam reddant*, utque rapinis, & sacrilegiis in eorum irruant bona. Sequitur Wood: » Statuere visitatores illi familias plerasque Religiosas vel scelerum » gravissimorum ultro insimulare; cum interim latifundia sola, & » opes, quibus abundabant, in crimine versabantur «. Hæc vera, imo unica causa fuit, cur tantopere in Monachos Angli fuerint debacchati. Pergit Wood, atque Academiam Oxoniensem tunc temporis pæne collapsam deflens: » Cæterum, *inquit*, certissimum est, defloruisse sub » hæc disciplinas, artesque intermortuas jacuisse.... quare meminisset » Rex Henricus, Academiam nostram quoad mores juxta, & eruditionem in pejus ruentem criminatus, id sibi præsertim, aut Consiliariis suis tribuendum fuisse, cum nemo ignoret, ingenia hominum » paupertate non minus, quam luxu corrumpi «. Idem Wood de nostris Fratribus agens: » Hospitium, *inquit*, illud (Dominicanorum) » cum tota clausura terræ, &c. ab Henrico VIII. anno Regni 36. » pro 1094. libris divendebantur... Illos autem (Dominicanos) memoria æterna insidere fas est, qui haud sine ingenti rei academicæ » emolumento nobiscum agebant «. Sed de his hactenus.

Christiani impendere debent, pro ratione status, in procurandis vitæ ac statui necessariis; sed ad eos pertinet, qui nimium suis confidunt viribus, nulla habita ratione Divinæ Providentiæ.

818 De bello justo, quod licitum sit Christianis, jam supra diximus §. 488. Nunc autem ad sophisma Boulangieri respondentes, negamus, neminem posse certo *moraliter* scire, se esse in statu gratiæ: nam si nullius peccati lethalis homo sit sibi conscius, quod non expiarit sacramento pœnitentiæ; *moraliter*, etsi non *absolute*, nisi ex speciali revelatione, certus est de statu gratiæ. Dum autem in bello justo se exponit periculo mortis, ut legitimæ pareat potestati, hoc ipso meretur. Qui autem in bello justo hominem occidit, cujus internam dispositionem ignorat, tam non agit contra charitatem, quam contra charitatem non agit minister justitiæ, qui reum etiam in criminibus obstinatum suspendit; facit enim quod debet, & ex culpa illius est, ut nolit æternæ suæ saluti consulere.

819 Ad tertium dicimus, Boulangierum studiose confundere Christianos tendentes ad statum perfectionis vitæ contemplativæ, cum reliquis qui vitæ activæ dant operam. Fatemur, Rempublicam non posse subsistere ex solis contemplativis; sed ubinam præcipit Christiana Religio, ut omnes Christiani sint soli vitæ contemplativæ addicti? In ipsa Ecclesia *non omnia membra eumdem actum habent*, ut dicitur ad Rom. 12. v. 4. & *divisiones gratiarum sunt*, & *divisiones ministrationum*, & *divisiones operationum*, ut habetur 1. ad Cor. 12. v. 4. sqq. Non ergo Christiani inconsequentes sunt, etiam cum desiderant exire de mundo: nam licet cognoscant, non habere hic manentem civitatem, & futuram inquirant, ut Apostolus monet ad Hebr. 13. v. 14. & se habeant in hoc mundo *tamquam advenas, & peregrinos*, ut loquitur S. Petrus in 1. Epist. c. 2. v. 11. non propterea munera prætermittunt, quæ quisque in republica obit, nec prætermittere possunt, nisi debito desint.

820 Ad quartum respondemus, tantum abesse, ut sub Christiana Religione periclitetur tranquillitas publica, quin sub illa maxime firmetur; ipsa enim docet, ut *reddamus Cæsari, quæ Cæsaris sunt.* Matth. 22. v. 21. Ipsa præcipit, ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit . . . non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*; utque reddamus omnibus debita: *cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Rom. 13. v. 1. sqq.

Ipsa indicit 1. Pet. 2. v. 13. sqq. »Subjecti estote omni hu»manæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellen»ti; sive ducibus, tamquam ab eo missis ... Omnes honorate: »fraternitatem diligite: Deum timete: regem honorificate. Ser»vi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bo»nis, & modestis, sed etiam dyscolis «. Pugnantne hæc tam sancta, tam justa, tam pacifica documenta cum Reipublicæ tranquillitate (1)? Novimus, quænam sit tranquillitas, quam impii optant. Vellent adversus Religionem irruere, eamque obliterare è cordibus hominum, ut in Reges, & in Rempublicam possent insurgere, & anarchiam inducere: & cum sibi timeant à publicis Potestatibus, eas de persequutionibus accusant, sublatamque dicunt publicam tranquillitatem, non eam quidem, quam

(1) Calumniatur Boulangierus, cum scribit loc. cit. » Dans la naissan»ce du Christianisme, nous voyons ses Apôtres sans pouvoir, prêcher »la subordination; dès qu'il se vit soutenu, il prêcha la persécution; »dès qu'il se vit puissant, il prêcha la révolte, il déposa des rois, il »les fit égorger «. *Initio nominis Christiani, videmus ejus Apostolos potentia destitutos, prædicare subjectionem; postquam in tuto se positum vidit, rebellionem prædicavit, Reges deposuit, eos fecit jugulare.* Calumniatur, inquam, Ecclesia enim Catholica semper eamdem doctrinam Apostolorum retinuit, reprobavitque subditorum rebelliones erga legitimos Principes, ac tyrannicidium execrata est, ut infra ostendemus. Principibus bellum indicunt increduli, & seditiones commovent nefandissimis libris suis; imo de victoria non post longum tempus obtinenda sibi adblandiuntur. Rousseaus omnium illorum loquitur ore *Emil.* tom. 1. par. 2. l. 3. » Je tiens pour impossible, que les »grandes Monarchies de l'Europe aient encore long tems à durer: »toutes ont brillé, & tout état qui brille est sur son déclin. J'ai »de mon opinion des raisons plus particuliéres, que cette maxime; »mais il n'est pas à propos de les dire, & chacun ne les voit que »trop «. *Puto fieri non posse, ut magnæ Monarchiæ Europæ longiori adhuc tempore durent. Omnes fulgurarunt, & omnis status qui fulgurat, suæ declinationi proximat. Ad hanc me opinionem inducunt peculiares rationes, præter eam, quæ dicta est; sed opportunum non est de illis dicere; quilibet tamen eas probe videt.* Quid hæc aliud significant, quam impios occulte conspirasse adversus supremas Potestates, nihilque aliud expectare, quam datam occasionem, auctumque proselytorum numerum, ut re compleant quod cogitarunt? Ideo de persequutionibus conqueruntur Principum, & Ecclesiæ Catholicæ, quæ ipsorum impias cogitationes deturbant. At sic habeant: Catholici Principes numquam cessabunt ab eis persequendis, qui æque hostes sunt & Religionis, & Reipublicæ.

boni amant cives, sed eam, quam quærunt grassatores, & latrones, ne puniantur.

821 Ad quintum negamus, majorem divitiarum partem in Ecclesiasticorum manus transisse. Calculus fiat divitiarum, quas possident in unoquoque regno Magnates, Nobiles, Cives, Mercatores; eæque comparentur cum divitiis Ecclesiasticorum, quarum copia tantopere extollitur, & deprehendetur maximus illarum excessus. Præterea, si singulas Domos Monachorum præsertim, & aliorum Religiosorum scrutentur, vix in eis invenietur, quod necessarium est ad sobriam eorum sustentationem, ad Ecclesiæ cultum, ad pauperes reficiendos; imo non raro gravatæ reperientur ære alieno, quo multoties gravantur, ut publicis occurrant necessitatibus, & pauperes alant. Peto autem, cuinam usui destinantur Ecclesiasticorum divitiæ? nonne earum maxima saltem pars impenditur in eadem Republica, in qua Ecclesiastici degunt, in ipsorum, & domesticorum, & pauperum, & Ecclesiarum ejusdem regni, & civitatis usum? Quid ergo detrimenti Respublica patitur? Transeant eorum divitiæ in manus incredulorum (quod unice intendunt), quid boni? Ad saltatrices, & cantatrices devenient, impendentur in luxus, in commessationes, in ludos, in libidines: nam hæ sunt ipsorum deliciæ (1). Mala redibunt, quæ Oxonii deflebat Wood (2) scribens: Lamentatione digna res fuit audire po„puli, & plebejorum lacrymas; summa enim in his Cœnobiis „vigebat hospitalitas, putanturque ex hac suppressione amplius „quam 10000. personarum omni spe, & re ad victum, vestitum„que necessaria excidisse (3)".

822 Ut autem Boulangierus videat, ex quo manarit fonte, & quam vetus sit ejus conquestio, describimus Prudentii carmina in Hymno S. Laurentii, in quo Præfectum Urbis inducit

---

(1) Auctor impii operis fabulæ apum ad mel, scilicet Mandevillius, hoc tamquam principium statuit, *corruptionem hominum societates formasse, easque conservare.*

(2) Loc. cit. ad ann. 1536.

(3) Non ignoramus, Montesquium loc. cit. animadvertere, ex Henrici reformatione suscitatum in Anglis fuisse spiritum commercii. At Politici, qui præsentem intuentur Angliæ statum, decernent, utrum ex magno pauperum numero, qui victum alibi comparare sunt coacti, discrimina fuerint advocata. Certe in Galliis nulla similis reformatio facta fuit à Christianissimis Regibus, ut Montesquius optabat; & nihilominus ibi maxime viguit, ac viget spiritus commercii.

ita ob pecuniæ famem ex S. Diacono exquirentem Ecclesiæ thesauros:

Abest atrocioribus
Censura fervens motibus:
Blande, & quiete efflagito,
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
Moremque, & artem proditum est:
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem.
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tunc summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta avorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est audio.
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Nomisma numis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe justum postulo.
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.

Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit;
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quam vos per orbem venditis:
Numos libenter reddite:
Estote verbis divites.

QUÆSTIO X.

De officiis hominis erga seipsum.

823 Postquam expendimus officia hominis erga Deum, progredimur ad officia erga nos ipsos (1). Hæc in amore, quo quisque se diligit, fundantur (2); officiis enim bona nobis volumus, & quoad possumus, avertimus à nobis mala; quod quidem facimus amando nos ipsos. Amor autem nostri extenditur ad animam, & corpus, ex quibus constituimur, atque ad bona, quæ ad animam, & corpus pertinent; quisque enim amat ea, ex quibus componitur, & quæ ad illa consequuntur. Amor autem, quo hæc prosequimur, desiderium parit eorum conservationis, & perfectionis: nam quæ amamus, volumus conservare, & ad perfectionem adducere. Bona porro,

(1) Genuensis l. 1. de jur. & offic. c. 9. §. 1. agere instituens de officiis hominis erga seipsum: *Superiori*, inquit, *capite hominum officia theologica exequuti sumus; ad ethica nunc aggredimur.* Minus equidem accurate: nam & ipsa officia erga Deum *ethica*, id est, *moralia* sunt; imo potissima sunt inter moralia officia.

(2) Pufendorfius in Specim. Controv. c. 5. §. 25. & l. 1. de offic. hom. & civ. c. 3. §. 13. officia hominis erga seipsum deducit *ex religione*, & *socialitate conjunctim.* Qua in re sibi non constat: nam in eodem §. 13. ait, *officia hominis erga Deum indirecte ex socialitate deduci.* Itaque officia hominis erga seipsum manant ex una tantum socialitate, ex qua indirecte manant & ipsa officia religionis; idque postulabat Pufendorfii systema, statuens socialitatem tamquam legem naturæ fundamentalem, ut diximus §. 280. sqq. Si autem officia hominis erga seipsum ex socialitate manarent, quisquis extra societatem vixit, aut vivit, ad nulla erga seipsum officia teneretur: quo quid dici potest absurdius?

quæ ad animam, & corpus pertinent, vel sunt nobis intrinseca, ut intellectus, voluntas, sensus, valetudo; vel sunt extrinseca, ut fama, honor, divitiæ. Hominis ergo officia erga seipsum consistunt 1. in amore sui quoad animam, & corpus, atque bona sive intrinseca, sive extrinseca ejusdem animæ, & corporis. 2. in quærenda eorum conservatione, & perfectione, ideoque in quærendis mediis, quibus conserventur, & perficiantur. 3. in iis omnibus removendis, quæ eorum conservationi, & perfectioni possunt obesse. Agentes igitur de officiis hominis erga seipsum, 1. quæremus de amore sui, quem *proprium* vocant. 2. de suicidio, & membrorum mutilatione, quæ propriæ existentiæ, & conservationi opponuntur. 3. de ratione perficiendi animam, & corpus. 4. de defensione non modo propriæ vitæ, sed & pudicitiæ, & famæ, & bonorum exteriorum contra invasores.

ARTICULUS I.

Utrum amor sui sit ex lege naturæ.

824 Videtur negandum, 1. quia Christus Dominus a Joann. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Amor autem, quo anima perditur, non potest esse ex lege naturæ.

825 II. Ut S. Augustinus scribit (1), *amor sui facit terrenam civitatem usque ad contemptum Dei.* Fieri autem non potest, ut ejusmodi amor sit contormis legi naturæ.

826 III. S. Thomas ostendit (2), amorem sui esse principium omnis peccati. Quomodo ergo erit ex lege naturæ?

---

(1) L. 14. de Civ. c. 28. Vide etiam l. 11. de Gen. ad litt. c. 15. ubi duos amores Dei, & sui mirifice describit.
(2) 1. 2. q. 77. art. 4.

Prop. I. *Amor, quo homo naturaliter amat seipsum secundum substantiam, naturam, & naturales proprietates, est ex lege naturæ.* II. *Et similiter amor, quo per electionem ordinate amat seipsum, & sua.* III. *Amor autem inordinatus adversatur legi naturæ.*

827 Prob. 1. p. ex S. Thoma (1). Amor, quo homo naturaliter amat seipsum quoad substantiam, naturam, & naturales proprietates, non est ex electione, sed ex ipsa natura (2), ex qua unaquæque res habet, ut appetat esse id quod est, & ea quæ necessario consequuntur esse. Hoc ipsum autem est ex lege naturæ, sive ex Deo auctore naturæ, qui talem appetitum homini indidit. Is igitur amor est ex lege naturæ: neque in eo differunt boni, & mali; omnes enim, quicumque ii sint, appetunt esse id quod sunt, & ea quæ necessario consequuntur esse; nec possunt non appetere, alioquin appeterent malum ut malum: quod demonstravimus (3) fieri non posse.

828 Pob. 2. & 3. p. ex eodem S. Thoma (4). Actus humani, qui scilicet sunt per electionem, si sint conformes rectæ rationi, hoc ipso sunt ex lege naturæ; si vero non congruant rectæ rationi, adversantur legi naturæ, ut dictum est (5). Atqui amor, quo homo per electionem ordinate amat seipsum, & sua, est conformis rectæ rationi; est enim ordinatus in debitum finem, ad quem nisi ordinaretur, jam homo non amaret ordinate seipsum, & sua, contra hypothesim: amor autem inordinatus non est conformis rectæ rationi; est enim inordinatus quia non ordinatur in finem debitum (6). Prior ergo amor est ex lege naturæ, posterior

(1) 2. 2. q. 25. art. 7.

(2) Non ex electione, sed ex naturæ impulsu homo appetit in communi vivere, sentire, intelligere, scire, velle, conservari, esseque beatus; licet in particulari possit libere appetere hoc, vel illud genus vitæ, sensationis, intellectionis, scientiæ, volitionis, conservationis, & beatitudinis.

(3) Tom. 5. §. 257. sq.

(4) 2. 2. q. 19. art. 6. & q. 25. art. 7.

(5) §. 250. sqq.

(6) Quomodo hæc ordinatio, vel deordinatio fiat, exponit S. Thomas locis cit. atque in priori quidem animadvertit, amorem sui

legi naturæ adversatur. De hoc autem posteriori sermo est in auctoritatibus in contrarium adductis ; quare patet responsio ad objecta.

---

tripliciter se habere posse ad charitatem, 1. quidem cum homo se, & sua diligit in Deo, & propter Deum; isque amor includitur in charitate, ideoque ordinatus est: & de ipso loquens S. Augustinus Epist. 155. al. 52. n. 15. ait: » Quia nemo nisi diligendo Deum di» ligit seipsum, non opus erat, ut dato de Dei dilectione præcepto, » etiam seipsum homo diligere juberetur, cum in eo diligat seipsum, » quod diligit Deum «. 2. cum homo in amore proprii boni finem constituit; & talis amor est deordinatus, & opponitur charitati; deque eo idem S. Augustinus ibid. loquitur, cum docet, *nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum.* Statim enim addit: » Qui aliter se diligit, potius se odisse » dicendus est. Fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, cum à » potiore, ac præstantiore bono aversus, atque inde vel ad seipsum » conversus, ad inferiora, & egena utique convertitur; fitque in ipso » quod veracissime scriptum est: *Qui autem amat iniquitatem, odit » animam suam* «. 3. cum quis diligit quidem seipsum ratione proprii boni, non tamen in proprio bono rationem ultimi finis constituit: isque amor ordinatus est circa finem proximum, qui cum sit *bonus*, natura sua fertur *seipso* in finem ultimum, scilicet Deum, à quo est omne bonum; etsi operans non referat actu proprium illud bonum in Deum, cum non urget præceptum referendi, ut diximus §. 231.

In posteriori autem loco animadvertit, principale bonum in homine esse naturam rationalem, quam Apostolus 2. ad Cor. 4. vocat *interiorem hominem*; secundarium vero bonum esse naturam sensitivam, & corporalem, quam idem Apostolus ibid. appellat hominem *exteriorem.* Qui ergo *interiorem* hominem præfert *exteriori*, ut faciunt boni, ordinate agit; ordo enim poscit, ut principalius præferatur minus principali. Qui autem hominem *exteriorem* præfert *interiori*, ut mali faciunt, ordinem pervertit, existimans principale in seipso naturam sensitivam, per quam convenit cum bestiis; ideoque amor est deordinatus, imo non est verus amor, quia diligit id, quod ipse reputat seipsum esse. Hæc ibidem magis explicat S. Doctor, atque ut legatur attente, vehementer optamus; exponit enim statum felicem bonorum, & infelicem malorum. Idipsum altius repetit 9. Ethic. lect. 4. » Unusquisque, *inquit*, vult se esse, inquantum conservatur id quod » ipse est: id autem quod maxime conservatur idem in suo esse, est » Deus . . . quia est immutabilis. Deo autem maxime sumus similes se» cundum intellectum. . . Et ideo esse uniuscujusque hominis maxime » consideratur secundum intellectum. Unde virtuosus, qui totus vivit » secundum intellectum, & rationem, maxime vult seipsum esse, &

ARTICULUS II.

Utrum suicidium, & membrorum mutilatio possint aliquando licere.

829 Docuerant olim Stoici, ut dictum est (1), sapientem, si occasio ferat, seipsum è vita educere, si patriæ scilicet, & amicorum id exigant emolumenta; vel si nimio quis obnoxius fiat dolori; vel sensuum destituatur usu; aut morbo laboret desperato (2). Id facto exequutus fuit Zeno Stoicæ sectæ parens, de quo ait Laertius (3): *Sic autem obiit. Cum abiret è schola, offendit, digitumque perfregit. Manu vero terram feriens, dixit illud ex Niobe* Ερχομαι, τί μ' ἀνεις, *Ecce adsum, quid me vocas? continuoque se strangulans interiit.* Stoicos sequuti fuere Circumcelliones Donatistæ, ut diximus (4). Accessit impius Auctor syst. nat. omnes exerens vires, ut suicidium suadeat: contendit autem, hominem, si seipsum occidat, nihil facere adversus naturam, aut societatem (5). Pu-

---

» vivere secundum illud, quod in eo permanet. Qui autem vult esse, & » vivere principaliter secundum corpus, quod transmutationi subjacet, » non vere vult se esse, & vivere «.

Tales erant Cyrenaici, & Epicurei, & qui ipsos sequuntur increduli homines, in primis vero Voltairius, qui in impio, impuroque op. *de la nat. de la volupté*, damnatum amorem proprium extollit, eumque vocat *Donum Dei homini datum è cœlo.* Tantum enim abest, ut sit à Deo, quin sit in nobis ex peccato primi hominis tamquam ex radice; per peccatum enim originale inclinamur magis in sensibilia, & corporea, quam in intelligibilia, & spiritualia; indeque est, quod sæpe amor sui vitiosus est, quandoque etiam in justis, si intensius quam par est, in sensibilia ferantur, vel in ipsis delectationibus sensibilibus immorentur, etsi in eis ultimum finem non reponant; velut si quis comedat ob merum gustum sensibilem.

(1) Not. penult. §. 685.

(2) Vide Stanlejum Hist. Phil. part. 7. de doct. Stoic. part. 2. cap. 15.

(3) Lib. 7. (4) §. 744.

(5) P. 1. c. 14. » La mort, *inquit*, est le reméde unique du » désespoir; c' est alors qu' un fer est le seul ami, le seul consolateur » qui reste au malheureux «. *Mors est unicum desperationis remedium; tunc gladius tantum amicus est, & consolator, qui infelicibus sit*

fendorfius (1) vero relatis sententiis eorum, qui varios excipiunt casus (2), in quibus mortem sibi quis possit adsciscere, ait: »isthæc nos quidem in medio relinquimus. Illud manifestum »est, eos, qui vel solo tædio molestiarum vitæ humanæ *communium* (3), vel indignatione malorum, quæ humanæ ipsos so»cietati non *erubescendos* (4) erant redditura, vel metu do»lorum, queis *fortiter* toleratis exemplo suo prodesse aliis »poterant (5), vitam ultro abrumpunt, nullam adferre pos»se sat validam defensionem, quo minus in legem naturæ pec»casse sint censendi«. Montesquius vero statuit (6), *suicidium apud Romanos fuisse educationis effectum, processisseque ex*

---

reliquus. Ita is impius, qui omnia refert ad naturæ necessitatem, etiam ipsum suicidium. Sane isthæc erat systematis consequutio: nam qui nullum Deum agnoscunt, nullam vitam futuram, nullam animæ immortalitatem, felicitatemque reponunt unice in utilitate, & corporis voluptatibus, ut omnes faciunt athei; quid restat, nisi ut manus sibi injiciant, si vita videatur eis infelix? Desinamus mirari suicidii frequentiam in ejusmodi hominibus, qui videntur nati ad naturæ opprobrium.

(1) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 4. §. 19.

(2) Casus excepti sunt, 1. si quis videat, se deinceps victurum in opprobrium Dei. Quasi quis cæde suiipsius possit gloriam Dei promovere; & non potius occasio illudendi Deum sit à profanis accepta. 2. si mors prævideatur certitudine moraliter infallibili ab hoste inferenda cum cruciatu, & ignominia. Quæ sane omnibus condemnatis ad mortem, præsertim suspendii, facultatem dant sibi manus inferendi. 3. casus servandæ pudicitiæ, aut gravis peccati vitandi. Quasi non possit pudicitia servari in corde, etiamsi per vim violetur in corpore, aut quasi externæ causæ possint cogere voluntatem ad peccandum. Hos autem casus Pufendorfius *in medio relinquit*, sive dat cuique potestatem id efficiendi, quod probabilius putaverit.

(3) Quid, si molestiæ non essent *communes*? Licitumne tunc suicidium foret?

(4) Quid etiam, si molestiæ quempiam redderent societati *erubescendum*; v. g. si decoctus foro deberet cedere, aut si quis esset arguendus perfidiæ?

(5) Quid, si quis tantam in se non reperiret constantiam ad dolores *fortiter* tolerandos? Videtis, quam latam ad suicidium viam Pufendorfius aperuerit.

(6) Lib. 14. cap. 12. »Cette action chez les Romains étoit l'ef»fet de l'éducation; elle ténoit à leur manière de penser & à leurs »coutumes; chez les Anglois elle est l'effet d'une maladie, elle tient »à l'état physique de la machine, & est indépendante de toute au-

eorum cogitandi modo, & consuetudinibus (1) : *sed apud Anglos effectum esse cujusdam infirmitatis* (2), *& proprie pendere ex physico machinæ statu, nullamque aliam habere causam; conjicique posse, consistere in defectu philtrationis succi nervei.* In nota addit (3), infirmitatem illam *complicatam esse posse cum alia infirmitate, quam* scorbutum *vocant, quæ in aliquibus præsertim regionibus hominem furibundum reddit, sibi-*

» tre cause. Il y a apparence que c' est un défaut de filtration du suc » nerveux «.

(1) Undenam hæc ille scivit ? Si legisset Jacobi Grutheri eruditum opus *de jure Manium* l. 1. c. 10. rescisset utique, in libris veterum Romanorum Pontificalibus cautum fuisse: *Homicida sui insepultus abjiciatur.* Scisset quoque, Tarquinium Priscum, referente Plinio l. 36. c. 15. in Quirites qui concita nece sibi mortem adsciscebant, statuisse, ut corpora eorum crucibus figerentur, à feris, & volucribus dilaceranda. Scisset insuper, ex doctrina Stoicorum, qua multi veteres ICti imbuti erant, manasse, ut ritus Pontificalis fuerit elusus, & valida habita testamenta eorum, qui tædio vitæ illam finiebant. Id si animadvertisset, abstinuisset l. 29. c. 9. à citanda lege Antonini Pii, ff. *de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt,* §. 1. & 2. leg. 3. nam Antoninus Stoicus erat, ideoque Stoicorum favebat sententiæ. Abstinuisset etiam à verbis Taciti Ann. lib. 6. *Eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Nam idem Tacitus ib. paulo ante loquens de morte Asinii Galli, de quo dubitabatur, an sponte, vel necessitate obiisset, ait: *Consultus Cæsar, an sepeliri sineret, non erubuit permittere.* Idem Tacitus ib. innuit causam, quare multi Romanorum manus sibi injiciebant, quia scilicet multis insita erat Stoicorum, vel Epicureorum opinio, omnia volvi *necessitate immutabili*; vel *non initia nostri, non finem, non denique homines esse diis curæ.* Consentitque Eusebius in Chron. ad Olimp. 171. ubi scribit, Lucretium *amatorio poculo in furorem versum... propria se manu interfecisse anno ætatis* 43. Hæc veræ causæ erant, quare multi apud Romanos sese exanimabant.

(2) Peto ex Montesquio, utrum Angliæ clima posterioribus hisce temporibus fuerit mutatum ? Minime sane. Cur ergo rarissima erant suicidia in Anglia, cum ibi vigebat Catholica Religio; frequentissima vero sunt ex quo, abjurata Catholica Religione, plurimi Anglorum in deismum, & atheismum sunt prolapsi ?

(3) » Elle pourroit bien être compliquée avec le scorbut qui sur- » tout dans quelques pays rend un homme bizarre & insupportable » à lui-même «. Morbus *scorbuticus* in tam multis regionibus viget, multique eo tam pertinaci laborant, ut nullo sanari remedio possint.

que intolerabilem. Denique Samuel Coccejus (1) & ipse, ut Pufendorfius, rem in medio relinquit, atque ait, *pro autochiriæ licentia totidem esse auctoritates affirmantium, quot negantium* (2).

830 Videtur autem suicidium quandoque licere, 1. quia Vetus Testamentum exempla ejus suppeditat in Samsone, Saule, Eleazaro, & Razia, qui seipsos occiderunt. In Nova Lege Christus Dominus seipsum occidit; mortuus est enim, quia ipse voluit. Ingens quoque fuit Martyrum numerus, qui se obtulerunt supplicio, & sibi voluntariam intulere mortem (3). Idem dicendum de Pœnitentibus, qui per voluntarias sui castigationes sese paulatim confecerunt (4).

Quare tantum in Anglia producit trucem illum effectum? Montesquio consonat Auctor syst. nat. loc. cit. not. 85. »Le suicide, *in*»*quit*, est, dit-on, très-commun en Angléterre, dont le climat »porte les habitans à la mélancolie. Ceux qui se tuent en ce pays, »sont qualifiés de *Lunatiques*; leur maladie ne paroit pas plus blâ»mable que le transport au cerveau«. *Suicidium dicitur esse communissimum in Anglia, cujus clima habitatores ad melancholiam ducit, Qui seipsos ibi interimunt, habentur tamquam lunatici; & eorum morbus non est magis notandus, quam insania.* Videte, ut sibi mutuo respondent istiusmodi homines. Non negamus, posse quandoque suicidium esse effectum insaniæ; sed quod insania laborent omnes Angli, qui manus sibi inferunt violentas, id foret probandum. De illis qui deistæ sunt, aut athei, vehemens suspicio exstat in contrarium.

(1) Comm. ad 2. l. Grotii c. 1. §. 18.

(2) Quinam sunt ii affirmantes, præter Stoicos, & Donatistas, & incredulos? Videtur autem Coccejus in medio, ut Pufendorfius, relinquere licentiam autochiriæ. Nam si totidem sunt Doctores affirmantes, quot negantes, probabilitas saltem extrinseca stat æqualiter pro utraque sententia. Quinam vero sunt illi Auctores affirmantes suicidii licentiam, præter Stoicos, & fanaticos Donatistas, & incredulos Epicureos?

(3) S. Athanasius in Apol. refert, nonnullas Virgines Alexandrinas, ut ab Arianis caverent, egisse se præcipites in puteos. S. Augustinus l. 1. de Civ. c. 26. narrat, quasdam fœminas se in flumen projecisse, ne paterentur castitatis jacturam. De S. Apollonia refert Eusebius Hist. l. 6. c. 33. se ultro in rogum conjecisse. De aliis vide Palladium Hist. Lausiacæ c. 150.

(4) Ita objicit Auctor syst. nat. loc. cit. not. 84. sed jam multo ante sibi objecerat S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 5.

831 II. Fas est homini se dare alteri in servitutem, ut dictum est (1). Ergo & fas erit seipsum vita privare.

832 III. Licet ex charitate mortem suam permittere, v. gr. alteri concedere tabulam ad evadendum naufragium. Licet quoque mortem sibi optare. Licet item damnato ad supplicium scalas ascendere, parare jugulum, epotare venenum. Licet insuper inservire laborantibus peste. Licet damnato ad mortem non fugere, habita opportunitate fugiendi. Licet damnato ut fame pereat, non comedere cibos, si apponantur. Licet in extrema necessitate alteri cedere unicum panem, & fame perire. Hi autem omnes mortem sibi consciscunt.

833 IV. Homo non amat suum esse, nisi ut sit felix. Si ergo sit infelix, non tenetur amare suum esse; ideoque seipsum occidere (2) potest. Audit enim naturæ vocem, quæ dat impunitatem hoc ipso, quod in statum conjicit vivendi misere.

Prop. I. *Suicidium numquam licet*, II. *nisi jubente Deo.* III. *Certo autem mortis periculo se exponere licet dumtaxat pro Dei honore, & spirituali proximi utilitate, saluteque.* IV. *Mutilatio vero membrorum potest tantum esse licita, si necessaria sit ad conservationem totius.*

834 Prob. 1. p. ex S. Thoma (3). Qui seipsum vita privat, peccat in se, in societatem, in Deum. In se quidem, quia ex lege naturæ tenetur amare, & conservare seipsum, ut demonstratum est (4): qui autem necem sibi consciscit, non conservat, sed destruit seipsum. In societatem vero, quia quilibet civis est pars societatis: unaquæque autem pars est propter totum; quare qui seipsum interficit, injuriam irrogat societati, quam uno cive privat (5). Denique in Deum, qui solus est dominus vitæ, quæ

(1) §. 517.
(2) Auctor syst. nat. loc. cit.
(3) Art. 5. cit. (4) §. 827.
(5) Hujusce rationis vim eludere se posse credit Pseudo-Mirabaudus loc. cit. scribens, pactum uniens hominem societati esse conditionale, & reciprocum, suppositis scilicet mutuis utilitatibus in-

est donum ab eo acceptum. Suicidium ergo numquam potest esse licitum.

---

ter hominem, & societatem, ut ipse homo bene sit, quod est vinculum uniens hominem societati; ideoque si tale vinculum frangatur, propterea quod homo in societate non potest bene esse, tollitur pactum inter ipsum, & societatem, reditque ejus libertas, neque proinde ex suicidio ulla societati irrogatur injuria. Miserum sophisma. Principio negamus illud pactum reciprocum, & conditionale: nam posita socialitate hominis, quæ est ex ipsa natura, pactum inter ipsum, & societatem est *absolutum*, ut scilicet societas teneatur prospicere bono cujusque membri, ipsiusque societatis; & quodlibet membrum teneatur curare bonum commune ejusdem societatis; qua in re nulla est conditio, sed obligatio utrimque est absoluta. Sicut enim societas absolute à debito deficeret, nisi prospiceret bono membrorum, ita quoque membrum absolute deficit, nisi prospiciat bono communi societatis. Huic autem bono adversatur suicidium, quod privat societatem cive; multoque magis eidem bono adversatur suicidii doctrina, quæ si communis fieret, vergeret in gravissimum societatis damnum. Deinde ubinam gentium reperietur societas, quæ nihil curet de singulis membris? Chimærica illa est; nulla enim exstat Respublica, quæ non multa saltem ministret singulis, ut, si velint, bene sint. Non frangitur ergo saltem omnino vinculum uniens hominem societati, atque adeo nec tollitur pactum. Qui ergo se necat, pactum frangit, quo tenebatur curare bonum commune societatis, quod conflatur ex bono singulorum membrorum collective.

Animadversione autem valde digna sunt, quæ ibid. impiissimus homo scribit ad commovendos populos in legitimas Potestates. » Rien, » *inquit*, de plus utile que d' inspirer aux hommes le mépris de la » mort... Si les hommes craignoient moins la mort, ils ne seroient » ni esclaves, ni superstitieux... Les droits de l' homme seroient plus» hardiment soutenus... & la tyrannie seroit à jamais bannie des » nations; la lâcheté la nourrit, & la crainte la perpétue «. *Nihil est utilius, quam hominibus inspirare contemptum mortis. Si homines minus paverent mortem, non essent neque mancipia, neque superstitiosi. Jura hominum essent audacius defensa, & tyrannis jamdiu à nationibus exularet. Pusillanimitas eam nutrit, & metus eam reddit perpetuam.* Quid hoc est aliud, quam homines concitare ad seditiones adversus publicas Potestates, quas *tyrannicas* ille vocat, quia *superstitionem*, hoc est, veram Religionem in subjectis populis protegunt, ac fovent? Hic est incredulitatis fœtus; quamquam nemo sit incredulis timidior: nam utique ob mortis timorem nomen plerumque celant suum, & clanculum impios edunt libros, ementito sæpe auctoris nomine, ac loco typorum. Si vero sibi violentas inferunt

835 Prob. 2. p. Cum homo, Deo jubente, sibi vitam eripit, non ipse sibi, sed Deus, qui est vitæ dominus, eripit vitam. Sicut ergo Abrahamus immolans filium suum, non erat homicidii reus, quia Dei exequebatur jussum, per quod Deus ipse transtulerat in Abrahamum dominium, quod habebat in vitam filii; ita qui instinctu Spiritus Sancti sibi vitam præriperet, non esset suicidii reus; exequeretur enim præceptum Dei habentis jus in ejus vitam. Hunc tamen instinctum Deus non nisi rarissime quibusdam Sanctis inspiravit, ad sui Nominis, ac Religionis gloriam; illumque miraculis confirmavit. Quare sibiipsis illudunt fanatici quidam mortem sibi inferentes vano prætextu divini instinctus (1).

836 Prob. 3. p. Unusquisque debet Deum super omnia diligere, & spirituale bonum proximi præferre bono proprio corporali; ita enim exigit ordo charitatis (2). Quisque etiam ut Reipublicæ membrum debet conferre quod potest ad ejus conservationem (3). Si ergo necessitas postulet, licite potest quis, imo aliquando tenetur, sese mortis periculo etiam certo exponere pro Dei gloria (4), pro utilitate spirituali proximi (5), & pro Reipublicæ salute (6). Præter hos casus, velle se pe-

---

manus, id non faciunt ob mortis contemptum, sed ex desperationis furore.

(1) S. Augustinus l. 1. de Civ. c. 26. » Cum, *inquit*, Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam » in crimen vocet? . . . Qui ergo audit, non licere se occidere, faciat, » si jussit cujus non licet jussa contemnere. Tantummodo videat, » utrum divina jussio nullo nutet incerto «.

(2) Vide S. Thomam 2. 2. q. 26. a. 3. & 5.

(3) Vid. art. 3. cit.

(4) Sic Fidei Præcones Evangelium annunciando ethnicis nationibus, non solum licite, sed magna cum laude sese exponunt mortis periculo tempore persequutionis; quam tamen debent declinare quoad possunt, occultando se, vel etiam fugiendo, nisi æterna fidelium salus periclitetur.

(5) Tempore pestis tenentur Parochi, nisi per alios possint, per seipsos ministrare Sacramenta infirmis peste laborantibus, etiamsi periculum mortis subeant. Aliis autem Sacerdotibus licitum est idem subire periculum pro spirituali eorum infirmorum salute.

(6) Licet nautis se committere mari, etiam cum vitæ periculo ob tempestates quæ sæpe accidunt; id enim confert ad publicum bonum. Milites vero tenentur in bello propriam vitam periculo exponere ad Reipublicæ defensionem.

riculo mortis exponere, illicitum est, & quædam suicidii species (1).

837 Denique prob. postrema pars ratione S. Thomæ (2). Quodlibet membrum humani corporis est propter totum. Sicut ergo nemini licet amputare membrum, si sit toti utile; ita si membrum aliquod sit putre, ac toti noxium, licet ipsum amputare, ne totum pereat; si tamen nulla alia ratione salus totius corporis haberi possit (3).

838 Ad primum respondemus. Atque ad Samsonem quod attinet, necesse omnino est, ipsum excusare; quippe Apostolus ad Hebr. 11. v. 32. eum retulit inter justos. Sic autem eum excusat S. Augustinus (4), quod *non aliter seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat* (5). Ita eum excusat etiam S. Thomas (6); colligiturque ex ipsa Samsonis oratione Jud. 16. v. 28. *Invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis* (7). Addi potest cum nostro Victoria (8), Samsonem, qui munus Judicis gerebat in populo Israel, potuisse exitium inferre hostibus suis, etiam cum certo discrimine vitæ suæ, non ex intentione eam perdendi, quam servare optasset, si potuisset, quemadmodum Dux belli hostes invadens potest se certo mortis discrimini committere, quin intendat seipsum interficere.

839 Aliter dicendum est de Saule, qui erat à Deo reprobatus; ideoque non oportet eum à culpa liberare. Porro 1. Reg. 31. describitur causa, cur Saul se gladio suo interfecerit, nimirum ne inimici ejus illuderent ei. Quare er-

---

(1) Qui per crapulam, ebrietatem, libidinem vitæ suæ coarctant terminos, suicidii rei sunt.

(2) 2. 2. q. 65. a. 1.

(3) Hinc sequitur, non licere seipsum evirare, etiam ob frenandam concupiscentiam, multoque minus propter canoram vocem.

(4) Lib. 1. de Civ. cap. 21.

(5) Vide eumd. August. l. 1. cont. Gaudent. n. 39.

(6) 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.

(7) Putat Mascovius cum Clerico, id factum à Samsone fuisse studio vindictæ, proptereaque fuisse à Deo punitum. Si de vindicta privata loquuntur, in Apostolum peccant, qui Samsonem inter Sanctos refert.

(8) In Relect. de Homicidio n. 37.

ravit Clericus (1), & cum eo Pufendorfius (2), inclinantes ad Saulem à suicidio excusandum, putantesque, eum resipuisse. Et licet David laudaverit Saulem 2. Reg. 1. & c. 2. gratias egerit viris Jabes Galaad, quod Saulem sepelierint, eisque benedictionem adprecatus fuerit à Deo; id tamen fecit non in suicidii commendationem, sed propter Regiam Saulis dignitatem.

840 De Eleazaro filio Saura idem dicendum, ac de Samsone; erat enim unus ex militibus, qui dimicabant sub Juda Machabæo; quare licitum ei fuit occidere elephantem, in cujus excelsa turri putavit esse Regem, quamvis ex casu elephantis occidendus ipse esset. Sicut miles non est suicidii reus, cum præsidium hostium expugnat, licet prævideat, inde mortem suam sequuturam.

841 Raziam SS. Augustinus (3), & Thomas (4) minime excusant. Atque Augustinus quidem copiose de Razia scribit, cujus exemplo abutebantur Circumcelliones Donatistarum, ut se ipsos præcipites agerent.

842 Ad id quod Pseudo-Mirabaudus addit de Christo Domino, quod se occiderit, jampridem responderat S. Thomas (5). Quærens enim, *utrum Christus fuerit ab alio occisus, an à seipso*: »Dicendum, *inquit*, quod aliquid potest esse causa »alicujus effectus dupliciter. Uno modo *directe* ad illum agen»do; & hoc modo persequutores Christi eum occiderunt ... »Alio modo dicitur aliquis causa alicujus *indirecte*, quia non »impedit, cum impedire possit ... Et hoc modo ipse Chri»stus fuit causa suæ passionis, & mortis; poterat enim suam »passionem, & mortem impedire ... Quia ergo anima Chri»sti non repulit à proprio corpore nocumentum illatum, sed »voluit, quod natura corporalis illi nocumento succum»beret; dicitur suam animam posuisse, vel voluntarie mor»tuus esse «. Hæc est recentium incredulorum eruditio, ostentare tamquam nova inventa ea, quæ jam sua fatiscunt antiquitate.

843 De Martyribus, qui se voluntarie obtulerunt supplicio, sic habeat Pseudo-Mirabaudus: eos numquam Ecclesiam

(1) In c. 1. 2. l. Reg. sive ad Samuel. 2.
(2) Loc. cit.
(3) L. 2. cont. Gaudentium n. 36. sqq.
(4) Art. cit. ad 5.
(5) 3. p. quæst. 47. art. 1.

Catholicam agnovisse pro veris Martyribus, si nulla ipsis præsto fuit justa sese offerendi causa (1). Talis autem justa causa erat, 1. si quis fidem ejuraverat; permittebatur enim ei, ut tyrannum adiret (2). 2. si quis credebat, oblatione sua vel posse infideles retrahere ab idololatria, vel fideles trepidantes in fidei confessione confirmare (3). 3. si per spontaneam oblationem averti poterat ingens aliquod malum in fideles, & Ecclesiam (4). 4. si quis sponte se offerebat impulsu Spiritus Sancti, ut de iis Martyribus credendum est, quos Ecclesia Catholica colit, inducta ex miraculis, quibus Deus confirmavit veritatem illius instinctus (5).

844 Quod ad Pœnitentes pertinet, qui per carnis castigationes paulatim se conficiunt, audiendus est S. Thomas (6), qui constanti more suo, Sanctorum Patrum doctrinæ insistens, præsertim S. Hieronymi (7), & S. Gregorii M. (8) scribit: »In spirituali vita dilectio Dei est sicut finis, jejunia autem »& vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tam»quam finis, quia sicut dicitur ad Rom. 14. *Non est Regnum »Dei esca, & potus*; sed adhibentur tamquam necessaria ad »finem, id est, ad domandas concupiscentias carnis, secundum »illud Apostoli 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in »servitutem redigo.* Et ideo hujusmodi sunt adhibenda cum »quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devite»tur, & natura non extinguatur, secundum illud ad Rom. »12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*; & post-

(1) Spontanea ad Martyrium oblatio absque legitima causa numquam probata fuit. Vide Acta Proconsularia S. Cypriani M. & ejusdem Cypriani Epist. 83. Vide etiam Epist. Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi, & S. Augustinum l. 1. cont. Gaudentium n. 40. & in Breviculo Collat. cum Donatistis Collat. 3. diei c. 13.

(2) Vide S. Cyprianum in Epist. ad Antonianum.

(3) Confer Eusebium in l. de Martyr. Palæstinæ, & S. Basilium M. in Orat. de S. Gordio Martyre.

(4) Vide Baronium ad ann. 310. ubi agit de S. Petro Alex. & Nazianzenum Orat. 3. ubi loquitur de S. Marco Arethusio Episcopo; & S. Eulogium l. 2. Memor. Sanct. c. 8.

(5) Adeatur Benedictus XIV. de Canon. Sanct. l. 3. c. 16. & Card. Orsius in Diss. pro SS. Perpetua, & Felicitate, & Card. Norisius in Hist. Donatistarum.

(6) Quodlib. 5. art. 18.

(7) Epist. 4. ad Rusticum.

(8) Lib. 30. Moral. cap. 14.

»ea subdit, *rationabile obsequium vestrum.* Si vero aliquis intantum virtutem naturæ debilitet per jejunia, & »vigilias, & alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & sic de aliis; absque dubio »peccat «.

845 Ad secundum responsio patet ex dictis (1); ostendimus enim, hominem esse dominum suæ libertatis civilis, ut eam possit profundere ex justa causa, præsertim ob vitæ conservationem: non est autem dominus vitæ.

846 Ad tertium dicimus, non teneri quempiam mortem suam permittere, ut salvetur vita corporalis proximi, nisi servato ordine charitatis (2), scilicet si vita propria corporalis sit impendenda in salutem spiritualem proximi, vel in bonum commune Reipublicæ, aut personæ cujuspiam, quæ necessaria sit ad conservandum ejusdem Reipublicæ commune bonum.

847 Licet autem cuique optare mortem, non ut à seipso inferendam, neque ad evadendas miserias hujus vitæ; sed quemadmodum optabat Apostolus, cum ad Philipp. 1. v. 23. scribebat: *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Super quæ verba S. Thomas (3): » In homine, *inquit*, duplex est motus, naturæ scilicet, & gratiæ. Naturæ ad non moriendum.... »& gratiæ, quam suggerit charitas, quæ movet ad dilectionem »Dei, & proximi. Hic affectus ad dilectionem Dei movet, ut »simus cum Christo «.

848 Licet quoque ad supplicium damnato scalas ascendere, & jugulum præbere; hæc enim non directe pertinent ad sui internecionem, quam carnifex exequitur, sed ad exequutionem justitiæ à legitima Potestate injunctæ, cui non potest reus licite contradicere. Non videtur autem ipsi licere venenum epotare, si ad tale genus mortis sit condemnatus; ita enim directe concurreret ad sui necem: quod est illicitum. Qua etiam ratione damnato ut fame pereat, non licet abstinere à cibis, si apponantur, ut docet S. Thomas (4). Licet vero damnato ad mortem non fugere, etiamsi possit, quia non tenetur se subtrahere ordinationi justitiæ (5). Denique non licet fame perire

(1) §. 517.
(2) Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 26. art. 5.
(3) Lect. 2.
(4) 2. 2. quæst. 69. art. 4. ad 2. (5) Ibidem.

in extrema necessitate, nisi ob salutem spiritualem proximi, vel ad salvandam vitam personæ, cui necessario succurrendum sit ex ordine charitatis.

849 Ad quartum jampridem responderat S. Thomas (1), non licere homini sibi vitam eripere, etiam *ut quaslibet miserias præsentis vitæ evadat, quia ultimum malorum hujus vitæ, & maxime terribile, est mors. Et ideo inferre sibi mortem ad alias hujus vitæ miserias evadendas, est majus malum assumere ad minoris mali vitationem.* Quod sane est agere contra rationem. Directius autem ad sophisma Pseudo-Mirabaudi respondentes, dicimus, nihil posse infelicius esse, quam non esse: nam qui adhuc est, hoc saltem bonum habet, quod est: habere autem aliquod bonum, non est omnimoda infelicitas, qualis est illius qui non est. Hoc ipso igitur, quod homo amat esse, ut sit felix, sequitur, non posse sibi eripere esse, quo erepto summum malum, & infelicitatem incurreret. Quis autem dixerit, homini etiam inter maximas calamitates nullam esse cujuscumque felicitatis spem, si hoc ipsum quod est, aliquod bonum est, quod habet à natura? Numquam ergo natura impunitatem homini concedit consciscendi sibi mortem, quicumque sit status misere vivendi, in quem sit homo conjectus: nec potest natura impunitatem illam concedere, quæ est contra ipsam naturam, cum sit contra rationem.

850 Ad quintum respondemus, præceptum de propria vita servanda à nemine umquam potuisse invincibiliter ignorari; est enim lumine naturæ notum. De Catone præclare S. Augustinus (2): »Si turpe erat sub victoria Cæsaris vivere, cur au»ctor hujus turpitudinis (Cato) pater filio fuit, quem de Cæsaris »benignitate omnia sperare præcepit; cur non & illum secum »coegit ad mortem? ... Quid est ergo, nisi quod filium quan»tum amavit, cui parci à Cæsare & speravit, & voluit, tan»tum gloriæ ipsius Cæsaris, ne ab illo etiam sibi parcere»tur, ut ipse Cæsar dixisse fertur, invidit; aut, ut aliquid »nos mitius dicamus, erubuit«? Non sunt igitur fortes, sed imbecilles, qui sibi vitam eripiunt ad vitanda mala pœnalia. »Non est, *inquit S. Thomas* (3), vera fortitudo, sed ma»gis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia »sustinere«.

(1) 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3. (2) Lib. 1. de Civ. cap. 23.
(3) Loc. cit. ad 5.

ARTICULUS III.

Utrum homo teneatur seipsum perficere.

851 Perfectionis curam adjungimus curæ conservationis; non enim perfici possumus, nisi salvi simus. Jam vero supra diximus (1), Wolfianum principium de curanda propria animi, & corporis perfectione à veritate non abhorrere, si recte intelligatur; ipsumque ad mentem Wolfii intellectum fusius fortasse, quam erat necesse, impugnavimus. Nunc ergo de vera sui perfectione, quam curare homo debet, compendio est agendum.

852 Videtur autem homo non teneri ad se perficiendum, 1. quia opera perfectionis sunt opera consilii. Nemo autem tenetur ad opera consilii; alioquin ea essent opera præcepti.

853 II. Potior hominis perfectio consistit in iis, quæ ad animum pertinent, atque inter hæc eminent ea, quæ pertinent ad intellectum, cum intellectus sit perfectior voluntate. Ad intellectum autem pertinent scientiæ. Si ergo homo teneretur ad seipsum perficiendum, teneretur etiam ad scientias comparandas: quod falsum est; neque enim ullum tale exstat naturæ præceptum.

854 III. Virtutes etiam pertinent ad hominis perfectionem. Sed non omnes homines tenentur ad omnes actus virtutum. Ergo nec tenentur ad se perficiendum.

Prop. *Unusquisque tenetur omnino se perficere comparando ea, quæ necessaria sunt ad veram felicitatem absolute consequendam; in reliquis nullum exstat præceptum.*

855 Prob. ex S. Thoma (2). Unumquodque dicitur perfectum, prout attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Vera autem hominis felicitas est ultimus finis, ideoque ultima hominis perfectio. Quidquid ergo necessarium est ad

(1) §. 284. sqq.
(2) 2. 2. quæst. 184. a. 1. & 3.

veram felicitatem absolute consequendam, pertinet ad perfectionem, quam homo debet omnino comparare; ea vero, quæ non sunt absolute necessaria ad illum finem adsequendum, non tenetur homo ex necessitate comparare, quamquam ad ejus perfectionem pertinere videantur.

856 Vera autem hominis felicitas est solus Deus, ejusque contemplatio, ut demonstratum est (1). Oportet igitur, ut homo se ad talem felicitatem consequendam disponat comparando Dei cognitionem. Et quia Deus, ut recte ait S. Augustinus (2), se manifestat sive per creaturas, sive per seipsum; curandum est, ut omni meliori quo possumus modo, Deum cognoscamus. In cognoscendis autem Divinis rebus numquam à veritate recedemus, si Catholicæ Religionis, quæ, ut ostendimus (3), sola vera est, documenta sectabimur. Quilibet ergo in iis, quæ de Deo cognoscenda proponit Catholica Religio tamquam necessaria necessitate medii, & præcepti ad salutem consequendam, instrui omnino debet.

857 Porro Divinorum cognitio sterilis esse non debet, sed voluntatem promovere ad Dei amorem. Perfectio igitur hominis specialiter attenditur secundum charitatem, quæ nos unit Deo tamquam ultimo fini, & veræ nostræ felicitati. Charitas vero principaliter respicit Deum, secundario autem nos ipsos, & proximum, ut nos, & proximum diligamus propter Deum. Quæcumque igitur ita pertinent ad charitatem, ut sine ipsis charitas haberi non possit, uti sunt omnia præcepta, etiam ea, quæ respiciunt corporis nostri salutem, & incolumitatem; & onera, quæ unicuique incumbunt pro statuum diversitate: ea pertinent ad absolutam hominis perfectionem. Universi ergo virtutum actus, qui necessarii sunt ad removenda ea, quæ sunt contraria charitati, sine quibus charitas haberi non potest, necessario requiruntur ad hominis perfectionem. Cætera vero, quæ ordinantur ad removenda impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non adversantur, ut sunt opera consilii, perficiunt quidem hominem, sed in eis perfectio essentialiter non consistit; atque proinde ad ea comparanda homo absolute non tenetur. Et per hæc patet responsio ad objecta (4).

---

(1) §. 86. sq.
(2) L. 11. de Civ. cap. 2. & l. 11. de Gen. ad lit. cap. 33.
(3) §. 700. sqq.
(4) Si hæc, quæ ex S. Thoma excerpsimus, comparentur cum

ARTICULUS IV.

Utrum liceat interficere aggressorem vitæ, pudicitiæ, honoris, & bonorum fortunæ.

858 De justa defensione adversus injustum vitæ aggressorem, cum moderamine *inculpatæ tutelæ*, jam nonnulla tetigimus agentes de bello (1) : nunc operosius non modo de aggressoris interfectione ad conservandam vitam est dicendum, sed & de jure defendendi cætera bona cum ipsius aggressoris internecione.

859 Videtur autem 1. non licere umquam injustum aggressorem occidere (2). Nam ordo charitatis postulat, ut vitam spiritualem proximi vitæ corporali nostræ præferamus, ut docet S. Thomas (3). Qui autem injustum aggressorem occidit, hunc ordinem pervertit; ille enim, cum injuste aggrediatur, si in eo statu necetur, æternum peribit. Quænam vero charitas est, alterum in infernum dejicere, ut propria corporis vita salvetur ?

860 II. Homicidium est gravius peccatum, quam fornicatio. Nemini autem licet fornicari ad suæ vitæ conservationem. Ergo nec alterum occidere, ut suam vitam defendat.

861 III. S. Ambrosius (4) : » Non videtur, *inquit*, quod »vir Christianus, & justus, & sapiens quærere sibi vitam alie»na morte debeat, utpote qui etiamsi in latronem armatum in»cidat, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, »pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris aperta, & »evidens sententia est, *Reconde gladium tuum ; omnis enim, »qui gladio percusserit, gladio feretur.* Quis latro detestabi»lior, qui venerat, ut Christum occideret ? Sed noluit se

---

iis, quæ scribunt Pufendorfius, Heineccius, Genuensis, aliique scribentes de officiis hominis erga seipsum ; comperietur, omnia illos perturbate miscere, ita ut nesciat lector definire, quænam homini officia sint necessario erga seipsum colenda ; S. Thomam vero paucis universa in suo ordine collocare.

(1) §. 487.
(2) Ita Gerson, Accursius, Richardus à S. Vict. &c.
(3) 2. 2. q. 26. a. 5.
(4) L. 3. de offic. c. 4.

„Christus persequutorum defendi vulnere, qui voluit suo vul„nere omnes sanare “. Insuper S. Augustinus (1) non nisi in triplici casu occisorem excusat à culpa, scilicet si bella Deo auctore gerantur, si iniquus publica auctoritate occidatur, & si quis seipsum interimat speciali Dei instinctu. In eadem sententia est S. Cyprianus ajens (2) de Christianis: *occidere non licet, sed occidi necesse est.* Et rursus (3); *nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat.* Similia scribunt S. Cyrillus Alexandrinus (4), & S. Basilius (5).

862 IV. Pudicitia, & honor vitæ adæquantur. Vel ergo æque licet interficere invasorem vitæ, ac invasorem pudicitiæ, & honoris; vel si hunc non licet occidere, nec etiam illum.

863 V. Exodi 22. v. 2. sq. legitur: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit: homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Saltem ergo in aliquo casu non licet invasorem interficere.

Prop. *Nisi vita ejus qui invaditur, periclitetur, non videtur licere cædes injusti aggressoris pro conservatione sive pudicitiæ, sive honoris, sive bonorum fortunæ, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

864 Quod licita sit (6) cædes aggressoris injusti, si

(1) Lib. 1. de Civ. c. 21. & l. 1. de lib. arb. c. 5. & Epist. 47. al. 154. n. 5.
(2) Epist. 56. (3) Epist. 57.
(4) Lib. 1. in Joann. cap. 35.
(5) In Epist. ad Amphilochium de canonibus can. 8. 43. 45.
(6) Licere dicimus; non enim subscribimus Buddeo Theol. Mor. p. 2. c. 3. sect. 3. n. 20. docenti, violentam defensionem non modo licitam esse, sed etiam semper præceptam; ideoque neminem umquam posse absque peccato ab ea abstinere; eo quod lege naturali teneamur vitam nostram conservare. Id si verum foret, peccassent sancti Martyres, qui exemplo Salvatoris nostri injustis aggressoribus non restiterunt. Itaque lex naturæ præcipiens vitæ conservationem talis est, ut vitam nostram corporalem debeamus præferre vitæ corporali proximi, si nulla alia accedat causa. Nam, ut recte S. Augustinus l. de

vita ejus qui invaditur, periclitetur, jam supra ostensum est (1) cum S. Thoma; modo id fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, id est, non ex intentione occidendi invasorem, sed dumtaxat ob defensionem propriæ vitæ, quæ aliter servari nequit (2). Jus enim conservandi propriam vitam insitum cuique est à natura; à qua proinde quisque jus habet defendendi seipsum adversus injustum aggressorem, etiamsi moderate se defendendo contingat præter intentionem aggressoris occisio (3).

---

mendacio c. 5. *Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, jam non diligit proximum sicut seipsum, sed plus quam seipsum, quod doctrinæ regulam excedit.* Si autem alia justa causa accedat, cujusmodi esset, providere bono spirituali aggressoris, vel egregium dilectionis actum erga ipsum propter Deum elicere, multoque magis si id fieret in testimonium Fidei Divinæ; tunc perfectissimæ charitatis esset, vitam propriam corporalem profundere pro servanda corporali vita proximi. S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. » Non est, *inquit*, de necessitate charitatis, quod homo proprium » corpus exponat pro salute proximi (*corporali*), nisi in casu quo te» netur ejus saluti providere; sed quod aliquis sponte ad hoc se offe» rat, pertinet ad perfectionem charitatis «. Excipe tamen 1. si is qui invaditur, est persona cujus conservatio multum refert ad Reipublicæ bonum. 2. si omissio defensionis maximo esset detrimento familiæ. 3. si is qui invaditur, est in statu peccati mortalis; tunc enim tenetur se defendere. Si autem persona quæ invadit, sit talis, ut ejus vita multum Reipublicæ intersit, is qui invaditur, tenetur jure naturæ, & lege charitatis præferre commune bonum propriæ suæ vitæ, si possit absque dispendio suæ salutis æternæ.

(1) §. 487.

(2) Hinc explicatur, quid sit, & in quo consistat *moderamen inculpatæ tutelæ*, scilicet 1. ne quis utatur majori violentia, quam necesse sit ad propriam vitam defendendam; alioqui non repelleret, sed potius inferret vim. Quare si quis potest se defendere pugnis, alapis, aut mutilatione, ei non licet occidere. 2. requiritur, ut defensio occisiva sit in conflictu, sive, ut ajunt, *in continenti*: nam ante, vel post conflictum necare, esset ultio, & non defensio. 3. ut non pateat aditus fugæ; si enim fugere quis possit, & declinare aggressorem absque periculo vitæ, jam cædes non est ad se defendendum. 4. ut non intendatur mors aggressoris, sed tantummodo propriæ vitæ defensio.

(3) Idipsum constat in utroque Jure. Atque in Civili quidem *L. 1. ff.* De vi, & de vi armata; & *L. Ut vim ff.* De just. & jure; & *L. Injuriarum ff.* De injuriis; & *L. Sed etsi ff.* ad legem Aquiliam. In Jure

865 De pudicitiæ defensione cum nece invasoris Grotius (1), Pufendorfius (2), Henricus Coccejus (3), aliique cum Catholicis Scriptoribus bene multis affirmant licere. At vero S. Augustinus: „ De pudicitia, *ait* (4), quis dubitaverit, quin ea „sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? un„de à violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quidquid igi„tur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in potestate „nostra non est: quare quemadmodum nostrum appellandum sit, „non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ „tales permittit interfici: sed quo pacto istos defendam qui „interficiunt, non invenio «. Profecto si per pudicitiam intelligatur virtus inhærens animo, ea eripi ab aggressore nequit: & licet in periculum veniat, cum invaditur; periculum tamen tale non est, ut non possit à voluntate depelli; quare semper est in potestate voluntatis non consentire libidini, & interiori animi pudicitiæ prospicere; ideoque ad eam defendendam necessaria absolute non est invasoris cædes, ut necessaria est cædes illius, qui vitam invadit. Si autem per pudicitiam intelligatur integritas corporis, ea non ita violatur ab aggressore, ut non pateat aditus ad impetrandam debitam satisfactionem à Magistra-

---

etiam Canonico *Dist.* 1. *can.* 7. & *c. Significasti* ext. De Homicidio; & *c. Si vero* ext. De Sent. Excom. Et in Const. Clementis V. in Concilio Viennensi, in Clementina De Homic. ubi dicitur: „Si furiosus, aut „infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc „irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem alius vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem «. Docuerat quidem S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 7. ad 3. incurri irregularitatem ab eo, qui alterum occidit se defendendo; sed ita scripsit ante Concilium Viennense. Quia vero non ita facile est decernere, an sit in defensione servatum moderamen inculpatæ tutelæ; idcirco Tridentina Synodus sess. 14. in Decr. de Reform. c. 7. statuit: *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcumque, & dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.*

(1) De jur. bell. & pac. l. 2. c. 1. §. 7.
(2) De offic. hom. & civ. l. 1. c. 5. §. 22.
(3) In laudatum Grotii locum.
(4) L. 1. de Lib. Arb. cap. 5.

tu. Non videtur ergo licere cædes aggressoris pudicitiæ, cujus corporalis jactura reparari potest auxilio juris. Tutius ergo erit, reluctatione, clamoribus, minis sese defendere, vitæ autem parcere (1). Quod si vero aggressor ad arma veniat, tunc licebit in ipsum armis insurgere ad vitam defendendam cum moderamine inculpatæ tutelæ.

866 Quod ad honoris defensionem pertinet, dicimus, numquam licere occidere calumniatorem, infamatorem, aut alium quempiam quacumque ratione dehonorantem, aut conviciantem (2). Tum quia dehonorato semper remanet locus defendendi suum honorem via juris; ideoque, si hac neglecta ad necem inhonorantis convertitur, id pertinet ad privatam vindictam, quæ pugnat cum charitate fraterna. Tum quia vita corporalis proximi est bonum ordinis longe superioris bono exteriori famæ, & honoris; hoc enim pertinet ad vitam hominis civilem, illud ad vitam naturalem. Is autem ordo pervertitur, si propter honorem externum servandum, inhonorans vita privetur; ideoque agitur contra naturæ jus. Tum quia honor verus debetur virtuti, ut S. Thomas ostendit (3). Virtutem autem nemo eripere à nobis

---

(1) Hæc licet verisimilior nobis videatur opinio, præsertim ob rationem quam innuimus; non audemus tamen contrariam sententiam omnino rejicere, maxime si mulier sibi timeat consensum in peccatum.

(2) Quærit Grotius de jur. bell. & pac. l. 2. c. 1. §. 10. an ob alapam liceat alterum occidere? Ait porro ob alapam intentatam licere, spectata justitia *expletrice*, seu jure naturæ stricte accepto, non vero spectata lege Evangelica præcipiente, ut injuria toleretur. Ob alapam vero acceptam, negat, licere alterum occidere. At Samuel Coccejus in eum Grotii locum putat, fas esse occidere sive paratum ad alapam infligendam, sive ipsum post alapam inflictam. Hæc reprobat vel ipse Heineccius: nam in cit. Grotii locum: » Ego, *in-*» *quit*, nec ex lege Evangelica, nec ex jure naturæ stricto procede-» re arbitror defensionem usque ad destructionem alterius. Nam ala-» pa consideratur aut tamquam injuria, aut tamquam dolorem effi-» ciens actus. Si prius, nullum hic est periculum, ne per magistra-» tum satisfactionem accipere non possimus: sin posterius, non est » dolor iste tam intolerabilis, ut dignus sit, ut ad eum evitandum » alterum destruere conemur «. Et re quidem vera in neutro casu licet: nam si alapa est solum intentata, & non inflicta, caveri potest discedendo; nondum enim injuria est irrogata. Si autem alapa jam est accepta, percussio ejus qui illam inflixit, pertinet ad privatam vindictam, quæ semper est illicita.

(3) 2. 2. q. 63. art. 3.

potest, nisi nobis volentibus. Tum demum, quia etsi mundi amatoribus insanis dedecus videatur esse benefacere calumniantibus, & persequentibus; hæc tamen est vera gloria, verumque decus Christianorum. Merito igitur Alexander VII. hanc propositionem proscripsit: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Et Innocentius XI. jure hanc aliam propositionem damnavit: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictu fustis fugiat.* Alias propositiones ad duellum spectantes, à Benedicto XIV. damnatas, vide in ejus Constitutione *Detestabilem* 10. Novembris 1752. Eas descripsimus in nostra Epitome Theol. Dogm. Mor. Natalis Alexandri, ad c. 9. de quinto Decalogi Præcepto q. 6.

867 Restat, ut dicamus de bonis fortunæ. Qua in re communior sententia tenet, licere occidere furem cum moderamine inculpatæ tutelæ, si agatur de bonis temporalibus magni momenti, ex quibus vitæ, statusve conservatio pendeat, si aliter defendi, vel recuperari nequeant. In quam sententiam ultro, libenterque descendimus, si bona furata necessaria omnino sint ad vitæ conservationem; tunc enim vita nostra adducitur in discrimen: in pari autem casu melior est conditio innocentis, ac possidentis. Addimus, plerumque fures irruere non furandi solum animo, sed & occidendi; tunc vero licere vim vi repellere. At si agatur de furto simplici rei etiam magni valoris, sine qua tamen conservari vita nostra potest, non videtur licere interfectio furis, etiamsi nulla sit spes rei furatæ recuperandæ; tunc enim nulla reperitur proportio inter vitam furis, & rei furatæ jacturam. Et sane, si Magistratus ad mortem non damnat furem ob simplex furtum decem, viginti, aut etiam centum aureorum, qua ratione privatus quisque ob simile furtum furem poterit interficere? Mittimus mala, quæ ex furis nece possent interfectori obvenire: nam probare juridice teneretur, illum fuisse furem, & unice fuisse necatum propter furtum rei magni momenti: quæ quidem circumstantiæ plerumque solent esse difficillimæ probationis, interfectoremque in magnas conjiciunt angustias cum personæ suæ, tum familiæ, & aliorum bonorum. Hæc ad rationis lancem ut expendantur, propo-

nimus; neque enim in re controversa decretorie resolvere in animo est (1).

868 Ad primum respondemus, ex nequitia invasoris esse, ut æternum pereat, non ex voluntate ejus qui se defendit; is enim illius mortem non intendit, sed unice defensionem vitæ suæ; ille vero debet sibi imputare, quod nolit ab aggrediendo desistere (2).

869 Ad secundum respondet S. Thomas (3), fornicationem non ordinari ex necessitate ad conservationem propriæ vitæ, sicut actus ex quo quandoque sequitur homicidium.

870 Ad tertium respondemus cum eodem S. Thoma (4), auctoritates Patrum inductas, & alias, quæ possent adferri, intelligendas esse *in eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut seipsum à morte liberet* (5): quod semper est illi-

---

(1) In Jure Canonico tit. de Homic. c. *Interfecisti* dicitur: » Si » autem sine odii meditatione, *te tuaque* liberando, hujusmodi dia» boli membra interfecisti. . . si aliquid jejunare volueris, bonum est » tibi: & eleemosynam fac largiter «. Ubi consideranda sunt ea verba, *te tuaque*; videtur enim utrumque requiri, scilicet quod in personam, & in bona sint manus injectæ, à quibus debeat quis sese, & sua liberare.

(2) Major difficultas esse potest, si aggressor sit mente captus, aut ebrius; tunc enim non est in ejus potestate, ut ab aggrediendo desistat. Aliunde vero, si sit in statu peccati mortalis, ut sane est ille, qui sciens volens se inebriavit, & in eo statu interficiatur, æternum perit. Sed etiam in hisce casibus licet se defendere, invasorem occidendo cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam jus ad se defendendum non oritur ex delicto alterius, alioqui pœna esset, non defensio; sed ex jure ad conservandam propriam vitam contra invasorem, qui non invadit tamquam justitiæ minister. Quare sive aggressor sit mente captus, sive ebrius, etsi non peccet invadendo; quia tamen non invadit ut minister justitiæ, ei qui invaditur, competit jus sese defendendi. Aggressori autem, præsertim ebrio, imputabitur, quod voluntarie se conjecerit in eum statum, in quo si interficiatur, dispendium subeat salutis æternæ. Nam qui eum occidit, non intendit, neque potest licite intendere ejus mortem corporalem, multoque minus mortem spiritualem, & æternam, sed unice defensionem intendit vitæ propriæ.

(3) 2. 2. q. 64. a. 7. ad 4.

(4) Ibidem ad 1.

(5) Hac vel una responsione evertuntur universa, quæ Barbeyracius congerit *de la Mor. des Peres* c. 4. §. 37. & c. 6. §. 34. & c. 8. §. 40. & c. 9. §. 1. ut probet, veteres Ecclesiæ Patres absolute damnasse violentam sui defensionem. Sententias Patrum hac in re jam collegerant

citum (1).

871 Et re quidem vera S. Ambrosius inquirit de sapiente in naufragio posito, an possit insipienti naufrago tabulam extorquere: qui casus omnino diversus est ab eo, de quo agimus. Et licet exemplum adferat hominis incidentis in latronem; quia tamen ait, *ferientem referire non posse*, ostendit, se loqui de eo, qui referiens intendit occidere ferientem. Quod magis confirmant verba Christi ad Petrum: nam Petri defensio potius præ se ferebat speciem vindictæ; neque enim ipse erat, quem milites insequebantur, sed Dominus, qui tali non habebat opus defensione, nolebatque persequutorum defendi vulnere (2). Certe idem Ambrosius (3) explicans verba Christi: *& qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*: „O Domine, *inquit*, cur emere me jubes gladium, „qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quem ve„tas promi? Nisi forte, ut sit parata defensio, non ul„tio necessaria; & videat potuisse vindicari, sed noluisse". Quæ sane mentem Ambrosii plane demonstrant, ipsum scilicet loqui de ultione lege permissa, non de simplici vitæ defensione.

872 Jam de S. Augustino, quod communem veramque sententiam perpetuo docuerit, ostendit Card. Norisius (4) ex iis, quæ idem Augustinus habet, cum loquitur de fure nocturno, de

---

Catholici Scriptores, easque explicaverant. Adeatur inter cæteros Cardinalis Norisius *in Vindiciis Augustinianis*, & noster Card. Capisucchus in Quæst. selectis q. 5. & perspicietur, Barbeyracium nihil ferme aliud effecisse, quam transcribere sententias Patrum ab aliis collectas, nulla habita ratione explicationis eis attributæ à Catholicis Scriptoribus. Hæc est sapientia istiusmodi auctorum, expilare aliorum libros, objectiones excerpere, & de responsionibus nihil curare.

(1) Eodem modo exponendi sunt plures Scripturæ textus, qui videntur omnem defensionem Christianis interdicere, ut cum Christus ait Matth. 5. v. 39. *Non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et cum Apostolus ad Rom. 12. v. 19. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Hæc enim intelligenda sunt de præparatione animi, & de defensione cum animo ulciscendi: quod ipsa verba, *sed date locum iræ*, ostendunt. Vide S. Thom. in cit. Apost. cap. lect. 3.

(2) Vide S. August. Tract. 112. in Joann.

(3) L. 10. in Luc. num. 53.

(4) Loc. cit.

quo dubitatur, an venerit cum animo occidendi, ut paulo post dicemus. Quæ vero ejus testimonia videntur contraria, explicanda sunt, prout ea explicat S. Thomas; quam explicationem esse omnino ad Augustini mentem, ostendit Card. Capisucchus (1) adversus Norisium.

873 Idipsum dicendum de cæteris Patribus: nam S. Cyprianus expresse ait, *non licere occidere*: quod significat, non licere intendere aggressoris mortem. S. Cyrillus vero in eodem loco: *Undenam*, inquit, *Petrus gladium habuit* ? Ac respondet: *Quia secundum legem gladio se defendere licebat.* Et ibid. *Si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Christus, omni modo fortassis illum discipuli debuissent defendere.* S. Basilius autem in eadem Epist. ad Amphilochium non omnem defensionem damnat, sed eam quæ ex ultione procedit: *Qui mortis*, inquit, *ictum dedit proximo, est homicida, sive percutere incœpit, sive ultus est.* Præterea S. Basilius in duplici Epist. Canonica ad Amphilochium non loquitur de homicidio, qua ratione peccatum est, sed quatenus subjiciebatur pœnis canonicis ex veteri Ecclesiæ disciplina, quæ erant veluti irregularitates, ob quas Fideles arcebantur ab Ordinibus, & à Communione. Id apertissime constat ex iisdem Epistolis, quæ propterea dicuntur *Canonicæ*. Constat autem, in Ecclesia Catholica habitos fuisse ut irregulares etiam tempore S. Thomæ eos, qui ut se defenderent, aggressorem injustum interficiebant cum moderamine inculpatæ tutelæ. Irregularitas vero incurri potest etiam sine peccato, ut in Judice, qui reos ad mortem damnat, & in carnifice, qui eos jugulat, vel suspendit.

874 Ad quartum respondemus, valde magnum esse discrimen inter vitam naturalem, & pudicitiam, atque honorem: nam pro vita naturali nulla potest esse compensatio, sicut esse potest pro pudicitia per vim oppressa, & pro honore injuste ablato.

875 Ad quintum respondet S. Augustinus (2), idcirco in Lege fuisse permissam interfectionem furis nocturni, vetitam occisionem furis diurni, quia de illo non poterat, ut de isto, discerni, an venisset ad furandum tantum, an etiam ad occidendum. „ Intelligitur ergo, *inquit*, tunc non pertinere ad „homicidium, si fur nocturnus occiditur; si autem diurnus, „pertinere... poterat quippe discerni, quod ad furandum, „non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi.

(1) Loc. cit. (2) Quæst. 84. in Exodum.

»Hoc & in legibus antiquis sæcularibus, (*ff. ad l. Aquil. l.* »4.) quibus tamen ista est antiquior, invenitur, nempe oc»cidi posse nocturnum furem quoquo modo; diurnum au»tem, si se cum telo defenderit; jam enim plus est quam »fur (1)«.

QUÆSTIO XI.

De officiis hominum erga alios generatim.

876 Superest, ut de officiis hominum erga alios disseramus, quæ nulla esse vi juris naturæ obtinentis in solitudine, nonnulli putant (2), magno sane errore; homo enim in quovis statu, ut S. Thomas demonstrat (3), tenetur proximum diligere saltem in præparatione animi. Hæc autem officia dividuntur in *absoluta*, & *hypothetica*. Atque *absoluta* quidem sunt illa, quæ in quacumque facta hypothesi tenemur proximo reddere, ut ipsum amare; alteri facere, quod nobis fieri volumus; alteri non facere, quod nolumus nobis fieri (4). At-

(1) Si Genuensis de jur. & offic. l. 1. c. 11. §. 8. non unum legisset in hac controversia Grotium, aut Barbeyracium, abstinuisset à scribendo: »Omnium disertissime Augustinus in libris *de lib. arb.* »cujus aperta doctrina est, nec exceptioni ulli obnoxia, haud fas »esse alteri vitam eripere privatim pro conservatione nostræ«. Et §. 10. »Augustinus vero singularis fuit in ea sententia, & duriusculus«. An hæc sint vera, Augustini relata verba demonstrant. Sed videte, quam sibi Genuensis constet. Postquam dixit, Augustini doctrinam nulli exceptioni esse obnoxiam, statim in cit. §. 10. »Quamquam, »*ait*, sic puto, non jus illum defensionis auferre voluisse, sed do»cere, quantopere præstet concedere invasori, quam arma expedire«. Nonne hæc quædam exceptio est in Augustini doctrina? Quomodo ergo nulli ea est exceptioni obnoxia?

(2) Ita Dur. in prop. 16.

(3) 2. 2. q. 25. art. 2.

(4) Pufendorfius l. 1. de offic. hom. & civ. c. 6. tradens generalem divisionem officiorum hominis erga aljos, ait §. 2. inter ea primum locum obtinere, *ne quis alterum lædat*. Et §. 4. infert hoc aliud, *si quis alterum læserit, damnum esse sarciendum*. Non negamus veritatem horum officiorum: negamus autem, hæc esse prima: nam quomodo primum, *ne quis alterum lædat*, si est mere ne-

que hæc etiam dividuntur in *perfecta*, & *imperfecta*; *perfecta* quidem, si proximo stricto jure debentur, ut non occidere, non furari, aliaque pertinentia ad septem posteriora Decalogi præcepta; *imperfecta* autem, ad quæ stricto jure non tenemur, uti sunt quædam humanitatis, & benevolentiæ officia. Jam vero officia *hypothetica* dicuntur illæ actiones, vel omissiones erga proximum, ad quas tenemur quidem, sed ex hypothesi alicujus facti proprii, vel alieni, uti sunt promissiones, & contractus; tenemur enim iis stare, sed ex hypothesi quod promisserimus, aut contractus inierimus, cum cæteroqui fuerimus liberi ad promittendum, vel ad hos, aut illos contractus ineundos.

877 Officia autem *absoluta*, sive *perfecta*, sive *imperfecta*, sunt omnibus hominibus communia, cum omnes debeant proximum diligere, eique benefacere. Officia etiam *hypothetica* possunt etiam esse pari modo communia, propterea quod omnibus liberum est, se aliquo modo alteri obligare. Sunt autem & alia officia peculiaria statibus hominum in societate degentium. Hæc autem sunt officia conjugum inter sese. Item offi-

---

gativum? Nonne omne negativum supponit positivum, in quo fundatur? Secundum generale hominum officium inter sese Pufendorfius ibid. c. 7. §. 1. constituit *in agnoscenda naturali hominum æqualitate*. Non negamus hanc hominum æqualitatem in natura. At quomodo ejus cognitio erit secundum hominum officium mutuum, si ex ipsamet æqualitate manat, ut neminem debeamus lædere, quia sumus in natura æquales? Tertium officium ille statuit ibid. c. 8. §. 1. *ut quilibet alterius utilitatem, quantum commode potest, promoveat*. Est & hoc verum; sed tale officium non nisi imperfectam obligationem imponit, si de beneficentia minime præcepta intelligatur, ut ipsemet Barbeyracius in not. ibid. animadvertit. Itaque primum hominis officium erga alios est amor, quo tenemur proximum diligere sicut nos ipsos propter Deum, non solum quia nobis æqualis est in natura, sed multo magis, quia ejusdem ultimi finis consequendi, id est, æternæ beatitudinis est capax. Vide S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. Ex hoc autem officio manat, & quod debeamus alteri facere, quod nobis fieri volumus; & quod non faciamus alteri, quod nolumus nobis fieri; & quod neminem lædamus; & si læserimus, damna, & injurias sarciamus, & quod proximo benefaciamus, &c. Videte autem Pufendorfii acumen ingenii: namque cum socialitatem constituerit primum juris naturæ principium, ut diximus §. 263. nunc mutua hominum officia, in quibus socialitas maxime consistit, profluere facit ex officio mere negativo, cujusmodi est, *neminem lædere*.

cia parentum erga liberos, & liberorum erga parentes. Item reciproca officia dominorum erga servos, & servorum erga dominos. Tandem reciproca officia supremarum Potestatum erga subjectos populos, & populorum erga illas. Hisce ergo de rebus compendio erit agendum, ut finem tractationi huic imponamus nostræ, universæque Philosophiæ, quam tradere sumus aggressi.

878 Principio igitur dicendum esset de multis communibus hominum officiis. Quam quidem rem si vellemus pro dignitate, ac vastitate tractare, oporteret ferme integras morales Institutiones huc advocare: quod immensi esset laboris, minimeque necessarii in tanta moralium librorum copia. Neque enim sive Grotius, sive Pufendorfius, sive Heineccius, sive cæteri qui de officiis tractare instituerunt, effecere aliud, quam ea complecti, quæ in quoque morali libro reperiuntur; si quædam excipias, quæ ex profanis citant Auctoribus. Itaque ne actum agamus, remittimus, si placet, ad Epitomen nostram Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Natalis Alexandri, qua ferme omnia comprehenduntur, quæ ad officia communia hominum tam absoluta, quam hypothetica pertinent, exque purioribus fontibus, quam libri memoratorum scriptorum, sunt hausta. Nonnulla tantum adversus ipsos excerpenda sunt, quæ peculiarem animadversionem, castigationemque exigunt: atque hæc ad tria potissimum capita redigemus, quorum primum spectabit ad mentem, & ejus veritatem, cui mendacium opponitur; alterum ad voluntatem, & ejus amorem, cui opponitur inimicorum odium; tertium ad justitiam respicientem commutationes, cui inter cætera opponitur usura.

ARTICULUS I.

Utrum mentiri aliquando liceat?

879 Mendacium definit Grotius (1), esse sermonem, aut notam *repugnantem cum jure existente, ac manente ejus, ad quem sermo, aut nota dirigitur.* Quam definitionem probant Pufendorfius (2), Barbeyracius (3), Heineccius (4), alii-

(1) De jur. bell. & pac. l. 3. c. 1. §. 11.
(2) Loc. cit. cap. 10. §. 8.
(3) Ibid. in not.
(4) De jur. nat. & gent. l. 1. §. 199. & in Prælect. Acad. in præfat. §. 11. Grotii.

que heterodoxi, & cum ipsis Genuensis (1). Eam vero improbat, falsamque demonstrat S. Thomas (2). »Ratio, *inquit*, »mendacii sumitur à formali falsitate, ex hoc scilicet quod ali»quis habet voluntatem falsum enunciandi: unde & mendacium »nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur. Et ideo si »quis falsum enunciet, credens id esse verum, est quidem fal»sum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas est præter »intentionem dicentis... Quod autem aliquis intendat falsita»tem in opinione alterius constituere, non pertinet ad speciem »mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius «. Non igitur ex falsitate repugnante cum jure illius, ad quem sermo dirigatur, definiendum est mendacium, sed ex voluntate ejus, qui falsum dicit.

880 Non alia ratione Grotius, & qui eum sectantur, falsam illam definitionem posuerunt, nisi ut ex illa inferrent, mendacium quidem *perniciosum* esse illicitum, quia opponitur juri existenti in eo, ad quem sermo dirigitur; secus vero mendacium *jocosum*, *& officiosum*, quo nullum alterius læditur jus. Itaque Grotius ipse quinque excipit casus, in quibus mendacium

---

(1) L. 1. de jur. & offic. c. 11. §. 31. »Si quis, *ait*, falsum »loquatur, non ut decipiat, circumveniatque, sed ut ludat, lepi»disque jocis societatem recreet, tametsi falsiloquus sit, mendax au»tem non est «. Et §. 34. loquens de mendaciis officiosis: » S. Au»gustinus, *inquit*, in libris de mendacio « (non nisi unum *de mendacio* librum S. Augustinus scripsit, nam alter est *contra mendacium ad Consentium.*) »quos *severiuscule* scripsit, & hæc quoque »mendacia damnat «. Ipse vero Grammaticum, ut assolet, agens, distinguit in voce *culpæ*, & *vitii* duplicem acceptionem, scilicet ut primum accipiantur *pro imbecillitate quadam*, *& imperfectione*; & hoc modo concedit, mendacia officiosa esse vitiosa, & culpas. Secundo, ut accipiantur *pro eo*, *quod cum lege*, *& jure pugnat*; & sic ait, esse *ignoscibilia naturæ legibus*, videlicet peccata non esse. Quis credidisset, ejusmodi doctrinas tradendas fore *in usum tironum* Catholicorum, postquam Innocentius XI. damnavit ipsum amphibologiarum usum in quavis rerum circumstantia? Hanc enim prop. 27. proscripsit: *Causa justa utendi his amphibologiis est*, *quoties id necessarium*, *aut utile est ad salutem corporis*, *honorem*, *res familiares tuendas*; *vel ad quemlibet alium virtutis actum*, *ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens*, *& studiosa.* Ad tam infelicia devenimus tempora, ut in scholis Catholicis impune doceantur dogmata ab Ecclesia proscripta, & ab hæreticis tradita; & S. Augustinus traducatur ut *severiusculus* in re tam gravi.

(2) 2. 2. q. 110. a. 1.

non sit illicitum. 1. si quid falsum dicatur infanti, aut amenti. 2. si is, ad quem sermo dirigitur, non decipiatur, etiamsi tertius aliquis inde falsam hauriat persuasionem. 3. si is, ad quem sermo dirigitur, non sit ægre laturus deceptionem suam, ex qua commodum aliquod ei accedit. 4. si quis habeat jus supereminens in jura aliorum; citatque Platonem, qui imperium habentibus concedit falsum posse dicere (1). 5. si vita innocentis, aut par aliquid servari aliter non potest (2). Præiverant Priscillianistæ, de quibus S. Augustinus (3) scribit: *cæteris hæreticis convincuntur esse pejores. Ipsi enim soli, vel certe maxime ipsi reperiuntur, ad occultandam suam quam putant veritatem, dogmatizare mendacium.*

881 Videntur autem mendacia præsertim officiosa licita esse, 1. quidem, quia sicut Lex Divina præcipit, ne occidamus, ita, ne mentiamur. Sed ad servandam vitam possumus injustum aggressorem occidere, ut dictum est (4). Igitur & mentiri possumus ad avertendum à nobis, vel ab aliis aliquod malum, quod aliter nequit averti (5).

882 II. S. Hieronymus ad secundum recensitum genus mendacii refert S. Pauli sermonem, quo Antiochiæ reprehendit Pe-

---

(1) Quamquam vel ipse Homerus scripserit:

Ille mihi invisus pariter cum faucibus orci,
Cujus mens aliud condit, quam lingua profatur.

Et Aristoteles: *per se mendacium est fœdum, & vituperabile.* Et Sophocles: *Quid miserius est homini libero, quam vocari mendacem?* attamen Grotius amplam dat facultatem Principibus, Magistratibus, & Judicibus falsum dicendi, si id expedire judicent bono sive publico, sive proprio alterius, in cujus jura supereminens jus habent. Quis autem eis amplius credet: nam, ut dicitur Eccli. 34. v. 4. *à mendace quid verum dicetur?* Et cum Prov. 29. v. 12. dicatur: *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios*; quid esset de ipsis Principibus, si potestatem haberent dicendi falsum? Nihil magis Principibus cordi esse debet; quam verum semper loqui; alioquin subditis suis semper erunt suspecti. Interea Grotius vix à Macchiavellismo recedere videtur. Confer ea quæ diximus §. 538. sqq.

(2) Cum hæc nitantur falsa definitione mendacii, seipsis ruunt.

(3) L. cont. mendac. cap. 2.

(4) §. 864.

(5) Ita objicit Barbeyracius in not. ad §. 8. c. 10. l. 1. Pufend. de offic. hom. & civ. sed jam ante sibi objecerat S. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. in 4. arg.

trum ut nimium judaizantem ; censet enim, Petrum satis intellexisse non id serio fieri ; interim vero consultum infirmitati adstantium (1).

883 III. Exemplum inculpatæ falsiloquentiæ habemus in Josepho, qui fratres suos quasi exploratores, & fures accusavit. Item in Salomone, qui cum imperavit, ut divideretur infans, de quo binæ mulieres litigabant, voluntatem non habuit ut scinderetur (2).

884 IV. Obstetricibus etiam Ægyptiis, quæ Hebræorum infantes mentiendo servarunt, Deus bene fecit, ædificavitque domos, ut dicitur Exodi 1. v. 20. sq. Et similiter in direptione Jericho sola domus Raab, quæ exploratores Hebræorum servaverat, & mentita fuerat, à Josue servata fuit, ut habetur Jos. 6. v. 25. Has autem mulieres laudant Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius; deque ipsis hæsitant Augustinus, & Thomas, an sint æternis affectæ præmiis. Denique Abrahamus mentitus fuit, cum Saram uxorem dixit esse sororem suam Gen. 12. & 20. & Jacob, cum Gen. 27. dixit Isaaco patri, se esse Esau ; & Elisæus, cum 4. Reg. 8. v. 10. dixit Hazael, ut responderet Benadabo Regi Syriæ, *sanaberis*, quem tamen sciebat moriturum (3).

Prop. I. *Falsum ex intentione dicere, seu mentiri, numquam licet, sive mendacium sit perniciosum, sive jocosum, sive officiosum ; & sive verbis, sive factis, sive nutibus exprimatur.* II. *Hyperbolicæ autem, & figuratæ loquutiones, & signa, itemque belli stratagemata mendacia non sunt.*

885 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (4). Quod est per se malum ex genere, numquam potest esse licitum. Omnis autem falsa loquutio ex intentione, & omne mendacium, sive perniciosum, sive jocosum, sive officiosum, est per se malum ex genere ; est enim actus cadens super indebitam materiam: nam voces sunt signa eorum, quæ in mente gerimus, ut dictum est (5);

(1) Ita Grotius loc. cit. §. 13. & ante ipsum S. Thom. 1. 2. q. 103. a. 4.
(2) Grotius ibid. §. 15.
(3) Grotius loc. cit. §. 16. sq. & Gronovius ib. in not.
(4) 2. 2. q. 110. art. 3. (5) Tom. 1. §. 832.

idemque dicendum de factis, & nutibus, cum assumuntur loco vocum ad exprimendos mentis conceptus. Est autem contra naturam, ut quis voce, aut factis, vel nutibus significet id, quod non habet in mente. Omnis ergo falsa loquutio ex intentione, omneque mendacium, sive perniciosum, sive jocosum, sive officiosum, & sive verbis, sive factis, & nutibus expressum, semper est illicitum (1), & Christi præcepto opponitur Matth. 5. v. 37. *Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Quibus verbis omne falsiloquii, & mendacii genus Christus reprobat (2).

886 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (3). Et quidem si loquutiones, & signa sunt hyperbolica, aut figurata, ex ipso modo loquendi, aut faciendi intelligitur, non id significari, quod vox exprimit secundum communem acceptionem, sed

---

(1) Rationem hanc plane demonstrativam iniqua fide negligens Grotius, loc. cit. §. 17. n. 3. scribit: »Non placent hæc (ab ipso »constituta) scholæ actorum paulo ante sæculorum; ut quæ unum »ex veteribus Augustinum ferme in omnibus sequendum sibi de»legerit«. Citatque in margine S. Thomam inter cæteros. Tum vero eidem exprobrat Scholæ, quod interpretationes tacitas, sive *restrictiones mentales* admiserit. Quænam autem est hæc infinitas, Scholam universam proscindere, ejusque principem Thomam, propterea quod unus, vel alter ejusdem Scholæ putavit licitas *restrictiones mentales*? Si Thomam citaret, innuere debebat, quo loco Thomas usum probarit *mentalium restrictionum*: quod facere nullo modo potuisset; est enim tam evidens, illas Thomam reprobasse, quam ex tradita ratione constat, ipsum docuisse, quodcumque mendacium esse per se malum ex genere, quia est contra naturam, voce significare id quod non habetur in mente. Quod autem Schola S. Augustinum præ cæteris delegerit, quem sequeretur, in primisque S. Thomas, id vitio vertere non nisi Grotius poterat, qui Arminianus erat.

(2) Ex his colligitur, quam vehementer sit deceptus, deceperitque Barbeyracius in not. ad §. 8. c. 10. l. 1. Pufend. de offic. hom. & civ. dum ait: »nihil infirmius est objectione, quæ inde sumitur, quod sacra Scriptura *mendacium*, & *mendaces* damnet, »nulla simul restrictione adjecta«. Verba Christi quæ descripsimus, absolute omne mendacium reprobant. Nam si *à malo est* omnis sermo, præter *est, est: non, non*; omne omnino mendacium damnatur. Scimus, Guillelmum Grotium de princ. jur. nat. c. 4. n. 7. docere, *mendacium non jure naturæ, sed sola Evangelica lege prohiberi.* Sed quod & lege naturæ prohibeatur, ratio S. Thomæ invicte demonstrat.

(3) Loc. cit. ad 6.

aliquid aliud ; ideoque nihil verbis , aut factis significatur , quod non respondeat mentis conceptibus. Quare S. Augustinus (1): »Quidquid, *inquit*, figurate fit, aut dicitur, non est menda»cium. Omnis enim enuntiatio ad id quod enuntiat, referen»da est. Omne autem figurate aut factum , aut dictum , hoc »enuntiat quod significat , eis quibus intelligendum prola»tum est«.

887 De stratagematibus , sive insidiis , astutiisque rei militaris , idem S. Thomas ostendit (2) , ea non esse mendacia, modo nihil dicatur falsum dicto , vel facto. » Aliquis , *inquit*, »potest falli ex dicto , vel facto nostro , quia ei propositum, »aut intellectum (nostrum) non aperimus. Hoc autem semper »facere non tenemur, quia etiam in doctrina sacra multa sunt »occultanda, maxime infidelibus , ne irrideant, secundum il»lud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus.* Unde multo ma»gis ea , quæ ad impugnandum inimicos paramus , sunt eis oc»cultanda . . . & talis occultatio pertinet ad rationem insidia»rum , quibus licitum est uti in bellis justis. Nec proprie hu»jusmodi insidiæ vocantur fraudes , nec justitiæ repugnant, »nec ordinatæ voluntati. Esset enim inordinata voluntas , si »aliquis vellet , nihil sibi ab aliis occultari«. Itaque aliud est dicere falsum , aliud veritatem celare. Primum semper est illicitum ; alterum est licitum , nisi is qui interrogat , jus habeat exigendi manifestationem veritatis , uti est judex respectu ejus qui judicatur , & qui requisitus secundum formam juris , tenetur veritatem confiteri , ut idem S. Thomas demonstrat (3) .

888 Ad primum respondemus , discrimen esse inter præcepta non occidendi , & non mentiendi. Etsi enim , ut S. Thomas advertit (4) , *hominem in sua dignitate manentem occidere sit secundum se malum ; tamen hominem peccatorem occidere potest esse bonum , sicut occidere bestiam. Pejor enim est malus homo , quam bestia , & plus nocet.* Non ergo omnis occisio hominis est per se mala , sed tantum occisio hominis manentis in sua dignitate , nihilque molientis adversus societatem, & commune bonum. Cæterum omne mendacium semper est per se malum, ut demonstratum est (5). *Mendacium*, inquit An-

(1) L. de mendacio cap. 5. num. 7.
(2) 2. 2. q. 40. art. 3.
(3) 2. 2. q. 69. art. 1. sq.
(4) Ibid. q. 64. art. 2. ad 3. (5) §. 885.

gelicus (1), *non solum habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione. Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum ... Et ideo non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium à quocumque periculo liberet. Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione.*

889 Ad secundum respondet idem S. Thomas (2), sententiam Hieronymi non placuisse Augustino, »quia Paulus in »canonica scriptura, scilicet Gal. 2. in qua nefas est credere »aliquid falsum esse, dicit, quod Petrus reprehensibilis erat. Un»de verum est, quod Petrus peccavit, & Paulus vere eum, »non simulatorie reprehendit (3)«.

890 Ad tertium, quod ad Josephi dicta, & facta cum fratribus suis pertinet, respondemus, Josephum non fuisse mentitum. Nam quod ait fratribus, *exploratores estis*, sic est intelligendum, ut S. Augustinus exponit (4): *Si verum non dicitis, exploratorum pœna digni estis ...* Estis *autem potuisse dici pro* habebimini, & deputabimini, *innumeræ similes locutiones docent.* Conditionata igitur fuit Josephi loquutio; neque proinde ulla fuit in ea falsitas: nam propositio conditionata vera est, ut diximus (5), si unum sequitur ex altero, etiamsi utrumque sit falsum. S. Bonaventura (6) putat, Josephum non affirmando, sed interrogando fuisse loquutum.

891 Quod vero fratres tamquam de scypho furto sublato accusarit, figurata loquutio fuit, uti & totum ipsum Josephi factum figura erat. S. Augustinus (7): »Magis, *inquit*, mo-

---

(1) 2. 2. q. 110. art. 3. ad 4.

(2) 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2.

(3) Vide eumdem S. Thomam in c. 2. Epist. ad Gal. lect. 3. Grotius autem loc. cit. §. 13. n. 2. in not. subjecta citat pro S. Hieronymi sententia Cyrillum Alex. & Tertullianum; sed iniqua prorsus fide: nam ii in opposita fuere sententia, ut patet ex eorum verbis, quæ refert Natalis Alexander Hist. Eccl. sect. 1. Diss. XI. ubi & ex S. Augustino refert, Hieronymum suam sententiam retractasse: quod Grotius reticuit.

(4) Quæst. 139. in Gen.

(5) Tom. 1. Inst. Log. §. 45.

(6) In 3. Sent.

(7) Quæst. 145. in Gen.

»vet quid sibi velit ista actio Joseph, qua fratres suos, donec »eis aperiret quis esset, toties ludificavit, & tanta exspectatio»ne suspendit: quod licet tanto sit suavius cum legitur, quan»to illis fit inopinatius, cum quibus agitur; tamen sapientiæ »illius gravitate, nisi magnum aliquid isto quasi ludo signifi»caretur, nec ab illo fieret, nec ea Scriptura contineretur, in »qua est tanta sanctitatis auctoritas, & prophetandorum tan»ta intentio futurorum (1)«. Quidnam significavit scyphus

(1) Voltairius in Dict. Phil. art. *Joseph*, multa more suo congerit impia. Historiam fidelitatis, & castitatis Josephi, qui noluit commisceri uxori domini sui Putipharis, comparat cum historia, ut vocat, Hippolyti, & Phædræ; Bellerophontis, & Stenobœæ, aliisque poetarum fabulis; tum vero ait: »Il est difficile de savoir quelle »est l' originale de toutes ces histoires«. *Difficile scitu est, quænam harum historiarum sit prototypa.* Quasi non omnes norint, libros Mosaicos longissimo annorum spatio præcedere fabulas poetarum, quorum antiquissimi fuerunt Homerus, & Hesiodus, qui claruisse dicuntur tempore Salomonis, ut in Chronico refert Eusebius. Ut autem quisque videat, quam versatus etiam in poetarum fabulis fuerit Voltairius, pauca subnectimus. Et quidem fabula Hippolyti, & Phædræ longe diversa est ab historia Josephi: nam Phædra fingitur fuisse noverca Hippolyti: mulier autem quæ Josephum tentavit, erat ejus domina. Hippolytus conscenso curru fugam arripuit, & curru per scopulos, & saxa tracto, infelix ille loris implicitus, in partes fuit discerptus. Quidnam simile in historia Josephi? Bellerophontes autem etsi fingatur repulisse Stenobœam uxorem Prœti; dicitur tamen fuisse non servus emptitius, ut erat Joseph Putipharis, sed hospes Prœti; nec dicitur conjectus in carcerem, ut Joseph, sed missus ad Jobatem in Lyciam, ut ibi sub prætextu pugnæ interiret. Videte insignem Voltairii inscitiam in ipsa Mythologia, tametsi de ea ut mimus poeta magnopere gloriaretur.

Pergit ille, & post memoratam Alcorani narrationem, quæ cum Genesi pugnat: » Joseph *inquit*, pour mériter les bonnes graces de »son Roi, força tout le peuple à vendre ses terres à Pharaon, & »toute la nation se fit esclave pour avoir du blé. C'est là apparem»ment l'origine du pouvoir despotique«. *Joseph ut sibi gratiam Regis demereretur, coegit populum ad suas terras Pharaoni vendendas, totaque natio mancipata servituti fuit, ut frumentum haberet. Inde, uti conjicitur, origo est potestatis despoticæ.* Mentitur Voltairius hæc scribens. Non habebat opus Josephus demereri gratiam Pharaonis, qui eum jam præposuerat universæ terræ Ægypti, ut dicitur Gen. 41. v. 43. Neque Josephus coegit populum ad vendendas terras Pharaoni, sed populum coegit fames; neque nationem

insertus sacculo Benjamini, eleganter explicat S. Ambrosius (1), totiusque rei seriem præfigurasse demonstrat id, quod contigit in B. Paulo, qui erat de Benjamini tribu. Recolatur Ambrosiana expositio tanto Doctore digna: nam longum nimis foret eam describere.

892 Jam vero in sapientissimo Salomonis judicio nullum extitit mendacium; fuit enim mera comminatio ad discernendum, quænam esset vivi infantis vera mater. Comminatio autem quædam loquutio conditionalis est.

893 Ad quartum respondet S. Thomas (2): *Obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua processit mendacium* (3). Idem dicendum de Raab (4). Atque ob hanc rationem, non propter mendacium, hæ mulieres laudatæ fuerunt à nonnullis Patribus. Quod si æternis sunt affectæ præmiis, id non fuit propter mendacium, sed quia ad Deum conversæ opera fecerunt, quibus vitam æternam sunt promeritæ (5).

---

subjecit Josephus servituti, sed ipsa natio se subjecit, ut famem evaderet. Gen. 47. v. 19 *Eme nos in servitutem regiam, & præbe semina.* Hæc autem servitus non fuit directe personarum, sed terrarum, quæ nec ita fuerunt servituti addictæ, ut nihil Ægyptiis esset reliquum. Nam ibid. v. 24. dicitur: *Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis.* Ubi est hic potestas despotica? Anne magnum erat, quintam partem fructuum dare Regi, qui, providente Josepho, populum servarat à morte, eique frumenta quoque dabat, quæ terris ut semina mandarentur? Quinam hic despotismus? imo quæ non hic liberalitas Rege digna, populoque salutaris, qui cæteroqui fame periisset? Et nihilominus Voltairius hanc singularem, admirandamque Josephi providentiam non modo despotismi damnat, sed ex ea repetit despotismi originem. Cur vero reticuit quæ in eodem c. 47. Gen. v. 20. sqq. dicuntur: „Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones „suas præ magnitudine famis... Præter terram sacerdotum, quæ à „rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis pu„blicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessio„nes suas“? Ita apud Ægyptios nefandorum numinum sacerdotes in pretio erant.

(1) L. de Joseph Patriarcha c. 8. sqq.

(2) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 2.

(3) Vide S. August. l. cont. mend. n. 32.

(4) Confer S. August. loc. cit.

(5) Quia Gronovius carpit SS. Augustinum, & Thomam, quasi non sibi constiterint hæsitantes, an illæ mulieres fuerint æternis

894 De Abrahamo, quod non fuerit mentitus, ipsa Scri-

affectæ præmiis; nonnulla sunt hoc loco addenda. Itaque S. Augustinus loc. cit. n. 33. » Raab quidem, *inquit*, ex Jericho liberata, » in Dei populum transitum fecit, ubi proficiens posset ad æterna, & » immortalia munera pervenire, quæ nullo sunt quærenda mendacio ... Obstetrices autem illæ quamvis Hebrææ, si secundum carnem tantummodo sapuerunt, quid, aut quantum est quod eis profuit remuneratio temporalis, quia fecerunt sibi domos, nisi proficiendo pertinuerint ad eam domum, de qua Deo cantatur: *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te?* » Multum autem fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis reipsa » nondum, jam tamen spe, atque indole animum esse laudandum, » qui numquam nisi hac intentione mentitur, qua vult prodesse alicui «. Nec dissimili modo loquitur Q. 1. in Exodum, quam Gronovius citat. Et licet ibi Augustinus dicat, *incertum esse*, an ipsum mendacium obstetricum fuerit præmio dignum; statim tamen ait, *quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere.* Additque: *Diligentius de hac quæstione disserendum est*, uti disseruit in ll. de mendacio, & cont. mend.

Ne latum quidem unguem à S. Augustino recessit S. Thomas, ipsique vehementer imponit Gronovius, citans 2. 2. q. 110. a. 4. ad 4. Nam primum quidem art. 3. ejusd. quæst. in resp. ad 2. expresse Thomas docuerat, obstetrices fuisse remuneratas non pro mendacio, sed pro timore Dei, & benevolentia. Deinde in cit. a. 4. non quæsivit, an mendacium sit peccatum; de hoc enim quæsierat art. præced. sed an sit peccatum mortale. Quia vero sibi objecerat auctoritatem Sancti Gregorii Magni ajentis, benignitatis mercedem, quæ obstetricibus retribui potuit in æterna vita, ob culpam mendacii fuisse mutatam in terrenam retributionem; ex quo sequi videbatur, mendacium etiam officiosum esse peccatum mortale, quia privabat æterna vita: respondet Angelicus, in obstetricibus illis duo esse distinguenda, ut jam distinxerat art. præced. scilicet mendacium, & affectum benevolentiæ in Judæos, ac reverentiæ, & timoris in Deum. Secundum hunc affectum, ex quo *commendatur in eis indoles virtutis*, ut Augustinus dixerat loc. cit. in not. superiori, & Thomas ait, *deberi eis remunerationem æternam*, non quidem actuali debito ac merito, quod est ex charitate supernaturali, si ab hac charitate affectus ille fuerit sejunctus; sed *in spe*, ut loquitur Augustinus, quatenus scilicet illemet affectus redolebat virtutis indolem, & aliquo modo disponebat ad vitam æternam. Si vero consideretur actus mendacii, ait, per ipsum nullo modo potuisse mereri æternam remunerationem, quam per actum peccati nemo potest mereri; sed *forte aliquam remunerationem temporalem*; non quod per ipsum actum mendacii *formaliter* eam fuerint promeritæ: nam per peccatum

ptura testatur Gen. 20. v. 12. nam Sara vere erat Abrahami soror ex parte patris. Jacobus etiam mentitus minime fuit, quia primogenita Esau ex jure ipsi debebantur; & mystice Jacob præfigurabat Christum, qui iniquitates nostras portare debebat; itemque significabat populum gentilem, qui Judæis primogenitis erat substituendus. Denique nec Elisæus fuit mentitus. Ut enim omittamus, quod nonnulli in Textu Hebraico legunt לך אמר לא חיה תחיה יהדאני יהוה בי מות תמות; *Vade, dic: vivendo non vives, & ostendit mihi Dominus, quod moriendo morietur*; attamen stantes lectioni כתיב & Vulgatæ 4. Reg. 8. v. 10. *Vade, dic ei: Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur*; hæc ita intelligenda sunt, ut Elisæus prædixerit Benadabo, ipsum quidem non esse ex eo morbo interiturum vi ipsius morbi, imo potius sanandum, habita ratione morbi, qui lethalis non erat; esse tamen moriturum violenta morte ipsi inferenda ab eodem Hazaele, quem Benadabus ad Elisæum rogandum miserat, prout Dominus ipsi Elisæo ostenderat; atque ita revera accidit, ut ibid. v. 15. habetur: *Cumque venisset dies altera, tulit* (Hazael) *stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem ejus: quo mortuo, regnavit Hazael pro eo.* Itaque in verbis Elisæi nullum fuit mendacium.

ARTICULUS II.

Utrum dilectio inimicorum sit præcepta jure naturæ.

895 Censuere olim quidam apud Themistium (1), *amicis bene faciendum, male inimicis.* Crudelem hanc sententiam, quam ipse Socrates (2), & Pythagoras (3) damnarunt, plerique ex junioribus juris naturæ tractatoribus ex parte restituere sunt aggressi. Grotius enim, etsi fateatur (4), ultionem,

---

etiam veniale nemo meretur; sed propter effectum bonum inde sequutum in vita servata infantibus Hebræorum. Sic autem Angelicus explicat auctoritatem Gregorii, quia per illud mendacium non sunt quidem promeritæ vitam æternam, sed nec etiam promeritæ sunt eam amittere. Nihil ergo hæsitans est in S. Thomæ doctrina, quod faveat patronis mendacii officiosi.

(1) Orat. ad Valent. de bello victis.
(2) Ibidem. (3) Apud Hieroclem in aur. Pythag. carm.
(4) De jur. bell. & pac. l. 2. c. 20. §. 10.

quatenus dumtaxat animum dolentis exsatiat, illicitam esse etiam naturaliter; nihilominus docet (1), eum *qui injuria me parat afficere, mihi eo ipso dare jus, hoc est facultatem quamdam moralem adversus se in infinitum*, spectata mera justitia expletrice, sive jure naturali stricte accepto, quamvis id Evangelio prohibeatur; *neque charitatem per se obstringere videri in gratiam nocentis* (2). Pufendorfius quoque, licet adserat (3), *pacem adversus omnes homines, ut tales, exercendam, esse statum hominis naturalem*; tamen docet (4), homines in statu naturali *ita omnes debere amicos credere, ut tamen iidem mox hostes fieri queant*; & *ita pacem istam cum omnibus habere, quasi quæ mox in bellum erumpere possit* (5). Heineccius autem de eodem statu naturali loquens: » In statu naturali, *inquit* (6), »hosti quatenus hostili erga nos animo est, etiam innoxiæ »utilitatis officia jure denegamus «. Et paulo post (7) statuit, *inimicis non esse denegandas res, quibus abundamus.*

896 Videtur autem dilectio inimicorum non esse præscripta jure naturæ, 1. quia quod est jure naturæ præceptum, numquam non fuit præceptum. Dilectio autem inimicorum aliquando non fuit præcepta; ait enim Christus Matth. 5. vers. 43. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Dilectio igitur inimicorum non jure naturæ præcepta est, sed tantum positivo Christi præcepto.

897 II. In statu naturali id omne licet in hostes privatos, quod licet publicis Potestatibus adversus Reipublicæ hostes. Atqui Reipublicæ hostibus licite denegantur innoxiæ utilitatis officia, v. g. aquatio, commeatus, &c. Ergo spectato jure naturæ, hæc eadem officia licite denegantur hosti in statu naturali.

898 III. Natura inclinat in detestationem contrarii. Sed

---

(1) Ibid. cap. 1. §. 10.

(2) Hæc reprobat vel ipse Gronovius in not. ibid. *Dat sane*, inquit, *jus perpetuis inimicitiis, ac persequendi, ac vicissim lædendi.*

(3) De jur. nat. & gent. l. 2. c. 2. §. 11.

(4) Ibid. §. 12.

(5) Ita Pufendorfius ferme descendit in sententiam Hobbesii statuentis, naturalem hominis statum esse belli omnium in omnes, ut diximus §. 350.

(6) De jur. nat. & gent. l. 1. §. 218.

(7) Ibid. §. 219.

inimici sunt nobis contrarii. Ergo jure naturæ inclinamur in eorum detestationem.

Prop. I. *Jure naturæ tenetur homo inimicos diligere, non qua inimici, sed qua homines sunt*; II. *& contra illud peccat, si inimicos odio habeat*: III. *aut eis deneget communia benevolentiæ, & dilectionis signa*; IV. *peculiaria vero signa benevolentiæ, & dilectionis sunt inimicis jure naturæ exhibenda, si necessitas postulet; extra necessitatem vero satis est animi præparatio ad ea exhibenda; & ad perfectionem charitatis pertinet ea exhibere.*

899 Prob. 1. p. Jure naturæ tenetur homo diligere proximum sicut seipsum, qua ratione convenit cum eo in natura, & in capacitate percipiendi gratiam, assequendique æternam beatitudinem, in cujus communicatione fundatur charitas; hoc est enim primum legis naturalis præceptum, ut Deum super omnia, proximum sicut nos ipsos diligamus. Atqui homo, qua homo est, non convenit quidem cum inimicis, qua inimici sunt; ita enim communicaret cum malo ipsorum: quod esset perversum; tamen cum iis, qua homines sunt, communicat in eadem natura, & capacitate gratiæ, & æternæ beatitudinis; non enim inde illi excidunt, qua homines sunt. Jure igitur naturæ tenetur homo inimicos diligere, non qua inimici, sed qua homines sunt (1).

900 Hinc sequitur 2. p. Qui enim inimicos odio habet, eos non amat; transgreditur ergo naturæ jus, quo tenetur illos diligere. Quia vero delectari in malo alterius pertinet ad odium; idcirco ultio, etiam juridica, si principaliter feratur in malum inimici, est contra jus naturæ; multoque magis ultio privata, quæ non aliud habet objectum, quam malum illius, de quo vindicta sumitur (2).

---

(1) S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 8. Atque ex hac ratione constat, quam falsum sit quod Pufendorfius dicit, hominem in statu naturali ita debere cum aliis pacem habere, ut mox ea erumpat in bellum: nam si quæ causa hominem extra civilem societatem degentem compelleret ad bellum, hæc non esset ex statu ipso naturali, sed ex humana corruptione, qua naturæ jura violarentur.

(2) S. Thomas 2. 2. q. 108. a. 1. Profligata hinc manet posi-

901 Pendet hinc demonstratio 3. p. Nam denegare inimicis communia benevolentiæ, & dilectionis signa, uti sunt communes preces, &c. pertinet ad ultionis livorem. Ultio vero privata, cum nascatur ex odio, pugnat cum jure naturæ, quo tenemur inimicos diligere (1).

902 Prob. postrema pars. Nemo tenetur extra casum necessitatis homini etiam amico specialia signa benevolentiæ, & dilectionis exhibere; multo minus ergo tenetur ea actu inimicis exhibere; non enim melior est eorum conditio, quam amicorum. Si tamen necessitas postulet, & ea minime exhibeantur; id pertinet ad livorem privatæ ultionis, ad quem etiam pertinet non habere, extra casum necessitatis, animum paratum ad ea exhibenda, si necessitas exigat (2). Illa ergo exhibere, si nulla adsit necessitas, est opus supererogationis; ideoque pertinet ad perfectionem charitatis.

903 Ad primum respondet S. Thomas (3): »Quod dici»tur, *odio habebis inimicum tuum*, non est ex lege sumptum, »quia nusquam hoc in littera invenitur; sed est additum ex »prava interpretatione Judæorum, qui ex quo præcipiebatur

---

tio Grotii adserentis *facultatem in infinitum* adversus eum, qui injuria affecit, spectato jure naturæ. Nam si hæc facultas concederetur, posset quis privatam ultionem de inimicis sumere; hæc enim facultas contineretur in amplissima facultate illa *in infinitum*. Ut prætereamus, neque in vindicatione juridica hanc facultatem *in infinitum* habere locum: nam inter vindicationem, & crimen debet esse proportio; si enim pœna excedit meritum culpæ, est injusta.

(1) S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 9. Qua ex ratione configitur sententia Grotii ajentis, *charitatem non videri per se obstringere in gratiam nocentis*. Nam charitas urget per se, ne communia benevolentiæ, & dilectionis signa, etiam *in gratiam nocentis* denegentur, ni velimus eum ulcisci, & odio habere.

(2) S. Thomas loc. cit. Ex qua doctrina concidit propositio Heineccii concedentis jus denegandi hosti in statu naturali officia innoxiæ utilitatis, nulla facta restrictione; & præcipientis dumtaxat, ne inimicis negemus res, quibus abundamus. Utrumque falsum est: nam si inimici non indigeant, non tenemur eis dare res, quibus abundamus. Si autem indigeant, non possent eis denegari officia innoxiæ utilitatis in statu etiam naturali, si nulla foret necessitas defendendi propria. Si vero necessitas foret tuendi propria, tunc denegari possent ex ipso jure naturæ, non ad ulciscendum, sed ad propria juste defendenda.

(3) In 3. Sent. d. 30. q. 1. a. 1. ad 2.

»dilectio proximi, concludebant, quod inimici essent odiendi«. Itaque dilectio inimicorum semper fuit lege naturæ præcepta. Christus autem eam confirmavit, addiditque quod ad perfectionem pertinet charitatis.

904 Ad secundum respondemus cum eodem S. Thoma (1), nec publicis Potestatibus licere bellum gerere adversus hostes ex privata ulciscendi cupiditate. Neque innoxiæ utilitatis officia hostibus in bello denegantur, nisi ob justam defensionem, & in ipso belli conflictu; qua de causa etiam liceret homini in statu naturali eadem officia hosti negare; non quod ea denegatio sit permissa jure naturæ adversus hostem extra conflictum, etiamsi hostili sit animo; sed quia jure naturæ conceditur jus justæ defensionis, quæ aliter haberi non potest, quam ea officia denegando. Addimus ex S. Augustino, etiam in bello justo ratione causæ, posse esse excessum crudelitatis in hostes (2).

905 Ad tertium dicimus cum S. Thoma (3), naturam inclinare ad habendum odio inimicum, qua inimicus est, sive ad detestandum malum inimicitiæ, quam in nos exercet; ita enim est nobis contrarius. At vero inclinat ad ipsum amandum, quatenus nobiscum convenit in natura, & capax est percipiendæ gratiæ, & consequendæ beatitudinis æternæ; ita enim non opponitur, sed convenit nobiscum (4).

ARTICULUS III.

Utrum usura moderata prohibita sit jure naturæ.

906 Exploratum & ipsis ethnicis Philosophis fuit, usuram quamcumque esse illicitam seipsa, atque adeo jure naturæ prohibitam (5). Nihilominus Cathari, & Waldenses usu-

(1) 2. 2. q. 40. art. 1.

(2) Vide ejus verba, quæ descripsimus supra §. 492.

(3) Loc. cit. ad 2.

(4) Vide inter cæteros Chrysostomum Hom. 21. & 22. ad Populum, & alibi sæpe. Conser etiam S. Thomam 2. 2. q. 108. a. 1. ubi explicat, quando necesse sit, vel expediat actionem juridicam inimicis remittere; & ibid. q. 83. a. 8. ubi docet, signa benevolentiæ exhibenda esse inimico veniam petenti, vel cum necessaria sunt ad ipsum reconciliandum.

(5) Vide Platonem Dial. 5. de Republ. Aristotelem l. 1. Polit.

ras licere contendebant (1). Horum sicut alios errores, ita & hunc renovavit Calvinus (2) eumque sequuti sunt Carolus Molinæus, Joannes Cloppenburgius, Claudius Salmasius, Gerardus Noodtus, Nicolaus Croedersen, aliique (3) qui usuram quidem immoderatam, & quæ in pauperes exercetur, damnant tamquam humanitati repugnantem; at vero usuram moderatam, cum scilicet pecunia mutuo datur in commodum, & utilitatem eorum qui mutuo petunt, quamvis iucrum exigatur ratione solius mutui, & deducatur in pactum, ab omni liberant culpæ labe. Hanc sententiam Protestantes communiter tenent, atque inter ipsos Grotius (4) Pufendorfius (5), Barbeyracius (6), Heineccius (7) Lockius (8). Sequuti vero eos sunt Scipio Maffejus (9), Hum (10), Montesquius (11), & novissime Antonius Genuensis (12), qui data opera hanc defendit sententiam, Theologosque omnes Scholæ, qui eam unanimi consensione rejiciunt, habet tamquam pedisequos Aristotelis, minimeque comparandos cum Lockio, Maffejo, Hum, Montesquio, & Forbnejo, qui si illum audimus (13), materiam hanc (quod Theologi Scholastici non fecerant) profunde expenderunt (14).

---

c. 9. sq. Senecam l. 7. de Benef. c. 10. Ciceronem Parad. 6. Plutarchum in vita Catonis, &c.

(1) Vide nostrum Monetam adv. Cath. & Vald. l. 5. c. 14. §. 2.

(2) In octavum Decalogi præceptum.

(3) Confer Danielem Concinam in duplici opere, quorum unum Italice compositum inscribitur: *Esposizione del dogma, che la Chiesa Romana propone a credersi intorno l' Usura*; alterum, *In Epist. Encycl. Bened. XIV. adv. Usuram Commentarius.*

(4) De jur. bell. & pac. l. 2. c. 12. §. 20. ubi sub dubio relinquit, an usura jure naturæ sit prohibita, quamvis in hanc sententiam inclinet; adserit tamen prohibitam esse in Evangelio.

(5) De jur. nat. & gent. l. 5. c. 7. §. 9. & de offic. hom. & civ. l. 1. cap. 15. §. 11.

(6) In not. ad cit. loc. Pufend. & in tract. *de la Morale des Peres* cap. 9. §. 7. sq.

(7) De jur. nat. & gent. l. 1. §. 367. sq.

(8) In Epistolis super pecunia.

(9) In opere inscripto, *Dell' impiego del danaro.*

(10) In sermonibus politicis.

(11) De spiritu legum l. 21. c. 20. in versione Italica, sed c. 16. in Gallica editione qua utimur. Et l. 22. c. 19. sqq.

(12) In Lect. Œconom. Civ. p. 2. c. 13.

(13) Ibid. §. 4.

(14) Notandum, Genuensem scripsisse post Constitutionem Be-

907 Videtur autem ita dicendum, 1. quia si usura adversaretur juri naturali, non potuisset Deus permittere Judæis Deut. 23. v. 19. ut usuram acciperent non quidem ab aliis Judæis, quod erat vetitum, sed ab extraneis: nam officia legis naturalis omnibus communia sunt. Prohibitio igitur illa solos spectabat Judæos inter sese ob peculiares rationes illius populi (1).

908 II. Impudens foret, qui ex pecunia mea rem suam vellet egregie augere, me in partem lucri haud admisso: nam ipse interea excludor à lucro, quod comparare mea pecunia potuissem, si in meos usus eam convertissem. Licite ergo possum ex mutuo aliquid percipere (2).

909 III. Minus est habere actionem, quam rem. Qui autem mutuatur, rem non habet, quam dat mutuo, sed solam actionem in mutuatarium, quæ sæpe cum molestia instituitur. Igitur aliquid minus habet, quod certe est pretio æstimabile, & modica usura pensandum (3).

910 IV. E Republica est, ut pecunia sub usuris locetur mercatoribus; ita enim alitur pauperum industria, commercia foventur, & superflui tolluntur sumptus, quos sæpe faciunt qui ære alieno sunt gravati (4).

911 V. Possum rem meam alteri utendam concedere vel gratis, vel pacta mercede, ut in commodato, & in locato. Quid ergo prohibet, quominus pecuniam meam alteri possim credere gratis, alteri sub pacta pensione (5)? non enim injustum est, cum aliis res non gratis communicare, sed meredem aliquam exigere (6).

912 VI. Pecunia licet seipsa sit sterilis physice, tamen industria hominum redditur civiliter fœcundissima per commercia. Sed aliæ res, ut vestis, ædificium, jumentum, li-

---

nedicti XIV. 1. Nov. 1745. reprobantis usuram etiam *moderatam*, & quamquam mutuum detur diviti *ad ejus fortunas amplificandas*.

(1) Pufendorfius §. 9. cit. Addit vero: *Satis apparet, Mosen voluisse instituere remp. popularem.* Quod apprime est contra Divinam Scripturam, 1. quidem, quia non Moyses, sed Deus instituit Remp. Hebræorum. 2. quia ex c. 11. Numer. constat, Moysen ex præcepto Dei constituisse septuaginta seniores, ac magistros, qui cum ipso sustentarent onus populi; indeque ortum habuit Judæorum synedrium.

(2) Pufend. ibid. (3) Idem ibid.
(4) Idem ibid. (5) Idem ibid. §. 10.
(6) Heinec. loc. cit.

cet sint seipsis steriles, tamen pro eis potest aliquid exigi. Igitur multo magis pro pecunia, quæ civiliter est maxime fructifera (1).

913 VII. Jus utendi re usu consumptibili, cum obligatione eam non statim, sed post certum intervallum temporis in suo genere restituendi, est aliquid pretio æstimabile. Pro hac igitur mora, quæ cedit in favorem ejus, qui re illa utitur, potest moderata exigi usura (2).

914 VIII. Plures instituuntur contractus inter eos, qui usuras impugnant, qui tamen cum usura coincidunt, ut emptio census annui; montes, qui vocantur, pietatis, cambia, &c. Quis etiam non rideat eos, qui non usuras se exigere testantur, sed dumtaxat id quod interest, sive ob lucrum cessans, & damnum emergens? Nam si hoc licet ob non solutam convento tempore pecuniam; cur non licebit in antecessum certum quid stipulari, quia pecunia nostra est interea penes alium, in cujus gratiam non tenemur damnum facere, aut lucrum negligere (3)?

915 IX. Usura moderata concessa fuit ab omnibus Legumlatoribus tam antiquis, quam recentibus. Quod autem fit ab omnibus, ubique, & omni tempore, fieri non potest absque aliqua gravi insita ratione. Oportet ergo, aliquam esse justam causam usuræ moderatæ (4).

916 X. Mutuans sæpe maximum subit periculum amittendæ pecuniæ mutuatæ. Juste ergo potest aliquam mercedem exigere pro magnitudine periculi (5).

917 XI. Denique usura non exigitur tamquam pretium pecuniæ mutuo traditæ, sed tamquam pretium commoditatis, & utilitatis, quam percipit ille, cui mutuo datur. Commoditas autem, & utilitas sunt pretio æstimabiles (6). Non ergo usura moderata est contra jus naturæ (7).

---

(1) Pufend. § 10. cit. & Heinec. loc. cit.
(2) Idem ibidem.
(3) Idem ibid. §. 12.
(4) Genuensis loc. cit. §. 5. sq.
(5) Heinec. loc. cit. §. 368.
(6) Genuensis loc. cit. § 7. sqq.
(7) Hæc sunt argumenta recentium juris naturæ Scriptorum stantium pro usura moderata, ex ratione petita, quorum maximam partem sibi objecerat S. Thomas in locis mox citandis, aliaque multa addiderat, quæ vide cum suis responsionibus apud ipsum.

Prop. I. *Quælibet usura, quamlibet moderata, & exigua, est prohibita jure naturæ*; II. *nisi forte adsint veri tituli damni emergentis, & lucri cessantis.*

918 Demonstratur 1. p. ratione S. Thomæ (1). Quod est per se, & intrinsece injustum, vetitum est jure naturæ; non enim est malum, quia prohibitum, sed est prohibitum, quia malum. Quælibet autem usura, utut moderata, & exigua, percepta pro pecunia mutuata, est per se, & intrinsece injusta; injustum est enim, pretium exigere pro re non sua. Pecunia autem mutuo tradita, hoc ipso transit in dominium mutuatarii. Quod quidem adeo certum est, ut mutuatarius ipse possit eam acceptam distrahere, prout ei placet; et si pecunia mutuata pereat quocumque casu, ipsi, non mutuanti perit, qui jus non habet in pecuniam mutuatam, sed in ipsum mutuatarium, ut ab ipso exigat tantumdem, quantum accepit in eodem genere. Pecunia ergo mutuata non est amplius sub dominio mutuantis, sed sub dominio mutuatarii. Mutuans ergo aliquid si vel minimum recipiat pro pecunia mutuata (idem dicendum de aliis rebus, quæ usu consumuntur, ut vinum, triticum, &c.), recipit pretium pro re non sua. Hoc autem est per se, & intrinsece injustum, ideoque prohibitum jure naturæ. Usura igitur, quamlibet moderata, & exigua, vetita est jure naturæ (2).

---

(1) 2. 2. q. 78. a. 1. & q. 13. de malo a. 4.

(2) Torquet hæc ratio eos, qui usuras moderatas patrocinantur. Quidam, ut Pufendorfius, demonstrationem admittunt, sed ad inducias restituendi se conferunt, ut usuras moderatas excusent. De his autem dicemus paulo post. Nunc autem hoc saltem manifestum est, non posse ob mutuum aliquid exigi ultra sortem. Quidam, ut Grotius, ad Senatusconsultum appellant, à quo sit introductus ususfructus rerum, quæ usu pereunt, & transeunt in alterius dominium. Sed numquid Senatusconsultum potest facere justum, quod per se, & intrinsece est injustum, ut demonstratum est de usura? Genuensis post Lockium, Hum, Maffejum, aliosque, ad commodum, & utilitatem mutuatarii se recipit; imo Theologos Scholæ cum Platone, & Aristotele paralogismi accusat in ea demonstratione, quasi dixerint, usuram recipi tamquam fructum pecuniæ mutuatæ, cum tamen recipiatur ut pretium commodi, & utilitatis mutuatarii. At vim demonstrationis non intellexit: nam sive usura recipiatur ut fructus pecuniæ mutuatæ,

919 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Compensatio damni emergentis, vel lucri cessantis non fit ad captandum lucrum ex mutuo, sed ad vitandum damnum: hoc autem non

---

sive ut pretium commodi, & utilitatis mutuatarii, semper exigitur ex re non exstante sub dominio mutuantis; ideoque mutuans pretium exigit pro re non sua: quod est injustum. Barbeyracius sat putat dixisse, eos qui usuram absolute damnant, esse ignaros verorum justitiæ principiorum, & nimio veterum, præsertim Patrum, studio teneri. Sed quid faciemus cum homine, qui alios accusat de veris ignoratis justitiæ principiis, ipse vero ignorat, vel ignorare simulat, in mutuo transferri rei mutuatæ dominium; ideoque si usura exigatur, recipi pretium pro re non sua? Montesquius autem *de l'esprit des loix* l. 21. c. 20. ait: »La philosophie d' *Aristote* ayant été »portée en occident, elle plût beaucoup aux esprits subtils, qui, »dans les tems d' ignorance, sont les beaux esprits. Les scholastiques »s'en infatuérent, & prirent de ce philosophe leur doctrine sur le »prêt à intérêt: ils le confondirent avec l' usure & le condamnérent». *Cum Philosophia Aristotelis translata fuisset in Occidentem* (Cicero degebat in Occidente: legerat Philosophiam Aristotelis, quem sæpe citat. Erat igitur illa Philosophia tunc translata in Occidentem. Hoc erit reliquum, ut Montesquius Ciceronis ætatem ad tempora ignorantiæ revocet), *acutis ingeniis valde placuit; hæc enim temporibus ignorantiæ sunt ingenia sublimiora* (sublimissimi ingenii fuit Montesquius aurea hac ætate, tametsi in contradictiones innumeras fuerit lapsus, gravissimosque docuerit errores etiam adversus Religionem; atque nescierit vel ipsum præfigere titulum operi suo, in quo nihil minus agitur, quam *de spiritu legum*; omnia vero ita perturbate tractarit, ut illud opus non immerito quis sagenam diceret. Sed hæc est conditio infelicissimorum nostrorum temporum, eos de ignorantia accusare, qui pro veritate stant, & pro Religione). *Scholastici insano illum prosequuti amore sunt, exque ipso doctrinam sunt mutuati circa pecuniam fœnori dandam; eamque cum usura confuderunt, atque damnarunt.* Mirum! Patres Ecclesiæ universi, vel ipso fatente Barbeyracio, qui id eis vitio vertit, fœnus quodcumque damnarunt. Fueruntne ipsi quoque *Scholastici*, Aristotelemque insano dilexerunt studio? Quid refert, si demonstrationem à Scholasticis adhibitam Aristoteles adhibuerit? Non agitur de auctoritate Aristotelis, sed de ratione qua utitur. Si hæc plane demonstrat: si ejus vim nemo unus eludere hactenus potuit, vel umquam poterit; quid aliud continent verba Montesquii, quam gravem contumeliam, putidumque errorem? Interea qui pro ipso Apologiam scripsit, videat, an ille pecuniæ fœnus putarit injustum.

(1) 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.

est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare, quod nemo tenetur subire ob mutuum traditum. Requiruntur autem multæ conditiones, ne hoc obtentu usura pallietur; easque alibi (1) recensuimus.

920 Ad primum respondet S. Thomas (2): »Accipere usuram ab extraneis, non fuit concessum Judæis quasi licitum, »sed permissum... Cujus quidem permissionis ratio fuit, quia »proni erant ad avaritiam, unde permissum fuit eis minus malum, scilicet accipere usuras à gentibus, ut vitaretur majus »malum, scilicet accipere usuras à Judæis Deum colentibus«. Cæterum Ps. 14. v. 5. usura universim damnatur, cum dicitur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et inter alia respondetur: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.* Ubi usura in eodem gradu constituitur, ac munerum acceptio super innocentem, ut significetur, utrumque adversari legi naturali. Idipsum habetur Ezech. 18. v. 8. (3).

---

(1) In Epit. Theol. Dogm. & Mor. Nat. Alex. l. 3. tr. 2. sect. 6. c. 2. art. 2. q. 5.

(2) Loc. cit. a. 1. ad 2.

(3) Incredibili audacia Genuensis loc. cit. §. 20. corrumpit textum Divinæ Scripturæ Deut. 23. v. 19. sq. ubi enim ibi dicitur: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno*; ille sic habet: *Non fœneraberis fratri tuo PAUPERI: fœneraberis ALIENIGENO.* Ex hac vero Scripturæ sanctæ corruptione infert, neque inter Judæos fuisse interdictam usuram, nisi cum pauperibus, & ex hoc textu ita ab ipso corrupto vult esse intelligendos cæteros Scripturæ textus Veteris Testamenti, qui usuram damnant. Quis umquam putasset, ad tantam malam fidem deventuros homines esse? In hoc Genuensis excessit vel ipsos heterodoxos, qui id non sunt ausi facere.

Pergit ille ad Novum Testamentum, multaque §. 21. fingit, ut interpretetur verba Christi Lucæ 6. v. 35. *mutuum date, nihil inde sperantes*; & contra Tridentini Decreta sibi facultatem arrogat interpretandi caput illud ex suo, ut alibi inquit, jecinore, adversus universorum Ecclesiæ Patrum interpretationem; multaque insulsa profert, ut eruditionem Græcæ linguæ ostentet; atque ipsam Vulgatam Versionem carpit, contenditque, eam potuisse sic habere; *mutuum date, neminem desperare facientes.* Qua in re audacior est vel ipso Erasmo, qui in sua versione retinuit, *mutuum date, nihil inde sperantes*; quæ respondet Græco textui, χὶ δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες. Quomodo verba Christi ex Ecclesiæ sensu sint intelligen-

da, declaravit S. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 4. ubi explicationem vide, sicut & quæst. 13. de malo art. 4. ad 3.

Sed abs re non erit, pauca dicere de interpretatione, sive paraphrasi Genuensis super cit. c. 6. Lucæ, ut verba Christi in suum trahat errorem. Itaque contendit §. 22. Christum ibi loqui de *acharistis*, & *poneris*, id est de *egenis*, & *pauperibus*. » Ho detto, che Gesu Cristo » parli nel luogo presente degli *acharisti*, e *poneri*, cioè de' *bisogno-* » *si*, e *poveri*«. Idque arguit ex sequentibus verbis eodem v. 35. αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς; quæ ipse interpretatur: » Dio è buono, e benefico con i *bisognosi*, e *poveri*«. Ad eos provoco, qui Græce sciunt. Quis umquam dixit, *acharistus* significare *egentes*; & *ponerus* significare *pauperes*? Ipsemet Erasmus, qui certe Græcam linguam callebat, vertit: *Ipse benignus est erga ingratos*, & *malos*, ut habet Vulgata Versio. Et sane ἀχάριστος est ab α privativo, & χάρις gratia, quasi expers gratiæ, sive ingratus: πονηρὸς autem, nemine discrepante, significat malum, malignum, scelestum; quare Aristoteles 5. Polit. c. 11. tyrannum appellat *ponerophilum*, quasi improbitatis amantem. Si πονηρὸς posset significare *pauperem*, cum Matth. 6. v. 13. dicitur in Oratione Dominica: ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *sed libera nos à malo*, peteremus à Deo, ut liberaret nos à *paupere*: quo nihil magis ridiculum. Genuensis ergo cum interpretatur *acharistus* pro *egentibus*, & *ponerus* pro *pauperibus*, vim sacro Textui infert, inscitiamque prodit Græci idiomatis. Quod autem subdit, quosdam Criticos sacros observasse, in quibusdam textibus legi μηδέν, id est μηδένα, ἀπελπίζοντες; ideoque cum μηδένα sit accusativus masculinus, illud ἀπελπίζω sumi debere active, ac significare, *neminem desperare facere*; multa dicit absona: nam μηδέν, non μηδένα legerunt omnes Ecclesiæ Patres; neque ullum proferre pro se Genuensis potest. Ἀπελπίζοντες vero nullo modo reddi potest, *desperare facientes*; sicut enim ἐλπίζω significat *spero*, ita illud ἀπ' præpositum non significat negationem spei, seu *despero*, sed significat *inde*; ita ut si acciperetur active, ut Genuensis præcipit, deberet reddi, *neminem inde sperare facientes*: quod certe sensum absurdum redderet. Si quis autem scire velit, undenam hanc interpretationem Genuensis acceperit, adeat Bossuetum in pastorali Instructione in opus inscriptum: *Le Nouveau Testament de N. S. J. C. traduit, &c. avec des Remarques, &c.* Nam adversus Grotium, & Richardum Simonium, qui interpretationem illam commenti sunt, multa Bossuetus scribit magna vi, ac tandem concludit: » Il faut donc rejetter la Note sur ce verset, & par le même moyen sup- » primer le *Desperantes*, qui aussi bien, de l' aveu de l' Auteur, répugne » à la suite du discours: & ne sert qu' à donner des vues pour » obscurcir le véritable sens de ce passage«. *Oportet igitur, ut Adnotatio in hunc versiculum rejiciatur, itemque deleatur vox* Desperan-

921 Ad secundum patet responsio ex dictis (1); si quis enim damnum patitur non fictum, sed verum, & reale, ob pecuniam mutuatam, & lucro, quod potuisset vere percipere ex pecunia sua, privetur; tunc adhibitis certis conditionibus, quas alibi recensuimus (2), potest aliquid accipere, non quidem propter mutuum, sed ut damnum vitetur.

922 Ad tertium respondemus, argumentum illud, si quid probaret, probaturum quoque, licitas esse usuras cum pauperibus; qui enim iis mutuo dat, rem non habet, sed actionem, quæ quidem adversus pauperes, qui nihil possident, non solum cum molestia, sed frustra sæpissime instituitur. Itaque negamus, illud, quod mutuans minus habet non habendo rem, sed actionem, esse aliquid æstimabile pretio, quod possit exigi ultra sortem. Nam ipsa mutui natura in hoc consistit, ut mutuans non habeat rem, sed actionem in mutuatarium. Quod ergo mutuans aliquid minus habeat habendo actionem, non rem, oritur ex ipso mutuo, quod non est pretio æstimabile, ne pretium exigatur ex eo, quod jam transiit in dominium mutuatarii.

923 Ad quartum dicimus, nihil quod est contra justitiam, posse esse è vera Reipublicæ utilitate. Usura autem etiam moderata est contra justitiam, ut demonstratum est (3). Per contractus societatis, qui liciti sunt, si debitæ accedant conditiones, foveri licite potest industria pauperum, commercium, uno verbo, Reip. utilitas. Non est Reip. utilitas, quæ usurarum patronos impellit: est securitas sortis in quocumque casu etiam fortuito, quæ in contractibus societatis non exstat. Volunt ipsi lucrum capere ex pecunia absque ullo periculo sortis, & obtendunt Reip. utilitatem.

924 Ad quintum respondet S. Thomas (4), commodato, & locato non transferri dominium rei, sicut in mutuo; ideoque dispar est ratio.

925 Ad sextum respondemus cum eodem S. Thoma (5), pecuniam neque physice, neque civiliter esse sterilem, imo fœcundissimam, quousque manet sub dominio ejus, qui eam pos-

---

tes, *quæ, ut ipse auctor fatetur, repugnat seriei orationis, neque ad aliud valet, quam ad implicandum, obscurandumque verum hujus loci sensum.*

(1) §. 919. (2) In Epit. Nat. Alex. loc. cit.
(3) §. 918. (4) 2. 2. q. 78. a. 1. ad 6.
(5) Q. 13. de malo a. 4. ad 15.

sidet, perque eam potest lucrari institutis licitis commerciis. Dicitur ergo sterilis (id quod usuræ patroni non intelligunt, vel potius intelligere nolunt), *quia pecuniæ principalis usus est commutatio . . . Commutatio autem est usus quasi consumens substantiam rei commutatæ, inquantum facit eam abesse ab eo, qui commutat. Et ideo si quis pecuniam alteri concedat ad usum commutationis, qui est proprius pecuniæ, & pro hoc usu pretium aliquod quærat ultra sortem, erit contra justitiam.* Non ergo pecunia absolute sterilis est, sed sterilis evadit ei, qui eam commutat: quia cum non amplius sit sub ejus dominio, sed transeat in dominium ejus, cui fuit commutata; huic, non illi potest fructum reddere; ideoque commutanti sterilis est.

926 Ad septimum dicendum, moram illam, quæcumque sit concessa mutuatario in traditione mutui, non posse efficere, ut res mutuata non transeat in dominium mutuatarii, hoc ipso quod ei traditur. Translata vero re in mutuatarii dominium, is est vere illius dominus, quæcumque ei sit concessa mora, licet teneatur restituere tantumdem in eodem genere post præfinitum tempus; quousque tamen tempus non sit elapsum, ipse est vere dominus rei. Si quid ergo pro mora exigeretur, hoc esset pro re existente sub dominio mutuatarii, donec non esset in mora culpabili ultra tempus præscriptum. Exigeretur ergo à mutuante pretium pro re non sua: quod est injustum.

927 Ad octavum respondemus, census annuos immunes esse ab usuræ labe: nam in iis non venditur pecunia, sed jus ad ipsam; & si sors perit absque culpa censuatarii, censuanti, non censuatario perit. Contra vero est in mutuo. Montes pietatis liciti sunt, eosque approbavit Concilium Tridentinum sess. 22. de Reform. c. 8. sq. quod enim in iis exigitur, non percipitur ratione mutui, sed pro expensis ministrorum, aliarumque rerum, & pro Montium indemnitate. Quare autem ob non solutam pecuniam convento tempore, & non in antecessum liceat exigere aliquid, demonstrat S Thomas (1) scribens: „Ex „pecunia mutuata potest ille, qui mutuat, incurrere damnum rei „jam habitæ dupliciter. Uno modo, ex quo non redditur si„bi pecunia statuto termino; & in tali casu ille, qui mutuum „accepit, tenetur ad interesse. Alio modo, infra tempus de„putatum, & tunc non tenetur ad interesse ille, qui mu-

(1) Ibid. ad 14.

»tuum accepit. Debebat enim ille, qui pecuniam mutuavit, si»bi cavisse, ne detrimentum incurreret. Nec ille, qui mu»tuo accepit, debet damnum incurrere ex stultitia mutuan»tis. Et est etiam simile in emptione. Qui enim emit »rem aliquam, tantum pro ea juste dat quantum valet: non »autem quantum ille, qui vendit, ex ejus carentia damni»ficatur«.

928 Ad nonum jampridem responderat idem S. Thomas (1): »Dicendum, quod jus positivum principaliter intendit bonum »commune multitudinis: contingit autem quandoque, quod si »impediatur aliquod malum, provenit maximum detrimentum »communitati; & ideo quandoque jus positivum permittit ali»quid dispensative, non quia sit justum id fieri, sed ne com»munitas majus incommodum patiatur: sicut etiam Deus ali»qua permittit mala fieri in mundo, ne impediantur bona, »quæ ex his malis ipse elicere novit. Et hoc modo jus posi»tivum permisit usuras propter multas commoditates, quas in»terdum aliqui consequuntur ex pecunia mutuata, licet sub usu»ris«. Ita in nihilum redigitur Genuensiana ratio; redditurque *gravis insita ratio*, cur usuræ moderatæ permissæ sint à legibus civilibus, ne scilicet impediretur bonum commune multitudinis.

929 Ad decimum respondemus, duplex esse periculum, alterum *facti*, alterum *juris*. Et quidem periculum *facti* est, cum res exponitur dubiis rerum casibus: mutuatarius autem non liberatur onere solvendi, etiamsi res pereat absque sua culpa; idque periculum est mutuo intrinsecum. Periculum vero *juris* mutuo extrinsecum est, cum mutuans suscipit in se periculum sortis, pacto quodam adjuncto mutuo, & debitorem onere solvendi liberat, si res pereat absque ejus culpa. Ob hoc posterius periculum, nisi forte sit collusorium, potest aliquid exigi ultra sortem: nam mutuans solvit mutuatarium à periculo, quod ipsum sequitur mutuum; ideoque suscipit in se onus pretio æstimabile. Prius autem illud periculum non absolvit ab usura, si aliquid exigatur ultra sortem; quia cum mutuatarius teneatur in quocumque casu reddere integram sortem, id quod exigitur ultra ipsam, exigitur ratione mutui.

930 Ad undecimum, quod est præcipuum adversariorum fundamentum, responsio patet ex dictis (2): nam licet mutuatarius commodum, & utilitatem percipiat ex pecunia ei mutuo

(1) Ibid. ad 6. (2) §. 918.

tradita ; nihilominus postquam hæc translata est in ejus dominium, si mutuans exigeret pretium pro commodo, & utilitate mutuatæ pecuniæ, pretium exigeret pro re non sua : quod est injustum. Utique commodum, & utilitas est aliquid pretio æstimabile, si separari potest ab ipsa substantia rei, quæ datur in commodum, & utilitatem, sicut accidit in locatione. At vero in mutuo commodum, & utilitas est in ipso usu pecuniæ mutuatæ, nec ullo modo ab ipso distinguitur : nam quomodo posset quis capere commodum, & utilitatem ex mutuo, nisi haberet usum pecuniæ mutuatæ ? Qui ergo ratione commodi, & utilitatis præstitæ mutuatario, aliquid exigit, id exigit ob usum pecuniæ ei creditæ. Usus autem pecuniæ non est absque dominii translatione à mutuante in mutuatarium. Perspicuum est ergo, colludere in re gravissima eos, qui ad tuendam usuram moderatam ad commodum, & utilitatem mutuatarii se recipiunt (1).

QUÆSTIO XII.

De mutuis Conjugum officiis.

931 Prima omnium societatum, ut ostendit S. Thomas (2), est societas conjugalis. *Prima*, inquit, *combinatio est personarum... scilicet maris, & fœminæ. Hujusmodi enim combinatio est propter generationem... ut sic per generationem conservetur in specie, quod idem numero conservari non potest.* Nulla autem societas posset subsistere inter homines mortales, nisi per generationem genus humanum conservaretur, & propagaretur : nam brevi tandem destrueretur. Progredimur ergo ad conjugum officia. Ac 1. quæremus de ipso conjugio, an homo sit naturaliter animal conjugale ? 2. an conjugium sit

(1) Audiendus est inter cæteros Patres S. Ambrosius, qui l. de Tobia c. 14. n. 49. » Quia, *inquit*, plerique refugientes præcepta » legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usu» ras exigunt, sed de mercibus eorum tamquam usurarum emolumenta » percipiunt : ideo audiant quid lex dicat : *Neque usuram*, inquit, *esca» rum accipies, neque omnium rerum quascumque fœneraveris fratri tuo...* » Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcumque sorti accesdit, usura est «.

(2) 1. Polit. lect. 1.

naturaliter indissolubile ? 3. an polygamia sit naturaliter interdicta ? 4. an idem dicendum de polyandria ? 5. demum declarabimus officia viri erga uxorem, & vicissim uxoris erga virum.

ARTICULUS I.

Utrum homo sit naturaliter animal conjugale.

932 Videtur autem negandum (1), 1. quia si homo esset naturaliter animal conjugale, nemo nuptias renueret. Multi autem sunt, qui nuptias renuunt, cœlibem ducentes vitam (2). Non ergo homo est naturaliter animal conjugale.

---

(1) Negabant Encratitæ, Adamiani, & Manichæi. Vide S. Augustinum l. de hæres. hær. 25. 31. & 46. Hi enim nuptias tamquam malas damnabant, ideoque ut contrarias institutis naturæ.

(2) De his loquens Genuensis l. 2. de offic. c. 2. §. 1. describit verba Senecæ Tragici in Hippolyto v. 477.

Cœlibem vitam probet
Sterilis juventus, hoc erit quidquid vides,
Unius ævi turba, & in semet ruet.

Hæc sunt verba nutricis Hippolyti, quæ ipsum ad nuptias impellebat. Cur Genuensis reticuit responsionem Hippolyti ab eodem Seneca ibidem descriptam:

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusque melius, vita, quæ priscos colat,
Quam quæ, relictis mœnibus, sylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis:
Non pestilens invidia, &c.

Cur, inquam, hæc & alia bene multa, quæ ibi sequuntur in commendationem vitæ cœlibis, Genuensis prætermisit, eaque tantum protulit, quæ nutrix Hippolyti insidiatrix promebat? Sed pergit ille, & §. 4. »Si quis, *ait*, sponte se sua jure nuptiarum spoliavit, quo »solutior Reipublicæ vacaret, ei pacto, & civili lege vetantur; quod »factum cum Clericis, & Monachis, alicubi cum militibus: nec ta»men disputo, sapienter nec ne, quod alterius loci«. Istiusmodi cœlibes appellaverat jam *sterilem turbam unius ævi*; & *in semet ruentem*. Nunc non aliam agnoscit rationem cœlibatus, quam ut quis *solutior Reip. vacet*. De Deo autem, rebusque divinis, nihil ei interest dicere, ut neque de voto, quo quis Deo cœlibem promittat vitam; nullum vero aliud agnoscit pactum, quam quod oritur ex

933 II. Si homo esset naturaliter conjugalis, conjugium esset ex jure naturæ; ideoque caderet sub præcepto naturali, quod transgrederentur ii omnes, qui à conjugio abstinent.

934 III. Si homo naturaliter esset animal conjugale, etiam in statu innocentiæ talis fuisset: nam per peccatum mutata non fuit ejus natura. Atqui docentibus Athanasio (1), Nysseno (2), Damasceno (3), aliisque antiquis Patribus (4), si permansisset status innocentiæ, genus humanum non fuisset multiplicatum per commixtionem maris, & fœminæ, sed alio modo, uti sunt multiplicati Angeli. Homo igitur non ex natura, sed in pœnam peccati utitur conjugio.

935 IV. Actus conjugii turpitudinem secundum se habet adjunctam; non enim est sine concupiscentia. Sed quod secundum se turpe est, non potest esse à natura, quæ semper ad honestatem inclinat. Non ergo actus conjugii est naturalis (5).

Prop. I. *Homo naturaliter est animal conjugale,* II. *non quidem ex necessitate naturæ, ut in brutis,* III. *sed ratione naturali ad conjugium inclinante.*

936 Prob. 1. p. ratione S. Thomæ (6). »Homo est animal naturaliter politicum, *ut supra dictum est* (7). Ergo multo magis est in natura hominis, quod sit animal conjugale... »Ea enim, quæ sunt propria, & magis necessaria, magis videntur ad naturam pertinere. Societas autem domestica, ad »quam pertinet conjunctio viri, & uxoris, est prior quam

studio vacandi Reipublicæ; nuptiasque Clericis, & Monachis ex hoc pacto, ex civili lege vetitas statuit; de natura voti, ac de legibus Ecclesiæ nihil sollicitus. Atque de hoc etiam genere cœlibatus, quod neque ipsi heterodoxi reprobant, etiam dubitat, an sapienter, nec ne sit constitutus. Præclaræ in usum tironum lectiones! Temerene quis judicaret, si diceret, illum verbis hæc dubia suis aperuisse discipulis?

(1) In Psalm. 50.
(2) L. de hom. opific. cap. 17.
(3) L. 2. de Fide cap. 30.
(4) Vide Lequien in not. ad cit. c. Damasceni.
(5) Alias objectiones vide apud S. Thom. in suppl. 3. p. q. 41. a. 1. sqq.
(6) Ethic. lect. 12. (7) §. 339.

»societas civilis ; pars enim est prior toto. Est etiam ma»gis necessaria, quia societas domestica ordinatur ad actus »necessarios vitæ, scilicet generationem, & nutritionem. Ho»mo igitur naturalius est animal conjugale, quam politicum«.

937 Prob. 2. p. ex eodem S. Thoma (1). Actus conjugii in hominibus complentur movente libero arbitrio ; non enim vir accedit ad uxorem ex solo naturæ impulsu, ut accidit in bestiis, sed quia uterque vult congredi. Quod autem fit ex libera voluntatis electione, non est ex necessitate naturæ. Homo igitur non est animal conjugale ex necessitate naturæ.

938 Tertiam partem demonstrat idem S. Thomas (2). Ratio naturalis in conjugio non solum inclinat ad generationem prolis, quæ forte haberi posset etiam per indeterminatum, & vagum concubitum ; sed intendit duplicem finem, quorum primus, & præcipuus est bonum prolis ; alter minus principalis est mutuum obsequium sibi à conjugibus præstandum in rebus domesticis. Bonum autem prolis non solum exigit, ut proles generetur, sed ut promoveatur ad statum perfectum, qui est status virtutis ; quod quidem præstatur à parentibus per prolis nutritionem, & disciplinam (3). Ad hoc autem requiritur, ut parentes sint determinati ; alioqui filius à patre educari, & instrui non posset ; non enim constaret, an ejus esset filius. Oportet ergo, ut vir conjungatur determinatæ mulieri ; quæ quidem conjunctio est ipsum matrimonium. Mutua etiam obsequia idipsum suadent ; ex operibus enim domesticis quædam sunt competentia viris, quædam mulieribus. Homo igitur non ex solis legibus, & statutis humanis, sed ex inclinatione naturæ, exque institutione Dei auctoris naturæ habet, ut sit conjugalis ; ideoque vix ulla fuit natio, etiam barbara, in qua non fierent

---

(1) Lect. 12. cit.

(2) Q. 41. cit. art. 1.

(3) Mancam, & imperfectam hanc rationem profert Montesquius, cum l. 23. c. 2. scribit : » L' obligation naturelle qu' a le père de nour»rir ses enfans, a fait établir le mariage, qui déclare celui qui doit »remplir cette obligation«. *Obligatio naturalis, quam habet pater, nutriendi filios, matrimonium constituere fecit, quo declaratur, quinam huic debeat obligationi satisfacere.* Non sola obligatio nutriendi, sed etiam disciplina filios instituendi, matrimonii est ratio. Vide S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 2. & l. 3. cont. Gent. c. 122. An multum de hac disciplina Montesquius fuerit solicitus, viderint alii. Certe librum orditur verbis Lucretii initio poematis Venerem invocantis, & ad veneris amorem incitantis.

conjugia (1). Hanc institutionem Deus significavit Gen. 2. v. 24. iis verbis: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Quibus ex verbis, exque traditis rationibus constat, matrimonium esse per se bonum, & licitum, idque etiam in statu naturæ corruptæ. Nam quod est conforme rationi naturali, per se malum esse non potest in quovis statu.

939 Ad primum respondemus, minime obstare, quominus conjugium sit naturale, etsi aliqui cœlibem eligant vitam; sicut non obstat, quominus homo sit naturaliter animal sociale, etsi nonnulli solitariam vitam eligant, ut supra dictum est (2). Quare autem aliqui justas negligant nuptias, etiamsi ad eas apti sint: nam de eunuchis nulla quæstio; multiplex adferri causa potest. Ac 1. quidam conjugium renuunt, ut effreni concupiscentiæ indulgeant, nullumque deserant invisum pratum, per quod non pertranseat luxuria eorum, ut de impiis, incredulisque hominibus dicitur Sap. 2. v. 8. quæ causa est, cur sæpissime increduli ligare se nolint conjugii vinculo. Hi autem jumentis insipientibus sunt comparandi, quibus non est intellectus, ut habetur Psal. 48. v. 13. 2. quidam timent copulari mulieri rixosæ, & nequam; de qua dicitur Eccli. 26. v. 10. *....mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.* 3. quidam respuunt conjugium propter debilem complexionem, vel ob senectutem, vel ne periculum subeant sanitatis. 4. nonnulli eligunt abstinentiam à nuptiis, ut se scientiarum studiis, quibus castitas plurimum suffragatur, mancipent. 5. plurimi sunt, qui cœlibem vitam eligunt, ut liberius divinis rebus mente, & affectu vacent, de quibus Matth. 19. v. 12. Christus ait: *sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Et Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 32. sq. *Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* De his autem, si fideles sint in promissis, dicitur Apoc. 14. v. 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit* (3).

---

(1) De quibusdam populis sylvestribus, qui proprios nesciebant liberos, Cicero mentionem facit. Sed de his vide quæ scribit Sanctus Thomas a. cit. ad 2.

(2) §. 368.

(3) Addunt eos qui facultates non habent, ut possint honeste

940 Ad secundum respondemus cum S. Thoma (1), naturam dupliciter inclinare ad aliquid: uno modo, quia illud requiritur ad perfectionem singulorum; & talis inclinatio obligat quemlibet. Alio modo, quia requiritur ad perfectionem multitudinis; & ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo, nisi in casu, in quo necesse sit ad conservandum bonum multitudinis. Conjugium autem non requiritur ad perfectionem singulorum, sed ad bonum multitudinis. Ad hoc autem bonum non solum requiritur, ut sint ii, qui propagationi generis humani vacent per conjugia; sed etiam, ut ii sint, qui vacent unice rebus divinis. Religio enim præcipua debet esse in Republica. Sicut ergo necesse non est, ut singuli agriculturæ vacent, licet agricultura necessaria sit ad vitam hominis; ita necesse non est, ut singuli conjugiis vacent, quamvis conjugia necessaria sint ad bonum commune multitudinis, & natura ad ea inclinet. Deus autem, qui providentia sua sapientissime universa moderatur, sicut diversos ad diversa officia, & actus inclinat ac disponit, ut alii quidem sint agricolæ, alii fabri lignarii, alii sutores, alii pistores, alii præsint, alii subsint; qui omnes ad bonum commune multitudinis necessarii sunt: ita disponit, ut alii conjugalem eligant statum, alii cœlibem, ut ita habeatur, & compleatur multitudinis bonum (2).

941 Ad tertium concedimus cum S. Thoma (3), nonnullos veteres Patres (4) considerantes fœditatem, quæ est in usu

---

familiam sustentare. Sed de his prudentum esto judicium, præsertim si de eorum genere sint, qui nequeunt se continere. Nam matrimonium datur etiam in remedium incontinentiæ. Ait enim Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.*

(1) In Suppl. 3. p. q. 41. a. 2.

(2) Vide S. Thomam ibid. ad 4.

(3) 1. p. q. 98. a. 2.

(4) De Magno Athanasio, utrum in hac sententia fuerit, dubitari potest. Tum, quia locus qui adfertur ex Comm. in Psal. 50. explicari commode potest de matrimonio, & de nuptiis conjunctis cum deformitate immoderatæ concupiscentiæ; ait enim: *prior Dei scopus erat, ut non per matrimonium, & corruptionem nasceremur*; hoc est, per eam *corruptionem*, quæ est peccati pœna. Tum, quia etsi Maurini Patres Expositiones in Psalmos Athanasio adscribant tamquam genuinas; ipse tamen Montfauconus, qui pro ea editione laboravit, in supplem. earumdem Exposit. edito in Nova Bibliotheca Patrum, fatetur, in Codice Ambrosiano, unde descriptæ fuerunt,

conjugii, eumdem usum exclusisse à statu innocentiæ. Ipse autem Angelicus cum S. Augustino (1) excludit quidem à statu innocentiæ deformitatem immoderatæ concupiscentiæ, quæ est quædam sequela peccati originalis; negat vero, nullum in eo statu, si perdurasset, exstiturum conjugii usum; etenim generare est homini naturale, & in eum finem accepit à Deo membra ad hunc usum deputata.

942 Ad quartum dicimus, turpitudinem, quæ consequitur usum conjugii, non esse turpitudinem culpæ, sed pœnæ ex peccato primi parentis, ex quo provenit, ut membra corporis rationi non obediant; quæ quidem turpitudo à statu innocentiæ abfuisset (2).

ARTICULUS II.

Utrum conjugium sit naturaliter indissolubile.

943 Recentes plerique juris naturæ tractatores, licet licentiam divortiorum quoad vinculum non probent, varios tamen excipiunt casus. Heineccius (3) ita expresse docet: *divortium non illicitum censemus, quoties alteruter conjux ita se gerit, ut finis matrimonii obtineri nequeat.* Addit vero statim, *soluta quocumque legitimo modo hac societate, alterum ad secunda vota transire posse.* Ad legitimas autem causas refert *non modo adulterium, & malitiosam dessertionem, sed & omnes, quæ impedimento sunt, quo minus finem matrimonii adsequi liceat* (4). Pufendorfius etsi videatur (5) hac in re judicium suspendere, illud penes eos relinquens, qui *rationum mo-*

---

eas *non esse omnibus suis partibus, & numeris absolutas, & quasdam etiam ex catenis erutas.* Tillemontius quoque Mem. Eccl. Tom. 8. pag. 257. affirmat, se in iis commentariis observasse loca, quæ non sunt Athanasii, sed aliorum Scriptorum. Damascenum vero explicat S. Thomas loc. cit. ad 1.

(1) L. 14. de Civ. cap. 26.

(2) Ita S. Thomas in Suppl. 3. p. q. 41. a. 3. ad 3.

(3) De jur. nat. & gent. l. 2. §. 49.

(4) Videte quas lectiones is homo tradat, quæ manibus teruntur adolescentum etiam Catholicorum. Si eæ ad praxim deducerentur, quantæ forent perturbationes in familiis, & Rebuspublicis!

(5) De jur. nat. & gent. l. 6. c. 1. §. 20.

menta expendere norunt; nihilominus paulo post (1) ait: *saltem ex mero jure naturali, alter conjugum vinculo liberabitur propter malitiosam alterius desertionem, ut & pertinacem, atque ultroneam debiti conjugalis denegationem... Et si uxor alteri corporis sui copiam faciat... Et hactenus quidem, ut non solum læsa pars cum perfida conjuge non amplius teneatur cohabitare, sed & læsæ parti transire ad secunda vota liceat. Quidquid in contrarium jus Canonicum nugetur* (2). Jam vero Grotius (3) contendit, matrimonium dissolubile esse jure naturæ; sed id vetari in Evangelio; excipit tamen casum adulterii uxoris, uti cæteri Lutherani, & Calviniani cum Græcis schismaticis excipiunt. Seldenus autem putat (4), ne inter ipsos quidem Christianos antiquissimos divortia quoad vinculum fuisse illicita etiam extra causam adulterii. Miltonus etiam (5) multa congerit, ut probet, matrimonium solvi posse etiam inter Christianos ob mores intolerabiles. Genuensis autem scribit (6): *Nuptiæ sunt pacta. Nullum autem pactum lege naturæ esse potest*

(1) Ibidem §. 21.

(2) Quantopere impie *nugetur* Pufendorfius in hoc ipso loco, in quo jus Canonicum *nugari* effutit, quisque videt: nam si nihil aliud obstaret, quam jus Canonicum, ut parti læsæ ad secunda vota transire liceret; cur ille, qui jus Canonicum *nugatorium* existimabat, judicium suspendit circa matrimonii solubilitatem, judiciumque iis reliquit, qui rationum momenta expendere norunt? Sed quid ab ipso, aliisque Lutheranis expectandum erat, qui suum furentem sequuntur Lutherum hæc eadem docentem in l. *de vita conjugali*? Quod Pufendorfius ibid. addit, non deesse Sacerdotibus Catholicis aliam viam sua eludendi decreta, *declarato, matrimonium ab initio fuisse nullum*; convicium est in Romanam Ecclesiam. Non enim eluduntur leges, cum declaratur, nihil contra ipsas agi in aliquo casu, qui sub legibus prohibentibus minime continetur. Catholica autem Ecclesia in causis matrimonialibus summa diligentia, ac rigore procedit, nec una tantum judicis sententia rem absolvit, sed usque ad tertiam, & quartam instantiam judicium finale prorogat, ut ex Const. Benedicti XIV. tomi I. Bull. cujus synopsim dedimus in Epit. Nat. Alex. tom. 2. pag. 292. in not.

(3) De jur. bell. & pac. l. 2. c. 5. §. 9. n. 2.

(4) De uxore Hebræa l. 3. c. 22.

(5) L. de Divortiis. Miltoni argumenta proponit Pufendorfius loc. cit. §. 24. ac tandem, nulla adhibita responsione, concludit: *ista quidem nos in medio relinquimus.*

(6) De jur. & offic. l. 2. c. 2. §. 8. sq.

indissolubile (1). *Igitur nullam apud gentem* (2), *nisi Christianos, id juris agnitum: quin ne ubique quidem, & semper* (3).... *Inter nos quoque, si alter conjugum rei nuptiariæ sit ineptus* (4), *irritantur, velut quæ stare nequeant cum præcipuo fine. Item jure civili ob adulterium uxoris* (5); *quod hucusque & jure canonico in Græca Ecclesia obtinet, licet vetitum sit in Latina* (6). Nos autem de lege naturali interdicente matrimonii solutionem potissimum quærimus, atque de matrimonio, prout est *officium naturæ*: nam prout est *Sacramentum*, nemo Catholicorum (7), in dubium vertit ejus indissolubilitatem post carnalem copulam;

---

(1) Docuerunt olim Montanistæ, matrimonium solvi posse arbitrio conjugum. Id sequeretur, si quid probaret Genuensis argumentum, saltem spectata lege naturæ. Itaque falsum est, nullum pactum posse esse indissolubile lege naturæ. Nam si aliquod pactum est absolutum, & initum in omne tempus, absque ulla restrictione, lege naturæ est indissolubile. Matrimonium autem est pactum absolutum, quod necessario iniri debet in omne tempus, nulla facta restrictione: nam si ad certum tempus iniretur, jam matrimonium non esset.

(2) Quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ Genuensis scribit in eodem §. 8. non video. Nam loquens de veteribus Romanis, ait: *plusquam quingentis annis nullum fuerat divortium.* Si tam diu apud ethnicos, & tam sancte servatum fuit matrimonii vinculum, nonne signum est, illos credidisse, adstringi se ad illud servandum jure naturæ? præsertim, quia, ut testatur Gellius l. 4. c. 3. & Valerius Maximus l. 2. c. 1. Spurius Carvilius, qui primus dimisit uxorem sterilitatis causa, *reprehensione non caruit.* Confer. S. Thom. in Suppl. 3. p. q. 47. a. 1. ad 1.

(3) Tacite reproducit argumenta hæreticorum, qui veteres aliquot Patres, & Concilia opponunt contra indissolubilitatem matrimonii inter Christianos, ut paulo post dicemus.

(4) Id falsum est, si alter conjugum ab initio, cum matrimonium fuit initum, non erat ineptus.

(5) Si loquatur de jure civili antiquo Romanorum, non repugnamus; Jurisconsulti enim illi erant Romanis moribus imbuti. Inter Catholicos autem nihil tale permittunt jura civilia. Leges autem Theodosii, & Valentiniani C. l. 5. l. *Consensu*, nomine repudii intelligunt divortium quoad thori separationem.

(6) Itane vero? tantummodo vetitum est in Ecclesia Latina? Adeatur Synodus Tridentina sess. 24. can. 7.

(7) Heterodoxi negant, matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum; sed eos anathemate ferit Tridentina Synodus sess. 24. can. 1. Vide S. Thom. in Suppl. 3. p. q. 42. a. 1.

significat enim conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem humanæ naturæ in unitatem personæ, quæ est omnino indivisibilis (1). Quare Apostolus ad Ephes. 5. v. 32. ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia* (2).

944 Videtur autem conjugium non esse naturaliter indissolubile, 1. quia lex naturalis est immutabilis, & dispensationis proprie talis incapax, ut supra dictum est (3). At vero matrimonium in lege Mosaica dissolvebatur per libellum repudii; & in lege Evangelica matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam (4); & insuper matrimonium contractum ab infidelibus dissolvitur, si una pars convertatur ad fidem, & altera nolit cohabitare absque injuria Creatoris. Matrimonium ergo non est indissolubile jure naturæ.

945 II. Id est omnibus pactis commune, ut ubi violata sint ab uno contrahente capita saltem præcipua contractus, alter contrahens non teneatur jure naturæ stare contractui. In matrimonio autem caput principale est sobolis procreatio, ad quam requiritur mutua corporum traditio. Si ergo conjux violet pactum vel per adulterium, vel per malitiosam desertionem, vel per injustam debiti conjugalis denegationem; pars læsa facultatem jure naturæ nanciscitur à matrimonio recedendi (5).

946 III. Patri fas est immorigerum filium abdicare, qui magis ei est conjunctus, quam uxor. Cur ergo non poterit uxor abdicari etiam quoad vinculum, si moribus sit intolerabilibus, emendationisque impatiens? Nam juri naturali repugnat, conjuges separare per simplex divortium à thoro, salvo matrimonii vinculo, nisi forte sit ad tempus, & frangendæ pertinaciæ causa. Absurdum quippe est dicere, remanere vinculum, & nullam præstari posse debiti partem. Intolerabile quoque esset, partem innocentem cogi ad alterius luendum peccatum, & ad cœlibatum servandum; id enim non foret absque ejus injuria (6).

---

(1) Vide ibid. q. 61. a. 2.

(2) Confer S. Augustinum l. 1. de nupt. & concup. c. 10. & 21. & l. de bono conjug. c. 18. & 24. & S. Ambrosium l. de Abraham c. 7. & S. Leonem Epist. 92. ad Rusticum.

(3) §. 310.

(4) Ita Concilium Trident. definit sess. 24. can. 6. etiam de matrimonio quod est Sacramentum, ideoque majorem habet firmitatem.

(5) Pufend. loc. cit. §. 21. (6) Ibid. §. 22.

947 IV. Nulla societas ligat socios contra primarium scopum institutæ societatis. Atqui Deus voluit viro adjungere adjutorium, non domesticum tortorem. Disparitas ergo animorum, & pervicacia corrigi nescia societatem conjugalem solvit (1).

948 V. Jus Canonicum declarat, frigiditatem satis esse ad matrimonium dissolvendum. Multo ergo magis morum diversitas inter conjuges id præstare debet; illa enim deprehendi statim potest; hi vero non nisi tempore deprehenduntur (2).

949 VI. Res plena inhumanitatis est, cogere hominem, alias miseriis undique obsitum, ad retinendam uxorem molestam. Matrimonium etiam est remedium incontinentiæ. Qui autem pervicacem sortitus est uxorem, nequit illi acquiescere, gravioribusque agitatur, quam in cœlibatu, concupiscentiæ motibus (3).

950 VII. Naturæ repugnat, animos invicem conciliari nescios insolubili vinculo copulare. Insuper matrimonium est societas inter homines. Societates autem humanæ morali vinculo continentur, ideoque magis in animorum, quam in corporum conjunctione consistunt; alioqui nihil differrent à commixtionibus belluarum. Quomodo ergo stabit conjunctio, si animi sint divisi (4)?

951 VIII. Pacta etiam juramento firmata, si tendant in præjudicium tertii, solvi possunt. Quare non & fœdus connubiale (5)?

952 IX. Tertullianus non uno loco ostendit, solitos suo tempore ad matrimonium alterum admitti illos, qui uxores ob adulterium dimiserant. Idem suo tempore à nonnullis Episcopis admissum refert Origenes. In Conciliis etiam Eliberitano, Aurelianensi, Arelatensi primo, & Venetico decretum fuit, id licere (6). Putarunt ergo, repudium uxoris non esse contra jus naturæ saltem in causa adulterii.

953 X. Christus denique ipse hanc causam excepit Matth. 19. v. 9. cum ait: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ubi illa exceptio, *nisi ob fornicationem*, denotat, in casu adulterii uxoris licere illam dimittere, & aliam ducere (7).

---

(1) Miltonus apud Pufend. loc. cit. §. 24.
(2) Ibidem. (3) Ibidem. (4) Ibidem. (5) Ibidem.
(6) Ita Hertius in not. ad Pufend.
(7) Id est præcipuum Græcorum argumentum.

Prop. I. *Conjugium legitime initum* (1) *lege naturæ est indissolubile*, II. *multoque magis lege Evangelica.*

954 Prob. 1. p. rationibus S. Thomæ (2). Prima ratio. Ordo naturalis requirit, ut in iis quæ sunt patris, succedat filius. Is autem ordo perturbaretur, si conjugium legitimum solvi posset; ita enim ea quæ sunt patris, ad filios ex priori uxore susceptos, dissoluto matrimonio, non pervenirent. Hæc igitur dissolutio est contra naturalem ordinem, ideoque contra legem naturæ (3).

955 Altera ratio. Mulier naturaliter subjecta est viro tamquam gubernatori. Non est autem in potestate ejus qui subjicitur, discedere à regimine ejus cui subjicitur; alioqui non esset sub regimine. Esset igitur contra naturalem ordinem, si mulier posset deserere virum. Si autem mulier non posset virum deserere, posset vero eam deserere vir, non esset æqua socie-

(1) Diximus *legitime initum*; si enim sit illegitimum, jam non est matrimonium. Quænam vero sint impedimenta, quæ matrimonium dirimunt, efficiuntque illegitimum, copiose diximus in Epit. Mor. Nat. Alex. Tom. 2.

(2) L. 3. cont. Gent. c. 122. sq.

(3) Huc pertinent Apostoli verba 2. ad Cor. 12. v. 14. *Neque enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Neque refert, nullos quandoque ex matrimonio susceptos esse filios, nec spem suscipiendorum esse. Omnis quippe lex non respicit id, quod in nonnullis casibus solet accidere; sed id quod est per se, & ut in pluribus. Ex conjugio autem per se, & ut in pluribus suscipiuntur filii. Ob eamdem rationem nihil refert, vel quod parentes nulla habeant bona, quorum filios relinquant hæredes; vel quod assignare filiis possint sufficientem hæreditatem, aut bona omnia liberis cedere; hæc enim accidunt, neque legem evacuant, quæ respicit id quod est per se. In legibus etiam humanis, si legislator ad impedienda aliqua incommoda legem ferat; tametsi præsumptio in quibusdam casibus sit falsa, lex nihilominus in illis obligat, cum subsistat ratio, in qua fundata est lex. Vide S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 9. Qui rursus 3. cont. Gent. c. 122. hanc eamdem objectionem sibi proponens in muliere, quæ suis divitiis possit sola nutrire fœtum, inquit, id non obstare, quia *rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quæ per accidens contingunt, sed secundum ea quæ totam speciem consequuntur.*

tas viri ad mulierem, sed quædam servitus esset ex parte mulieris. Naturalis ergo ordo, & lex postulat, ut neuter possit alterutrum dimittere.

956 Tertia ratio. Quidquid certitudinem prolis impedit, est contra naturalem instinctum speciei humanæ; inest enim hominibus naturalis solicitudo de certitudine prolis. Si autem vir posset mulierem dimittere, vel mulier virum, & alteri copulari, proles esset incerta, dum mulier à primo cognita ab altero cognosceretur. Solutio igitur conjugii est contra naturalem instinctum humanæ speciei.

957 Quarta ratio. In animalibus, in quibus sola fœmina non sufficit ad prolis educationem, mas, & fœmina simul manent, quousque necesse est, ut proles educetur, sicut patet in quibusdam avibus, quarum pulli non statim postquam nati sunt, possunt sibi cibum quærere, nec fœmella ad id sufficeret; ideoque ex divina providentia inditum est mari, ut commaneat fœmellæ, donec fœtus educetur. In specie autem humana fœmina sola minime sufficit ad prolis educationem, cum necessitas humanæ vitæ multa requirat, quæ per unum parari non possunt. Ex natura igitur humana est, ut vir uxori commaneat, nec ab ipsa abscedat, donec saltem proles sit educata.

958 Quinta ratio. In specie humana proles non indiget tantum nutritione quoad corpus, sed etiam instructione quoad animam. Hujusmodi autem instructionis filii mox geniti non sunt capaces, sed post longum tempus, & præcipue cum pervenerint ad annos discretionis; & tunc etiam ad longum tempus indigent non modo instructione, sed etiam cohibitione, ne passionum sequantur impetum. Ad hæc autem sola mulier non sufficit, sed magis requiritur opus viri, in quo est ratio perfectior ad instruendum, & virtus potentior ad cohibendum. Oportet igitur in specie humana, ut per longum tempus parentes insistant instructioni prolis, ideoque ut vir diuturnam societatem habeat cum uxore. Id autem omne est ex lege naturæ præcipiente prolis educationem, & instructionem. Indissolubilitas ergo conjugii est ex lege naturæ.

959 Sexta ratio. Conjunctio maris, & fœminæ in specie humana ordinata est lege naturæ non solum ad generationem prolis, ut in aliis animalibus, & ad ejus educationem, sed etiam ad fovendos bonos mores, quos recta ratio disponit, vel quantum ad hominem secundum se, vel prout homo est pars domesticæ familiæ, aut civilis societatis. *Ad hos autem bonos mores pertinet individua conjunctio maris, & fœminæ; sic enim fidelior amor unius ad alterum erit, dum cognoscunt se indi-*

visibiliter conjunctos. Erit etiam utriusque solicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuo commansuros in earumdem rerum possessione æstimant. Subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oporteret accidere, si vir uxorem dimitteret, inter eum, & propinquos uxoris: & fit firmior inter affines dilectio. Tolluntur etiam adulteriorum occasiones, quæ darentur, si vir uxorem dimittere posset, aut econverso: per hoc enim daretur via facilior solicitandi matrimonia aliena. Individua igitur conjunctio viri, & uxoris est ex lege naturæ.

960 Ad hæc addimus, illud censeri juris naturæ, quod Deus naturæ auctor disposuit in ipso naturæ initio. Deus autem initio statuit, ut conjuges perpetuo essent conjuncti. Ait enim Christus Matth. 19. v. 4. sqq. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos; & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem: & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Conjugum ergo inseparabilitas est de jure naturæ.

961 Ex relatis autem Christi Domini verbis aperte sequitur, matrimonium multo magis in lege Evangelica indissolubile esse. Christus enim, qui naturam sauciatam, & vitiis diffluentem instaurare venit, matrimonium restituit ad eum statum, quem habuit ab initio. Quod Apostolus aperte docuit 1. ad Cor. 7. v. 10. *Iis autem, qui matriminio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

962 Ad primum responsio patet ex dictis (1); ut enim S. Thomas advertit (2), indissolubilitas matrimonii non pertinet ad prima præcepta legis naturæ, in quibus nulla omnino dari dispensatio potest; sed pertinet ad secunda naturæ præcepta, in quibus dispensatio dari potest, mutatis materia, & circumstantiis, ob aliquem altiorem finem. Primum enim naturæ præceptum in matrimonio est, ne quis accedat ad non suam; id enim exigit naturalis justitiæ ordo. Individua autem conjunctio sequitur ex primo illo præcepto; ideoque propter finem altiorem potest aliquando à Deo dispensari. Ita autem Deus dispensat in duplici casu; 1. cum ante matrimonii rati consummationem alter conjux solemnem Religionis alicujus professionem emittit; sicut enim vinculum carnalis matrimonii dissolvi-

(1) §. 311. sq. (2) Supplem. 3. p. quæst. 67. art. 2.

tur morte corporali; ita vinculum spirituale matrimonii rati, non consummati, dissolvitur morte spirituali professionis monasticæ (1). 2. si conjux infidelis non vult pacifice cohabitare cum conjuge converso ad fidem. Ait enim Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 15. *Si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.*

963 An vero cum Judæis fuerit dispensatum, ut possent licite dare uxoribus libellum repudii, respondemus negative cum SS. Hieronymo (2), Augustino (3), & Thoma (4). Et colligitur ex Christi verbis Matth. 19. v. 8. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Itaque libellus repudii fuit tantum permissus Judæis *ad duritiam cordis*, ut minus malum ad vitandum majus malum, scilicet uxorum interfectionem.

964 Ad secundum respondemus, rationem illam locum habere tantum in pactis, quæ non sunt inita in omne tempus, & in quacumque circumstantia. Matrimonium autem necessario non potest ita iniri. Nam si quando initur, apponatur conditio vel tacita, vel expressa, ut vinculum manere debeat ad certum tempus, & quousque alter conjux fidem servet; hæc ipsa conditio apposita, cum sit contra bonum matrimonii, ipsum reddit nullum.

965 Ad tertium dicimus, filium immorigerum posse quidem

---

(1) Ibidem quæst 61. art. 3.

(2) In c. 19. Matth. » Moyses, *inquit*, cum videret, propter » desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, » vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam » ducere, maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia per» severare. Simulque considera, quod non dixit: Propter duritiam » cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses, ut juxta Aposto» lum, consilium sit hominis, non imperium Dei «.

(3) L. 19. cont. Faustum c. 26. & 29. & l. 1. de Serm. Dom. in monte c. 14.

(4) Quamquam S. Thomas pro singulari modestia sua, in Suppl. 3. p. q. 67. a. 2. sq. noluerit statuere quidpiam tamquam certum in controversia de uxoris repudio sub lege Moyses; an fuerit licitum repudium, attamen ibidem ait, sententiam negantem esse communiorem; & deinde 1. 2. q. 105. a. 4. ad 8. & rursus q. 108. a. 3. ad 2. & l. 3. cont. Gent. c. 123. docet, Judæos errasse putantes, repudium uxoris esse per se justum, cum fuerit tantum in lege permissum, ut minus malum ad excludendum majus malum, scilicet uxoricidium. In quam sententiam descendit etiam Grotius in 5. c. Matth. v. 31. sq.

à patre expelli domo, & hæreditate privari in casibus in jure expressis; numquam vero ita posse abdicari, ut amplius non sit filius. Quare exemplum nihil concludit, imo concludit oppositum; concedimus enim, auctoritate judicis posse fieri divortium uxoris, aut viri, si causæ legitimæ id exigant: negamus vero, vinculum solvi posse, ita ut uxor non sit amplius uxor, & vir possit aliam uxorem ducere; sicut nec filius abdicatus potest non esse filius.

966 Quod Pufendorfius addit, repugnare juri naturali separationem conjugum, salvo matrimonii vinculo, hæresis est, damnata à Synodo Tridentina sess. 24. can. 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.* Erraret autem Ecclesia, si ea separatio juri naturali repugnaret. At revera tantum abest, ut repugnet, quin maxime congruat: divortium enim non est nisi in favorem partis læsæ, ideoque ei nulla infertur à judice injuria; multoque minus parti lædenti, ipsa enim meretur pœnam illam. Si autem à judice neutri parti fit injuria, quænam in ea separatione à judice facta esse potest pugna cum jure naturali? Falsum est autem, nullam præstari posse debiti redditionem, etiam durante divortio: nam si conjuges conveniant, etiam post separationem debitum præstare invicem possunt, neque enim vinculum est abruptum. Pars autem innocens, dum separata vivit à parte nocente, & cœlebs permanere debet, si nolit, vel nequeat cum ea convenire, non luit alterius peccatum, neque ullam patitur injuriam, nisi ab ipsa parte nocente, quæ propterea tenetur cum alia parte sese reconciliare, omnemque removere divortii causam. Dictum est enim, divortium fieri in favorem partis læsæ, & esse pœnam partis nocentis; non enim maritus innocens extra periculum scandali ulla lege obligatur ad dimittendam uxorem adulteram. Quod vero pars læsa debeat cœlibatum servare, est ex ipsa natura matrimonii: injuria autem quæ intervenit, non est ex conjugii vinculo, neque ex judice statuente separationem, sed ex parte lædente, quæ dedit, & non removet divortii causam. Nam divortium à judice non præscribitur, nisi instet pars innocens. Qua igitur ratione hæc injuriam pati potest à divortio, quod ipsamet à judice postulavit? Si autem cui intolerabilis videatur observatio cœlibatus stante divortio, is meminerit, multa alia difficillima in vita contingere, quæ tamen pati necesse est, ne lex violetur.

967 Ad quartum negamus, primarium finem societatis con-

jugalis fuisse adjungere adjutorium viro ; is enim finis est secundarius : primarius autem est prolis generatio , & educatio, atque institutio , ut ostensum est (1).

968 Ad quintum respondemus , frigiditatem, sive impotentiam , si sit absoluta , & perpetua , & præcesserit matrimonii celebrationem, reddere ipsum jure naturæ irritum, propterea quod haberi non potest finis præcipuus matrimonii, scilicet prolis propagatio. At vero morum diversitas huic fini præcipuo minime opponitur.

969 Ad sextum respondemus , legem providisse , constituisseque remedium separationis quoad thorum , & cohabitationem , si uxor , aut vir sint morum intolerabilium. Non negamus porro , matrimonium esse remedium incontinentiæ. At si vir sortitus mulierem pervicacem , nequeat ei cohabitare , oportet , ut ad alia remedia se conferat , quæ in Catholica Religione minime desiderantur , ut est carnis castigatio, fervens oratio ad Deum , frequens Sacramentorum usus; ita enim & continentiam ille servabit , & fortasse à Deo obtinebit , ut mulier pervicax in meliorem se recipiat frugem. Hæc sunt media apta, Christiano homine digna , non illud , quod suggerit Miltonus.

970 Ad septimum dicimus, naturalem legem præcipere conjugibus , ut se mutuo prosequantur amore , cum sint insolubili vinculo copulati. Eritne in eorum potestate hoc solvere vinculum , quia nolunt audire vocem naturæ inspirantis talem mutuum amorem? Si id adseratur , nullum non erit flagitium, quo nequeant se homines polluere , cum de lege naturæ nihil curant. Utique societas conjugalis magis consistit in animorum, quam in corporum conjunctione ; forma enim principalis matrimonii , ut ostendit S. Thomas (2) , consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum ; conjunctio vero corporum pertinet ad secundam matrimonii perfectionem. At vero animorum conjunctio, si desit post matrimonium initum , non propterea efficit , ut vinculum dissolvatur ; præcessit enim in mutuo consensu conjugum , dum matrimonium inierunt ; eademque perseverare debet ad mortem usque. Quid ergo , si ob eorum nequitiam animis sint divisi ? num propterea solvetur vinculum, quo tenentur ad animorum conjunctionem? Nulla perstaret humana societas , si vinculum pendere deberet ex perversa hominum voluntate.

---

(1) §. 962.

(2) 3. p. q. 29. a. 2. indeque probat , verum fuisse Matrimonium inter SS. Deiparam , & S. Josephum.

971 Ad octavum respondemus, cætera pacta differre à fœdere connubii, quod natura sua debet esse perpetuum, ut demonstratum est (1). Si autem hoc solveretur, id maxime tenderet in præjudicium non unius tantum tertii, sed totius Reipublicæ, ut supra ostendimus (2). Itaque ex hoc ipso fœdus connubiale solvi non debet. In ipso tamen matrimonio conjux quæ fidem frangit, cadit jure suo petendi debitum: atque in hoc servatur regula juris.

972 Ad nonum negamus, Tertullianum umquam dixisse, suo tempore solitos esse ad alterum matrimonium admitti, qui priorem uxorem ob adulterium repudiarant. Videtur quidem ita ipse alicubi sentire (3); sed alibi (4) clare se explicat, cum ait: *per mortem utique, non per repudium facta solutione, quia repudiatis non permitteret Apostolus nubere adversus pristinum præceptum* (5). In prioribus igitur locis loquitur tantum de separatione quoad thorum, non quoad vinculum. Origenes autem (6) refert quidem, quosdam Episcopos permisisse mulieribus nubere viventibus viris; sed ait, id *extra Scripturam permisisse*. Additque: *Et contra Scripturam quidem fecerunt, dicentem: Mulier ligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Cur ergo Origenes ab Hertio testis adducitur rei, quam ille damnavit ut Scripturæ repugnantem, paucosque id permittentes Episcopos non probavit? Licet ii fortasse opportunum haud putarint, pœnis mulctare mulieres illas ea ætate, in qua, Epicurismo inter ethnicos vigente, ejusmodi nuptiæ habebantur ut licitæ. Qui quidem prudens agendi modus haberi tunc potuit loco permissionis. Quidquid autem sit, Origenes testatur, Episcopos illos aliquot non quidem *probasse*, sed *permisisse* hujus generis nuptias. Censuerunt ergo, eas non licere. Ut quid ergo Lutherani factum advocant, ut probent talium nuptiarum honestatem?

973 Mentitur autem Hertius, cum post alios symmystas suos ait: *Conciliis Eliberino, Aurelianensi, & Arelatensi primo, & Venetico decretum est, id licere.* Nam duo sunt canones Concilii Eliberitani de hisce nuptiis loquentes, videlicet VIII. & IX. ac prior quidem ita habet: *Fœminæ quæ, nulla præ-*

(1) §. 954. sqq. (2) §. 959.
(3) L. 2. ad uxor. c. 1. & l. 4. cont. Marc. c. 34.
(4) L. de Monog. c. 11.
(5) Vide Pamelium Paradoxo 30.
(6) Tract. 7. in Matth.

cedente causa, reliquerint viros suos, & se copulaverint alteris, nec in fine accipiant communionem. Posterior vero: *Fœmina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur, ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de sæculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit* (1). Quid in hisce canonibus vel minimum exstat, quo significetur, licere matrimonium alterum ob uxoris adulterium? Fortasse, quia in priore canone dicitur: *Fœminæ quæ, nulla præcedente causa, reliquerint viros suos?* At præcedens illa causa non erat adulterium, de quo statim in posteriori canone dicitur, non licere mulieri fideli ob adulterium mariti alterum ducere. Causa igitur præcedens alia prorsus erat, nimirum causa Religionis, ob quam dumtaxat, juxta præscriptum Apostoli, mulieribus ad fidem conversis licitum erat deserere viros infideles, qui nolebant eis cohabitare absque injuria Creatoris. Hac causa excepta, si quæ mulier alteri se copulabat viro, nec in fine vitæ accipiebat communionem. Alter canon tam est perspicuus, ut pudere Hertium debuisset, Eliberitanæ Synodi decretum commemorare (2). Nam quid aliud ii Patres facere debebant, ut declararent illicitum, & irritum alterum fidelis fœminæ matrimonium, etiam adulterii causa, quam ei prohibere, ne *alterum duceret virum*, communionemque ei negare, *si duxerit*, donec vir relictus in vivis ageret, excepta tantum *infirmitatis necessitate*, scilicet mortis articulo, vel periculo? tunc enim mulier credebatur desertionis suæ pœnitere.

974 De Aurelianensi Concilio quod addit Hertius, impudens quoque mendacium est. Quinque recensentur antiquæ Synodi Aurelianenses (3): in nulla autem earum vel minima fit mentio Hertiani decreti; imo in Concilio 1. Aurelianensi can. XIII. statuitur: *Si se cuicumque mulier duplici conjugio, Presbyteri, vel Diaconi relicta, conjunxerit, aut castigati separentur, aut certe, si in criminum intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.* Quis non videt, hic detestari duplex conjugium quavis ex causa initum superstite viro?

975 Nihil etiam exstat in Concilio Arelatensi I. quod Hertio faveat. Nam can. X. dicitur: *De his qui conjuges suas in adul-*

(1) Tom. 1. Conc. Collect. Labeanæ pag. 971. Edit. Paris. ann. 1671.

(2) Vide ibid. pag. 991. notas Albaspinei, & ibid. pag. 112. sq. notas Ferdinandi de Mendoza.

(3) In præfata Collect. tom. 4. sq.

terio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere (1), *placuit, ut in quantum possit consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* Quibus verbis significatur, Concilium non probasse repudium etiam in causa adulterii. Et licet non præcepti rigore, sed potius *consilio*, & adhortatione utatur; id tamen effecit prudentiæ causa; cum enim tunc temporis leges civiles alterum inire conjugium post repudium permitterent, visum est Patribus opportunum, abstinere à præcepto, ne tumultus cierentur; & idcirco dixerunt, *in quantum possit.*

976 Denique canon 2. Concilii Venetici: *Eos qui, relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus à communione similiter arcendos*, nec Hertio favet; loquitur enim eodem modo, quo Christus in Evangelio. Christus autem non de repudio, sed de simplici divortio loquutus fuit, ut declaravit Tridentina Synodus (2).

977 Itaque ad decimum respondemus, verba illa Christi Domini, *nisi ob fornicationem*, referenda esse ad præcedentia, *quicumque dimiserit uxorem suam*, non ad subsequentia, *& aliam duxerit.* Atque hunc esse verborum sensum, demonstrant SS. Augustinus (3), & Thomas (4).

ARTICULUS III.

Utrum polygamia, sive pluralitas uxorum simultanea sit vetita jure naturæ.

978 Ut de matrimonii solubilitate Pufendorfius, ita de polygamia simultanea loquitur; ait enim (5): *nos quæ in utramque partem jactantur argumenta proponemus, judicio penes lectorem relicto.* Revera tamen adhæret sententiæ neganti; imo

(1) Scimus, Petavium in Animadv. ad S. Epiphanium de hæresi Novatianorum legisse, & *non prohibentur nubere.* Sed correctio Petavii est ad libitum conficta: nam apud Ivonem l. 8. c. 258. canon exstat, ut est à nobis descriptus.

(2) Sess. 24. can. 7.

(3) L. 1. de adult. conjug. c. 11. & l. 2. c. 3.

(4) In c. 7. Epist. 1. ad Cor. lect. 2.

(5) De jur. nat. & gent. l. 6. c. 1. §. 17.

exemplis Ethnicorum, & Mohammedanorum propositis, inquit, (1), *ingenue illos facere, qui objectionem ex polygamia Patrum veteris Fœderis insolubilem fatentur.* Quamvis postea (2) dicat, optimum esse, unum una vivere contentum. Grotius etiam (3), polygamiam, imo & concubinatum, non putat illicita jure naturæ. Coccejus vero addit (4), neque prohiberi lege Evangelica. Mittimus Thomasium, & reliquos, Neobulum, Ochinum, Lyserum, Taphnæum Arcuarium, quos nominat Heineccius (5). Hertius (6) autem auctor est, *præclaros quondam theologos* (Lutherum innuit, ejusque asseclas, qui Lantgravio Hassiæ alteram permisere uxorem) *statuisse, posse polygamiam, ut majoris peccati evitetur necessitas, etiam inter Christianos esse licitam.*

979 Videtur autem polygamia simultanea, sive pluralitas uxorum non esse vetita jure naturæ, 1. quia Patriarchæ veteris Testamenti plures simul habuerunt uxores. Quis autem dixerit, eos omnes pecasse contra jus naturæ? præsertim cum inter ipsos plurimi fuerint sanctitate præstantes (7).

---

(1) Ibid. §. 18. Imo addit, *non esse quod uxor suæ conscientiæ metuat, si in ejusmodi matrimonium, ubi id publice receptum est, consentiat.* Et hi nihilominus, qui reprobatos Ethnicorum, & Turcarum mores absolvunt, habendi erunt ut juris naturæ restauratores?

(2) Ibid. §. 19.

(3) De jur. bell. & pac. l. 1. c. 2. §. 6. n. 2. » Mirum, *inquit*, » quam sudent, ut probent, quæ Evangelio vetantur, ipso jure na» turæ esse illicita, ut concubinatum, divortium, matrimonium cum » pluribus fœminis. Sunt quidem hæc ejusmodi, ut eis abstinere ho» nestius esse dictet ipsa ratio: at non talia, ut absque lege divina » nefas in illis appareat «. Egregius sane Moralis Doctrinæ Magister!

(4) In Proleg. ad Grotii §. 48. *Concubinatus, polygamia plurium fœminarum, & divortia ex justa causa nec lege Moysis, nec lege Evangelii* prohibentur. Nihil ergo vetat, quominus Christiani concubinas, & plures uxores habeant. Hi sunt Ecclesiæ Christianæ reformatores.

(5) De jur. nat. & gent. l. 2. §. 37.

(6) In not. ibidem.

(7) Ut suum de tolerantismo defendat errorem Buddeus, in Inst. Theol. Mor. p. 2. c. 2. §. 14. ait, Deum tolerasse polygamiam in Viris sanctis Veteris Testamenti, eo quod *ob receptam tum temporis ubique, saltem in Oriente, polygamiam, eam prohibitam esse ignorarent.* Quod aperte adversatur sacro Textui: nam 2. Reg. 12.

980 II. Finis matrimonii, certitudo sobolis, mutuum adjutorium non minus in polygamia, quam in monogamia obtineri potest; zelotypia vero, & discordiæ domesticæ etiam legitima matrimonia, & secundas nuptias consequuntur; neque ubique locorum vigent: nam apud multas gentes, ipsumque Dei populum non fuerunt deprehensæ, etsi multas simul haberent uxores.

981 III. Nulla etiam fit injuria primæ uxori; hæc enim nihil juris habet ultra pactum connubiale. Si ergo ipsa consensit in polygamum mariti connubium, nulla afficitur injuria (1).

982 IV. Mariti vigor, vel uxoris intolerabiles mores, vel ejus sterilitas, vel Reipub. salus sæpe suadere videntur, ut polygamia simultanea monogamiæ præferatur (2).

Prop. I. *Polygamia simultanea opponitur legi naturæ, non quasi impediens finem primarium matrimonii;* II. *sed quasi minus congruens fini secundario.*

983 De simultanea polygamia loquimur, non de successiva. Nam licet secundas nuptias damnarint olim Montanistæ, & Novatiani; Apostolus tamen ait 1. ad Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino.* Quod non solum ad secundas nuptias, sed ad tertias, & quartas, & quintas extenditur (3); non enim Apostolus ullam limitationem apposuit; imo ibid. v. 2. inquit: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Et *v. 9. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.*

984 Prob. igitur 1. p. ratione S. Thomæ (4). Finis principalis matrimonii est prolis generatio, & educatio, ut dictum

---

v. 8. dixit Deus per Nathan ad David: *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo.* Et ad Gal. 4. v. 22. sqq. *Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera... Hæc enim sunt duo testamenta.* Quis dicet, hanc fuisse meram tolerantiam?

(1) Hæc argumenta proponit Pufendorfius loc. cit.

(2) Ita apud Heineccium loc. cit.

(3) Vide S. August. l. de bono viduit. cap. 4.

(4) Supplem. 3. p. quæst. 65. art. 1.

est (1). Atqui pluralitas simultanea uxorum hunc finem non tollit; *cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis.* Polygamia igitur simultanea non opponitur legi naturæ, quasi impediat finem principalem matrimonii.

985 Prob. 2. p. ratione ejusdem S. Doctoris (2). Finis secundarius matrimonii in hominibus est communicatio operum, quæ sunt necessaria in vita, præsertim vero pacifica societas. Is autem finis per uxorum pluralitatem, si non omnino tolleretur, impediretur certe (3). Tum, quia omnibus animalibus innatum est, non compati in usu matrimonii alterius consortium; ideoque & ipsa bruta animalia in hoc pugnant. Tum, quia unus vir satisfacere ad votum non potest pluribus uxoribus. Simultanea ergo polygamia opponitur legi naturæ, tamquam minus congruens fini secundario matrimonii.

986 Addimus ex S. Thoma (4) triplicem aliam rationem. Prima est. In omni animalis specie, ubi inest patri aliqua solicitudo prolis, naturaliter unus mas non conjungitur nisi uni fœminæ, ut in avibus, quæ simul nutriunt pullos suos. In specie autem humana mari incumbit specialis cura prolis. Naturale est igitur, ut in specie humana unus vir uni uxori conjungatur.

987 Altera ratio. Amicitia inter virum, & uxorem est ex instituto naturæ. Amicitia autem in quadam æqualitate consistit. Si autem mulier habere non posset plures viros, vir autem plures uxores, æqualitas non esset. Non esset igitur liberalis amicitia uxoris ad virum, sed uxor haberetur veluti serva, uti revera habetur apud eos, qui polygamia utuntur. Hæc igitur non congruit cum instituto naturæ.

988 Tertia ratio. Inter conjuges, natura dictante, debet esse amor intensus. Sed talis amor non potest esse ad plures (5); hoc ipso enim amor distrahitur. Natura igitur di-

---

(1) §. 938.

(2) Loc. cit. & l. 3. cont. Gent. c. 124.

(3) Exempla præstant & ipsæ familiæ Abrahami, & Jacobi, in quibus tamen magna florebat pietas. Quid de aliis non esset timendum?

(4) Cap. 124. cit.

(5) De unitate uxoris, quod intensum pariat, & servet amorem, exemplum habemus in Isaaco, de quo Gen. 24. v. 67. dicitur: *Accepit eam (Rebeccam) uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.* De Jacobo autem,

ctat, ut unius viri non sit nisi una uxor. Idque significavit Deus in mundi initio, cum uno viro creato, unicam, non plures formavit mulieres; ideoque reprehensione dignus fuit Lamech, qui primus bigamiam induxit, ut dicitur Gen. 4. v. 19.

989 Ad hæc addi etiam potest, conjugium datum esse à natura in concupiscentiæ frenum. Si autem unus vir plures habeat uxores, non frenatur, sed magis provocatur concupiscentia. Exemplum Salomonis notissimum est: nam licet sapientissimus esset, infatuatus tamen est; de ipso enim scribitur 3. Reg. 11. v. 4. *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.*

990 Hæc dicta sunto de jure naturali: nam jure Evangelico pluralitas simultanea uxorum omnino tollit matrimonii finem, qui est significatio unionis unius Christi cum una Ecclesia (1); quamquam & apud Hebræos, apud quos divina dispensatione licita erat polygamia simultanea, aliqua ejus esset significatio, nimirum distinctio graduum in Ecclesia; & ideo etiam illorum conjugia aliquo modo significabant conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut Angelicus observat (2). Christus autem omnino vetuit, ne in lege Evangelica vir plus una haberet uxore; ut declaravit Tridentina Synodus sess. 24. can. 2. Sic autem matrimonium ad primam suam institutionem fuit restitutum, ut *duo sint una caro*; quod præceptum Christus renovavit Matth. 19. vers. 5.

991 Ad primum respondemus cum S. Thoma (3), veteres Patriarchas fuisse à Deo dispensatos per internam inspirationem, ut plures simul habere uxores possent. In polygamia enim simultanea dispensari à Deo potest, cum non sit contra legem naturæ quoad prima, sed quoad secunda dumtaxat præcepta, ut dictum est. Dispensatio autem illa ex sanctis Patriarchis, per eorum exemplum, ad reliquos Judæos manavit, ut magis multiplicaretur proles ad Dei cultum (4).

992 Ad secundum dicimus, polygamiam simultaneam non tollere quidem certitudinem prolis, sed incommoda creare circa mutuum conjugum adjutorium, quod pendet ab amicitia, &

---

qui Liam, & Rachelem acceperat uxores, dicitur Gen. 29. v. 30. *amorem sequentis priori prætulit.*

(1) Vide S. Thomam a. cit.

(2) Quæst. cit. art. 2. ad 5. (3) §. 962.

(4) Vide Chrysost. Hom. 56. in Gen. Hieronymum in Epist. ad Oceanum; & S. August. l. 16. de Civ. c. 38.

amore. Si vero zelotypia, & discordiæ nonnumquam sequuntur matrimonia legitima, & secundas nuptias, quanto magis sequerentur pluralitatem simultaneam uxorum? cum hoc tamen discrimine, quod in polygamia simultanea sequerentur circa ipsas uxores, & circa ipsum conjugium; in matrimoniis vero legitimis, & secundis nuptiis aliunde habent originem. Falsum est autem, apud gentes, quæ tali polygamia utuntur, non deprehendi ejusmodi incommoda. Exempla præstant Turcæ, aliique orientales populi, qui plures uxores habent tamquam ancillas, perpetuo veluti carcere inclusas (1). Si autem apud Dei populum non adeo frequentes erant eæ discordiæ, id non fuit ex natura polygamiæ, sed ex providentia Dei, qui in pluralitate simultanea uxorum dispensaverat. Quamvis & apud Judæos non discordiæ tantum simplices erant, sed & uxoricidia metuebantur, ad quæ vitanda Moyses ad duritiam cordis concessit libellum repudii, ut dictum est (2).

993 Ad tertium concedimus, apud Judæos nullam ob alias inductas uxores injuriam fuisse irrogatam primæ uxori; cum enim viri essent à Deo dispensati, utebantur jure à Deo accepto, ideoque nemini inferebant injuriam. Extra dispensationem injuria irrogatur, sin minus primæ uxori consentienti, certe tamen matrimonio; quemadmodum injuria irrogatur, etiamsi vir consentiat adulterio uxoris, aut uxor adulterio viri. Omnia igitur posteriora conjugia simultanea polygamorum sunt mera adulteria.

994 Ad quartum respondemus, honestatem actionum non esse pensandam ex mariti vigore: & qui ita loquuntur, videntur esse ipsis bestiis pejores. Intolerabiles autem uxoris mores, aut sterilitas, vel salus Reipubl. sat non sunt ad aliam superinducendam: nam si perstat matrimonii vinculum etiam in hisce casibus, ut demonstratum est (3); secundum matrimonium, vivente prima uxore, non conjugium, sed scortatio est: hæc autem in nullo casu potest licere, cum sit intrinsece mala.

(1) Vide Aristotelem 1. Polit. cap. 2.
(2) §. 963. (3) §. 954. sqq.

ARTICULUS IV.

Utrum polyandria simultanea, sive conjunctio unius mulieris cum pluribus viris sit contra jus naturæ.

995 Jam supra diximus (1), Thomasium in sua fidei professione credidisse, *quod polygamia etiam virilis, hoc est, unius fœminæ cum pluribus viris, mero jure naturæ non sit interdicta.* Quod & alibi repetit; ait enim (2), *polyviriam infimum gradum licentiæ obtinere, & prohibitioni propiorem esse, quam præcepto* (3).

996 Videtur autem saltem aliquando licere posse, 1. quia pluralitas uxorum fuit ex divina dispensatione licita apud Hebræos, ut dictum est (4). Cur non ergo potuit esse licita & pluralitas virorum?

997 II. Si maritus sit sterilis, nullum erit periculum incertitudinis prolis. Tunc ergo polyviria poterit esse licita.

998 III. Pufendorfius (5) recenset populos, apud quos promiscuus erat uxorum usus, ut Taprobanenses, Ichthyophagos, Hylophagos, Nomades, antiquos Britannos, Spartanos, aliosque. Si hæc licentia tam erat propagata, argumentum est, eam naturali juri non repugnare.

Prop. *Polyandria simultanea, ideoque & uxorum communio directe pugnat cum jure naturæ.*

999 Prima ratio S. Thomæ (6). Homo naturaliter desiderat certus esse de prole; alioqui non gereret illius curam, ad quam tenetur ex fine primario conjugii, ut dictum est (7). Hæc autem prolis certitudo omnino tolleretur, si plures viri essent unius mulieris; nequiret enim constare, cujus filius esset proles. Quia

(1) §. 26. (2) In jurisprud. div. l. 3. cap. 2. num. 211.
(3) In eadem sententia fuit Socrates, & Plato, qui posuerunt, uxores debere esse communes. Vide Arist. l. 2. Polit. c. 2. & S. Thom. ibid. lect. 3. & l. 3. cont. Gent. c. 124. Accesserunt Nicolaitæ. Vide S. Aug. l. de hær. c. 5. & S. Thomam c. cit.
(4) §. 991. (5) De jur. nat. & gent. lib. 6. cap. 1. §. 15.
(6) Cap. cit. (7) §. 938.

igitur certitudo prolis est principale bonum, quod ex matrimonio quæritur, manifestum est, polyandriam opponi huic bono, ideoque & juri naturali.

1000 Altera ratio ejusdem S. Thomæ (1). Filii tenentur jure naturæ multo magis obsequi, & amare parentes, quam cæteros homines, abstinereque à quovis nocumento illis inferendo. Si autem nescirent certe, quinam essent eorum patres, non possent illis exhibere hunc specialem amorem, & obsequium, neque forent speciali pœna digni, etiamsi eos occiderent; ideoque nemo posset reus esse parricidii. Quæ sane omnia rectæ rationi refragantur.

1001 Tertia ratio ipsius S. Thomæ (2). Admissa polyviria, facile posset contingere, ut filiæ cum patribus congrederentur; nesciretur enim, cujusnam essent soboles. Id autem est contra naturam (3).

1002 Ad primum respondemus ex dictis (4), polygamiam uxorum non opponi fini primario matrimonii, ut opponitur polyviria. Et idcirco in illa, secus in ista potuit dispensari.

1003 Ad secundum dicimus, casum illum sterilitatis viri esse peculiarem, & *per accidens* respectu matrimonii; quod autem est *per accidens*, non tollit id, quod est *per se* intentum ob bonum universale; ideoque nec in eo casu licere potest polyviria (5).

1004 Ad tertium respondemus, etiamsi vera forent quæ dicuntur de populis illis, nihil conficeretur. Dictum est enim (6), circa conclusiones deductas ex primis principiis moralitatis potuisse nonnullos errare, ob pravas consuetudines, & corruptum rectæ rationis usum. Sed quædam tamen dicenda sunt de populis illis, quos Pufendorfius recenset. Ac de Taprobanensibus quidem non negamus ita referre Diodorum Siculum (7). At ipsemet Diodorus ait (8), populos illos magnitudinem hominibus communem excedere *quatuor cubitis*. Quis hæc credat Diodoro? qui videtur nimis fuisse credulus in describendis iis, quæ vulgus ferebat. Cur non idem de communitate uxorum?

---

(1) 2. Polit. lect. 3. (2) Ibidem.

(3) Alias rationes vide ibidem. (4) §. 962.

(5) De hoc casu agens S. Thomas l. 3. cont. Gent. c. 124. » Fuit, » *inquit*, etiam hoc inconveniens reputatum apud antiquos Romanos, » de quibus refert Valerius Maximus, quod credebant, nec propter steri- » litatem fidem conjugalem debere dissolvi «.

(6) §. 179. (7) L. 2. c. 58. (8) Ibidem.

De Ichthyophagis (1), & Hylophagis (2), & Nomadibus (3) quæ scribit idem Diodorus, suspecta etiam videri possunt: nam quis in animum facile inducet suum, ut credat, nullis ipsos moveri sive voluptate, sive dolore, sive animi passione, ut eos Diodorus describit? De antiquis Britannis non est quid dicamus, si Cæsar vera scribit (4); sed ipsemet ait, illos uxores habere communes, *& maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis*: quæ certe sunt contra naturam. De Spartanis autem quod refert Plutarchus (5), non videtur extra omne dubium esse: nam Herodotus (6) tradit, Spartanis non licuisse nisi unam habere uxorem, eamque intra legitimos gradus (7).

ARTICULUS V.

Quænam sint mutua inter sese conjugum officia.

1005 Paucis articulum expendimus, Christianisque conjugibus documenta tradimus SS. Apostolorum Petri, & Pauli. Ac Paulus quidem sic eos alloquitur 1. ad Cor. 7. v. 3. sqq. *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Petrus autem mulieribus quidem ait Epist. 1. c. 3. v. 1. sqq. » Mulieres subditæ sint »viris suis ... quarum non sit extrinsecus capillatura, aut »circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed »qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, »& modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic »enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, orna»bant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abra»hæ, dominum eum vocans «. De viris autem ita habet: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam & cohæreditus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ. In fi-*

(1) L. 3. cap. 24. (2) Ibidem cap. 32. (3) Ibidem.
(4) Lib. 5. de bell. Gall. cap. 14.
(5) In vita Lycurgi. (6) Lib. 5.
(7) Vide Cragium de Repub. Lacedæmon. l. 3. Inst. 10.

ne autem, omnes unanimes compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. Utnam omnes Christiani conjuges hæc documenta exciperent, factisque explerent!

QUÆSTIO XIII.

De mutuis parentum erga filios, & filiorum erga parentes officiis.

1006 Diximus (1), finem conjugii non modo esse propagationem humanæ speciei per generationem, verum etiam prolis educationem per nutrimentum, & disciplinam (2). Hinc vero sequitur, societatem inter parentes, & liberos inæqualem esse, parentesque jus habere filios regendi, & gubernandi in iis, quæ ad rectam eorum educationem, & institutionem pertinent. Hoc jus vocatur *patria potestas*, ex qua in parentibus oritur debitum recte educandi, instituendique filios; in filiis vero debitum honorandi parentes, iisque parendi in omni eo, quod ad eorum rectam educationem, & institutionem

(1) §. 938.

(2) Destruere has naturæ notiones conatur Rousseaus *Disc. de l'inégalité part. 2. pag.* 122. » Les premiers développemens, *ait*, du cœur » furent l'effet d'une situation nouvelle qui réunissoit dans une habita» tion commune les maris & les femmes, les peres & les enfans; l'ha» bitude de vivre ensemble fit naître les plus doux sentimens qui soient » connus des hommes, l'amour conjugal, & l'amour paternel «. *Primæ cordis evolutiones effectus fuere novi status, quo viri, & mulieres, parentes, & filii sese in una conjungebant domo; habitusque vivendi simul oriri fecit omnium, qui cogniti sunt, dulcissimos hominum sensus, amorem scilicet conjugalem, & paternum.* Sunt hæ consequutiones systematis Rousseau statuentis, initio homines brutorum more vixisse, & cum mulieribus indiscriminatim fuisse commixtos, ut §. 334. diximus. Sed verbo Dei opponuntur, ex quo scimus, Gen. 2. v. 24. ab ipsa Evæ formatione dictum fuisse: *relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.* Quid ergo Rousseaus fingit primas illas cordis evolutiones? quid conjunctionem illam in una domo, & habitum vivendi simul, tamquam primam radicem conjugalis, & paterni amoris, postquam Deus naturæ auctor illum cordi humano inseruit ad humani generis propagationem & salutem?

spectat. Agemus igitur 1. de patria potestate. 2. de ratione filios educandi, instituendique. 3. de filiorum debito erga parentes.

ARTICULUS I.

Utrum patria potestas oriatur ex generatione, & utrique competat parenti.

1007 Putat Hobbesius (1), eam ex occupatione manare, ita ut *dominium infantis ad eum primum pertineat, qui primus in potestate sua ipsum habet.* Ex qua positione infert (2), dominium infantis originaliter esse *solius matris, ita ut illum educare, vel exponere, suo arbitrio, & jure possit* (3). Hobbesium excedens Rousseaus (4) patriam potestatem à civili societate repetit, quod ad præcipuam ejus attinet vim; imo nullam agnoscit præter eam, quæ nititur spe succedendi in bona paterna, quibus pater privare filios potest, si ea demerean-

---

(1) De Cive c. 9. §. 2.

(2) Ibid. §. 3.

(3) Vide quænam principia Hobbesius tradit, cum arbitrium, & jus matri concedit educandi, vel exponendi filios. *Tam nefarium est exponere, quam necare*, inquit Lactantius l. 6. Inst. c. 20.

(4) Loc. cit. pag. 152. » Au lieu de dire que la société civile dérive » du pouvoir paternel, il falloit dire au contraire que c' est d' elle que » ce pouvoir tire la principale force «. *Pro eo quod diceretur, societatem civilem oriri ex potestate paterna, econtra dicere oportebat, hanc potestatem ex illa suam præcipuam haurire vim.* Itane vero? Adamus ergo ante constitutas civiles societates vix ulla potiebatur in filios suos patria potestate. Idem dicendum de Noemo, & filiis ejus post diluvium. Petimus autem, utrum societas domestica fuerit prior societate politica? Quis in dubium vertet? nam civitas componi non potest, nisi ex pluribus domibus. Petimus item, an societas possit consistere sine aliqua potestate? Minime sane: nam sine potestate, quæ societatem contineat, societas solvetur. Si ergo societas domestica præcessit societatem civilem, quomodo potestas paterna à societate civili vim potuit præcipuam haurire? Vide S. Thomam 8. Ethic. lect. 12. Mira autem est contradictio Rousseau: nam ipse agens de contractu sociali, omnem civilem potestatem derivat à pacto sociali singulorum, qui certe familias, & domos constituunt: nunc autem à potestate civili pæne omnem derivat potestatem domesticam.

tur (1). Pufendorfius autem suum de socialitate sequens principium, & Grotium impugnans, qui censuerat (2), *generatione parentibus jus acquiri in liberos*; patriam potestatem partim ex socialitate, partim ex tacito liberorum consensu, ac pacto arcessit (3).

1008 Videtur autem patria potestas oriri non posse ex generatione & esse utrique parenti communis, 1. quia, ut Hobbesius ait (4), »qui hactenus dominium patris in liberos asse»rere conati sunt, argumentum nullum attulere præter gene»rationem; quasi per se evidens sit, quod à me genitum est, »meum esse«.

1009 II. Ut idem Hobbesius arguit (5), » Cum domi»nium, hoc est, imperium supremum indivisibile sit, ita ut »nemo duobus dominis servire possit; ad generationem au»tem duæ personæ concurrant, mas, & fœmina: impossi»bile est, ut dominium omnino acquiratur sola generatione«.

1010 III. Ex eodem Hobbesio (6) » Jure naturæ victor »victi dominus est. Jure igitur naturæ dominium infantis ad »eum primum pertinet, qui primus in potestate sua ipsum ha»bet. Manifestum est autem, eum qui modo nascitur, prius »esse in potestate matris, quam cujusquam alterius«.

1011 VI. Ex eodem Hobbesio (7) » Intelligi non potest, »quemquam ita vitam dedisse cuiquam, ut possit simul & vi»res ætate acquirere, & jure hostis esse. Hostis autem est quis»que cuique, cui neque paret, neque imperat. Atque hoc mo-

---

(1) Loc. cit. »Les biens du pere, dont il est véritablemente le »maître, sont les liens qui retiennent ses enfans dans la dependance«. *Patris bona, quorum ipse vere est dominus, ligamina sunt, quæ filios in ejus dependentia detinent.* Quid vero faciemus de patre, qui nulla possidet bona? Eruntne ejusmodi parentes, quorum in quavis Republica magnus est numerus, destituti omni patria potestate? Eruntne eorum filii à quavis dependentia, & obedientia eis exhibenda soluti? Ubinam erit liberalis filiorum amor? ubi filiale obsequium? Et quid filii à mercenariis distabunt, si unice deferunt patri ob spem succedendi in ejus bona? Quid præterea, si pater filium ita merentem privet jure hæreditatis, eritne filius statim solutus ab omni patris dependentia? Tam alte sapiebat Rousseaus, ut hæc, cuique de trivio nota, non viderit.

(2) De jur. bell. & pac. l. 2. c. 5. §. 1.

(3) De jur. nat. & gent. l. 6. c. 2. §. 4.

(4) De Civ. c. 9. §. 2.

(5) Ibidem. (6) Ibidem. (7) Ibidem §. 3.

»do, in statu naturæ, omnis puerpera simul & mater fit & »domina «.

1012 V. Ex ipsomet Hobbesio (1) » Amazones quondam »bella contra hostes gesserunt, & de prole sua suo libitu sta»tuerunt; hodieque pluribus in locis fœminæ sunt cum summo »imperio. Neque de harum filiis statuunt mariti, sed ipsæ: quod »sane jure naturæ faciunt (2) «.

1013 VI. Ex Pufendorfio (3) » Etsi ex substantia nostra »excitetur proles: tamen quia abit in personam nobis simi»lem, & quæ quantum ad jura hominibus naturaliter compe»tentia nobis est æqualis; inde ut nobis fiat inæqualis, seu »ut nostro imperio subjiciatur, alio utique titulo videtur opus »esse«, qui scilicet est socialitas, quæ corrueret, nisi proles à parentibus educarentur; item consensus præsumptus, & tacitus liberorum; præsumitur enim, infantes usu rationis destitutos, libenter, si possent, consensuros in commodam sui educationem.

Prop. *Patria potestas non potest oriri* I. *neque ex mera occupatione*, II. *neque ex sola civili societate*, III. *neque ex socialitate, & pacto præsumpto, & tacito*; IV. *sed oritur ex generatione conjuncta cum debito educandi, instituendique liberos*; V. *estque utrique parenti communis, principalius tamen residet in patre.*

1014 Prob. 1. p. adversus Hobbesium. Si patria potestas oriretur ex mera occupatione liberorum, quisquis eos, etiam invitis parentibus, per vim detineret, jus haberet patriæ potestatis, essetque legitimus eorum possessor: qui enim jus habet in rem, quam occupat, legitimus est possessor. Absurdum est autem dicere, fures, & raptores alienorum filiorum esse legitimos possessores, dum eos injuste occupant, ac detinent. Patria igitur potestas à mera occupatione nequit oriri (4).

1015 Prob. 2. p. contra Rousseaum. Si ex sola civili societate orta fuisset patria potestas, ii qui ante omnem civilem

(1) Ibidem.

(2) Hæc Hobbesii inepta argumenta Pufendorfius refert iisdem pæne verbis, nec ullam adhibet responsionem.

(3) Loc. cit. §. 4.

(4) Vide S. Thomam 2. 2. q. 66. a. 6. ad 2.

societatem vixerunt, nullum in proprios filios jus regendi, & gubernandi habuissent: in hoc enim jure consistit patria potestas, ut dictum est (1). Id autem est contra finem, & institutum conjugii ex demonstratis (2); imo est contra ipsam civilem societatem, quæ dari numquam potuisset ordinata ad bonum commune, nisi filii à parentibus fuissent recte educati, & instituti. Patria igitur potestas oriri non potuit ex sola civili societate (3).

1016 Jam hinc probata remanet 3. prop. p. contra Pufendorfium, quod ad socialitatem pertinet: nam id quod est prius, oriri non potest ab eo quod est posterius. Potestas autem patria prior est socialitate civili. *Societas domestica*, inquit S. Thomas (4), *est prior quam societas civilis; pars enim est prior toto.* Quod & ipse Pufendorfius sibi minime constans fatetur, ait enim (5): *ni prolem à parentibus educari ponas, vita socialis plane intelligi nequit.* Educatio igitur est causa vitæ socialis: omnis autem causa est, saltem natura, prior effectu. Educatio autem absque patria potestate, quæ dat jus regendi, & gubernandi liberos, ne intelligi quidem potest. Si ergo educatio est prior vita sociali, patria autem potestas est prior educatione; patria potestas est prior societate civili. Quomodo ergo oriri potest à socialitate (6)?

---

(1) §. 1006. (2) §. cit.

(3) Nec dicat Rousseaus, ante omnem civilem societatem homines fuisse sylvestres, nec habuisse certas nuptias, nec proprios agnovisse filios. Id enim jampridem sibi objecerat S. Thomas, inducta Tullii auctoritate; cui tamen respondet in Suppl. 3. p. q. 41. a. 1. ad 2. » Verbum Tullii potest esse verum quantum ad aliquam » gentem, si tamen accipiatur principium proximum illius gentis, per » quod ab aliis gentibus est distincta; quia non in omnibus perdu» citur ad effectum id, ad quod naturalis ratio inclinat: non autem » est verum universaliter, quia à principio humani generis sacra Scri» ptura recitat fuisse conjugia «.

(4) 8. Ethic. lect. 12.

(5) De jur. nat. & gent. l. 6. c. 2. §. 4.

(6) Addi potest, teneri quidem parentes educare, & instituere filios, ut boni sint cives societatis politicæ; sed non hoc fine tantum circumscribenda eorum cura est. Multo magis curare debent, ut sint *cives Sanctorum*, & *domestici Dei*, ut loquitur Apostolus ad Ephes. 2. v. 19. Sed de hac cura Pufendorfius non erat admodum solicitus, qui jus naturale hujus mortalis vitæ terminis circumscribebat.

1017 Nullo autem nititur fundamento, estque omnino fictitium pactum Pufendorfianum præsumptum, & tacitum, ut Hertius ipse (1), & Heineccius (2) non negant. Nam quî pactum præsumptum, & tacitum esse potest cum infantibus, qui non sunt, neque esse possunt sui compotes, durante infantiæ statu? Id erit reliquum, ut etiam cum amentibus, aut ebriis pacta præsumpta, & tacita fingantur.

1018 Accedentes modo ad quartam prop. partem, sic eam demonstramus. Patria potestas est jus regendi, gubernandique liberos, eos educando, atque instituendo, ut dictum est (3). Hoc autem jus oritur à generatione. Parentes enim ideo tenentur filios educare, eorumque institutionem curare, quia parentes sunt: tales autem sunt, quia genuerunt. Jus igitur regendi, & gubernandi filios, eorum educationem, & institutionem curando, quod jus est ipsa patria potestas, oritur ex generatione, cum qua conjungitur educandi, instituendique debitum (4).

---

(1) In not. ibid.

(2) De jur. nat. & gent. l. 2. §. 53. (3) §. 1006.

(4) Hornius l. 1. de Civit. c. 2. §. 3. patriam potestatem repetit à Deo, qui eam communicavit per quamdam commissionem, ac delegationem. Pufendorfius loc. cit. id putat *contumeliosum in Deum*. Excipiamus ejus verba: » Qui delegatam potestatem exercet, » eamdem utique cum eo qui delegavit, habet, nisi quod hic eam ut » propriam, ille ut alienam possidet. Atqui abjecte valde de infinita Dei » majestate sentit, qui idem specie imperium, quod in Deo est, in » homunciones cadere arbitratur «. Fuitne in Deum contumeliosus, aut abjecte valde de infinita Dei majestate sensit Apostolus, cum ad Ephes. 3. v. 14. sq. scripsit: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*? aut cum ait ad Rom. 13. v. 1. *Non est enim potestas nisi à Deo*? Quid vero significant verba illa Prov. 8. v. 15. sq. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam*? Nam si absque contumelia in Deum non potest ab ipso repeti patria potestas, nec repeti poterit potestas Regalis. Non est *idem specie imperium* quod in Deo est, & hominibus à Deo communicatur. Nihil *idem specie* potest esse in Deo, & in creaturis. Vide S. Thomam 1. p. quæst. 4. a. 3. Dicitur ergo idem imperium *secundum analogiam*, id est, similitudinem quamdam; quia in Deo est conjunctum cum infinita ejus perfectione, & majestate; in creatis vero Potestatibus limitatum est: quod ipsa vox communicationis indicat; communicatio enim quædam participatio est: participatur

1019 Ex qua ratione sponte sua fluit probatio postremæ partis. Nam prolis generatio communis est utrique parenti; igitur & jus regendi, atque gubernandi prolem ad utrumque spectat. Quia vero pater præcipuam in generatione partem habet, estque familiæ caput; quapropter Apostolus 1. ad Cor. 11. v. 3. ajebat: *caput mulieris vir*: idcirco patria potestas principaliter residet in patre, cujus proinde præceptis magis obtemperandum est, quam matris præceptis, si forte discrepent, modo præcepta patris non discrepent à divinis præceptis, & consiliis. Nam idem Apostolus loco cit. *Volo*, inquit, *vos scire, quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput vero Christi Deus.*

1020 Quæri autem hic potest, an patria potestas queat ad alios transire? Et quidem quod mortuis parentibus transeat ad avos, aviasque, si sint superstites, abs dubio est: nam etsi avi, & aviæ nepotes non genuerint, genuerunt tamen eorum parentes. Similiter transit in tutores, quibus ob parentum mortem commissa est filiorum cura: tutores enim vel ab iisdem parentibus, vel à publica Potestate constituuntur. Transit quoque in illos, qui pueros expositos, & derelictos suscipiunt educandos; hoc ipso enim, quod parentes filios exposuerunt, & dereliquerunt, patriam potestatem amiserunt. Transfertur etiam in cognatos, si filios parentum defunctorum educandos suscipiant: nam qui onus subit educandi, & instituendi, in partem venit potestatis, cui tale onus adnectebatur. In eos item transit patria potestas, qui alienos liberos adoptant; quia licet eos non genuerint reipsa, adoptione tamen debitum suscepere, quod generationem consequebatur. Item in dominos mancipiorum: nam mancipia id quod sunt, domini sunt, ut dictum est (1); Ideoque si habeant filios, hi sunt in patria potestate dominorum. Denique pædagogi, & magistri aliquid participant patriæ potestatis, quatenus ineunt munus educandi, instituendique alienos liberos ipsis commissos (2). Atque hæc quidem spe-

---

autem illud, cujus aliqua pars tantum, non totum accipitur; alioqui participatio non esset. Hæc scisset Pufendorfius, nisi Scholasticos contempsisset. Ad rem quòd attinet, dicimus, patriam potestatem esse quidem communicatam à Deo, non per quamdam superadditam, explicitamque commissionem, aut delegationem, sed per ipsam naturæ legem indicentem parentibus debitum curandi educationem, institutionemque liberorum, quos genuerunt.

(1) §§. 507. et 515.

(2) Necessaria hæc valde sunt ad plures resolvendos casus circa contractus filiorum familias, pupillorum, & minorum, ut explica-

ctato jure naturæ : nam jure civili antiquo multa constituebantur (1), quæ tamen non omnia sunt moribus universim recepta.

1021 Quæri præterea potest, ad quænam se extendat patria potestas ? Et quidem quod nullum jus conferat vitæ, & necis liberorum, certa res est (2); hoc enim jus ad publicam pertinet Potestatem, quæ nec etiam ullum habet nisi in nocentes publico bono, ideoque innocentes non potest morti addicere. In hoc autem peccant parentes, qui ad vitandam infamiam, procurant abortum fœtus etiam ante animationem. Nec etiam tribuit jus exponendi prolem recens natam; id enim est contra finem conjugii. Nullum quoque jus præstat venundandi liberos, nisi tantum in casu, quo parentes non possent ullo modo eos alere, ut supra dictum est (3); tunc enim venundarentur, ne fame perirent.

1022 Itaque patria potestas jus parentibus tribuit jubendi liberis quidquid ad eorum rectam educationem, & institutionem conferre potest; prohibendi quæ huic fini adversantur; eos corripiendi, objurgandi, plectendi, si juste imperatis obedire detrectent (4). Debent autem parentes filiis alimen-

---

vimus in Epit. Nat. Alex. l. 3. p. 2. sect. 5. c. 4. q. 3. Faciunt quoque ad ea resolvenda, quæ de Baptismo non conferendo filiis infantibus infidelium, invitis parentibus, vel iis qui parentibus substituti sunt in patria potestate, disseruntur à S. Thoma 2. 2. q. 10. a. 12. & 3. p. q. 68. a. 10. atque ad ea intelligenda, quæ constituit Benedictus XIV. in duplici Epist. quarum analysim dedimus in eadem Epit. l. 2. tract. 2. c. 7. q. 2.

(1) Ea collegit inter alios Brissonius l. 14. de verb. signific. v. *Potestas* §. 3. ubi ea vide, si lubet; non enim instituti nostri est, de talibus rebus agere.

(2) Quidam putant, in statu naturali patribus familias jus fuisse vitæ, & necis in filios improbos. At si tale jus concedatur, illis est attribuendum, non qua ratione parentes fuissent, sed ut familiæ principes. Certe Adamus nullum tale exercuit jus in Cainum fratricidam. Exemplum autem Thamar, quod profert Heineccius loc. cit. §. 57. de qua præcepit Judas Gen. 38. v. 24. ut combureretur, quia scortata erat, ad rem non facit; tum, quia Thamar erat nurus Judæ, non filia; tum, quia Judas ipse, qui non dubitavit scortari cum illa, quam putavit meretricem, potuit sibi arrogare potestatem, qua destituebatur; Scriptura enim refert, non probat factum.

(3) §. 517.

(4) Parentes dum filios corripiunt (idemque dicendum de pæda-

ta ministrare; eorum vitam, & incolumitatem procurare; eos bonis moribus informare, exempla virtutum præbere (1), arcere à noxiis societatibus, scientiis erudire, aut artibus pro statuum conditione, sive per seipsos, sive adhibitis pædago-

---

gogis, & magistris), præ oculis habeant monitum Apostoli ad Ephes. 6. v. 4. *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Quod repetit ad Coloss. 3. v. 21. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Et hujus ratio est (inquit S. Thomas ibid. lect. 4.) »quia homines retinent impressionem, quam »à pueritia habuerunt. Naturale est autem, quod qui in servitute nu»triuntur, semper sint pusillanimes«. Ut autem idem S. Thomas advertit in cit. c. 6. Epist. ad Ephes. lect. 1. »alius est principatus »patris ad filium, & domini ad servum; quia dominus utitur ser»vo ad utilitatem propriam, sed pater utitur filio ad utilitatem fi»lii. Et ideo necesse est, quod patres instruant filios propter utili»tatem suam, non tamen nimis urgendo, aut subjiciendo... quia ta»lis provocatio non animat ad bonum. Quomodo ergo subdit: *sed »educate illos in disciplina*? scilicet verberum; *& correptione*? sci»licet verborum: id est, corripite eos, & educate, ut serviant Do»mino. Vel *in disciplina*, eos ad bonum inducendo, *& correptione*, »à malis retrahendo«. Mos quidem erat apud Persas utendi liberis tamquam servis, ut refert Aristoteles l. 8. Ethic. eumdemque morem obtinuisse Romæ, in qua patria potestas proxime ad herilem accedebat, ostendit Brissonius de Regno Persarum l. 2. §. 100. Sed hic mos erat perversus; quia, ut idem S. Thomas advertit 8. Ethic. lect. 10. *perversum est, quod aliquis principetur similiter liberis, & servis.* Itaque parentes non iræ impetu, sed charitatis affectu debent filios delinquentes corripere. Caveant porro, ne nimia indulgentia depraventur filii: nam, ut dicitur Prov. 13. v. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Sæpe vero meditentur verba Domini 1. Reg. 3. v. 14. ad Heli, qui non corripuerat filios inique agentes: *Juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus usque in æternum.*

(1) Facta magis movent, quam verba. *In omnibus*, ajebat Apostolus ad Tit. 2. v. 7. *teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Quod & parenti cuique dicendum est; filii enim vitam, & conversationem parentum semper præ oculis habent. Et frustra parentes laborabunt, ut filios arceant à malis moribus, si eis præbeant exempla pravitatis; quisque enim filiorum dicere illis poterit, quod habetur Matth. 7. v. 5. *ejice primum trabem de oculo tuo.* Atque hæc est ratio, quare monita, & correptiones parentum plurimorum suo careant effectu, cum incredibili animarum, & totius Reipublicæ damno.

gis, & magistris (1); præsertim vero illos instituere in iis, quæ ad Religionem pertinent; & in summa nihil negligere, quod conferre ad eorum sive corporalem, sive spiritualem utilitatem possit, ut filii Dei sint, & utilia Reipublicæ membra.

1023 Utrum vero ad parentes pertineat de futuro filiorum statu disponere? Respondemus cum S. Thoma (2), liberos ante usum rationis omnino esse sub cura parentum; ideoque omnino ab ipsis pendere etiam in iis, quæ ad Religionem pertinent, nec quemquam posse, invitis parentibus, illos Ecclesiæ per Baptismum aggregare. Postquam vero ad usum rationis pervenerunt, jam incipiunt esse sui juris in iis, quæ sunt juris naturalis, & divini. Quare possunt & debent, etiam invitis parentibus, sibi de vera Religione providere. Possunt etiam liberi sub patria potestate constituti de statu perfectionis amplectendo deliberare, si parentes sint irrationabiliter inviti. Audiendus est S. Thomas, qui Patrum, ut semper facit, doctrinam sequutus, ait (3): „ Si (parentes) non sint in tali necessitate, „ut liberorum obsequio multum indigeant, possunt, prætermisso „parentum obsequio, filii religionem intrare etiam contra præ„ceptum parentum; quia post annos pubertatis quilibet inge„nuus libertatem habet quantum ad ea, quæ pertinent ad dis„positionem sui status, præsertim in his, quæ sunt divini ob„sequii; & magis est obtemperandum Patri spirituum, ut vi„vamus, quam parentibus carnis, ut Apostolus dicit ad „Hebr. 12. “.

1024 De statu conjugali sic habeto. Tridentina Synodus sess. 24. in Decr. de Reform. Matrimonii c. 1. *eos anathe-*

---

(1) In pædagogis, & magistris deligendis diligentissima adhibenda cura est; vix enim explicari, defleri autem satis ne vix quidem potest, quantopere ad corrumpendos infantum, & adolescentum animos valeant perversi sive pædagogi, sive magistri, præsertim si doctrinis pravis sint imbuti. Cum enim pueri pendeant ex illorum ore, & auctoritate; quidquid ab ipsis accipiunt sive factis, sive dictis, in animo recondunt. Et cum Prov. 22. v. 6. scriptum sit: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*; retinebunt toto vitæ tempore eamdem sive agendi, sive cogitandi perversitatem, qua primum fuerant imbuti, vixque ullum erit remedium, nisi Deus omnipotenti virtute sua eos revocet. Malum autem parentibus adscribetur, & contra ipsos prodita infantium innocentia clamabit.

(2) 2. 2. quæst. 10. art. 12.

(3) Ibidem quæst. 189. art. 6.

mate damnat, qui falso affirmant, matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Non negamus autem, filios peccare, si parentibus inconsultis, vel juste repugnantibus, matrimonium ineunt; peccant enim contra debitum parentibus honorem.

1025 Tandem quæri potest, quousque duret patria potestas? Qua in re certum est, eam perseverare, quousque filii familias sint emancipati. Quando autem emancipatio, & quomodo fiat, alibi diximus (1).

1026 Ad primum respondemus, non ex sola generatione præcisa à quocumque alio debito, sed ex ipsa ut conjuncta cum onere educationis, & institutionis probasse nos patriam potestatem in parentibus (2).

1027 Ad secundum negamus, dominium parentum in filios esse *imperium supremum*: nam & ipsi parentes stant sub imperio, saltem in statu civili. Negamus quoque, imperium supremum ita esse indivisibile, ut non possit pluribus convenire, quatenus unum efficiunt caput. In Aristocratia multi principantur Optimates, in Democratia multi ex populo; nec tamen dividitur imperium, quia imperant, non ut multi sunt, sed ut unam eamdemque habent potestatem (3). In ipso gubernio Monarchico sæpe Imperatores sibi adjunxere collegas. Vir autem, & mulier, licet sint duæ personæ; tamen ut ad generationem concurrunt, sunt una caro. Præterea, etsi nemo possit duobus dominis oppositis, aut disparatis servire; potest tamen quis servire non duobus modo, sed pluribus etiam dominis, si sint subordinati. Uxor autem stat sub potestate viri.

1028 Ad tertium negamus, omnem victorem fieri jure naturæ dominum victi. Anne piratæ, aut grassatores viarum fiunt domini eorum, quos invadunt, & superant? Hobbesius errorem sequitur suum, quo ponit statum hominis naturalem esse statum belli omnium in omnes, ut supra dictum est (4). Puer autem qui nascitur, etsi fuerit in potestate matris, quæ illum gestabat in utero, non tamen fuit in potestate matris, ut victus in potestate victoris. Quare ineptissime Hobbe-

(1) In Epit. Nat. Alex. l. 3. tract. 2. sect. 5. c. 4. q. 3.
(2) Vide §. 1016.
(3) Vide S. Thomam Opusc. 20. lib. 1. cap. 2.
(4) §. 350.

sius arguit ex ipsomet erroneo principio à se statuto. Nec puer ita fuit tunc in matris potestate, ut non fuerit etiam in potestate patris ; is enim cum fœtum genuerit, habuit potestatem super illum etiam contentum in utero matris, cum potestatem maritalem habuerit & in ipsam matrem fœtum continentem.

1029 Ad quartum negamus, unumquemque esse hostem cuique, cui neque paret, neque imperat. Duo fratres inter se neque invicem parent, neque invicem imperant. Quis dixerit, propterea esse inter se hostes ? quomodo autem ex Hobbesianis præmissis inferatur conclusio, *ergo omnis puerpera, in statu naturæ, fit simul mater & domina* ; quis intelliget ? Concedamus, matrem non dedisse vitam filio, ut vires acquireret, & jure esset hostis (quodnam hoc jus repugnans legi naturæ?): an ipsa tantum filio dedit vitam, & non etiam, imo principalius, pater ? Cur ergo tantum puerpera fiet simul mater & domina, & non etiam vir fiet simul pater & dominus ? Permittamus, hostem esse quemquam cuique, cui non paret, neque imperat. Quanam dialectica inferri poterit, matrem tantum esse dominam filii, non item patrem, qui certe nec filio vitam dedit, ut esset hostis ? Sed quid de Dialectica disputamus cum Hobbesio, qui non minus ipsam, quam Deum contempsit ?

1030 Ad quintum respondemus, Amazonum exempla, si vera sunt, nihil concludere ; disponebant enim de prole, non qua matres erant, sed qua regnum gerebant. *Deficiente*, inquit Diodorus Siculus (1), *Scytharum principatu, regnasse fœminas dicunt fortitudine corporum præclaras.* Idemque dicendum de fœminis, quæ summum exercent imperium, cui subditur etiam patria potestas in iis, quæ ad bonum commune Reipublicæ conferunt.

1031 Ad sextum dicimus, prolem excitari quidem à parentibus similem ipsis in natura, non vero quoad statum in quo excitatur; indiget enim nutritione, gubernatione, educatione, & institutione ; ideoque habet quidem proles eadem jura hominibus naturalia, quæ ipsam naturam consequuntur; non habet vero eadem jura, spectato ejus statu. Quoad hæc posteriora jura non est parentibus æqualis, sed eorum imperio subjecta. Non est igitur opus alio titulo sive socialitatis, sive præsumpti, & taciti prolis consensus, ut proles sit subjecta pa-

(1) Lib. 2. cap. 11.

rentum imperio; sed satis est infantiæ, & pubertatis status, qui indiget nutritore, gubernatore, educatore, & institutore.

ARTICULUS II.

Utrum in filiorum educatione ratio servanda sit à Rousseau præscripta.

1032 Impius hic homo opus elaboravit inscriptum *Emile, ou de l' éducation*, quatuor comprehensum tomis, in quibus tantum abest, ut de recta infantium, & adolescentum educatione agat, quin universas pæne in eo congerens impietates, conatur potius incredulos formare; utque faciliorem sibi viam aperiat, ab educatione orditur, persuasus magnos incredulitatem posse progressus facere, si educatio ad eam disponat. Scopus hic esse videtur universi operis, etsi ad multa alia divertatur, ut incautos illudat, atque decipiat. Constituti nobis fines non sinunt opus idem per partes expendere (1), quarum jam aliquas impugnavimus, præsertim cum de Religione revelata egimus. Caput igitur præcipuum Rousseaujanæ educationis attingemus, quo ille constituit, cum pueris, & adolescentibus non

(1) Neque vero necesse est; siquidem ipsemet Rousseaus absurditatem sui systematis intellexit: nam in Præfat. ait: » quand toute » ma méthode seroit chimérique & fausse, on peut toujours profiter » de mes observations... on m' attaquera sans doute, & peut-être » n' aurat-on pas tort. On croira moins lire un Traité d' Education, » que les rêveries d' un visionnaire sur l' Education. Qu' y faire? Ce » n' est pas sur les idées d' autrui que j' écris: c' est sur les miennes. » Je ne vois point comme les autres hommes». *Quamvis tota mea methodus chimerica foret, & falsa, emolumentum tamen semper hauriri ex meis observationibus potest... Oppugnabor abs dubio, & forte non immerito. Putabitur non tam legi tractatus de Educatione, quam delirationes visionarii super Educatione. Quid ergo? Ego quidem haud scribo aliorum utens ideis, sed meis. Ego autem non ut cæteri homines video.* Fallor, ni proprium operis sui characterem vivis coloribus descripserit ipse auctor. Quid refert, aliquas ejus observationes veras esse (nullus est liber, utut impiissimus, qui non aliqua vera contineat), si tota methodus est chimærica, & falsa? Delirationes Roussoji tam multæ, & stultæ sunt, ut recenseri vix possint. Earum sane postrema non est, plus ipsum videre, quam cæteros homines.

esse umquam loquendum neque de Deo, neque de anima, neque de Religione, sed hæc colloquia differenda esse, donec illi perveniant ad ætatem octodecim, aut amplius annorum (1).

1033 Videtur autem ita dicendum, 1. quia nemo debet credere id, quod non potest comprehendere. Infantes autem, & adolescentes non possunt Deum comprehendere, & ea quæ Religio proponit; cum hæc eorum captum in infantiæ, & adolescentiæ statu excedant. Non est igitur in eo statu cum ipsis agendum de Deo, & de Religione (2).

1034 II. Deus, & anima spiritus sunt: spiritualia quoque sunt ea, quæ ad Religionem pertinent. Atqui hæc vox *spiritus* respectu illorum, qui philosophi non sunt, omni sensu destituitur. Infantes autem non sunt certe philosophi. Nomine igitur *spiritus* nihil aliud intelligunt, quam corpus. Si ergo cum eis loquamur de Deo, de anima, de Religione, non constituemus nisi totidem anthropomorphitas, quales fuere universæ nationes, ne exceptis quidem Judæis, & majori etiam Christianorum parte, qui terminos adhibent Spiritus, Trinitatis, Personarum. Dicitur Deus esse ubique, sed etiam aer ubique est, saltem in nostra atmosphæra. Vox *spiritus* in sua origine, non significat nisi *flatum*, & *ventum*. Si ergo pueri assuefiant verbis quæ non intelligunt, facile erit, ut dicant quidquid placet (3).

1035 III. Deus unus non potest cognosci, nisi plures fiant abstractiones, quarum maxima est, qua pervenimus ad cognitionem unius primi Entis. Tantum non valuere universi polythei, & idololatræ, qui Deos sibi confinxere corporeos. Omnis igitur infans qui in Deum credit, necessario est idololatra, aut saltem anthropomorphita (4).

1036 IV. Etiamsi quis ideas acquisierit spiritus, & materiæ, nihilominus remanent incomprehensibiles ideæ actionis animæ in corpus, & actionis Dei in omnia entia. Remanent quoque

---

(1) Multi Rousseaum in hac parte impugnarunt. Jam inde ab anno 1540. noster Javellus errorem præfocarat in opere de Philos. civ. Christ. tract. 3. cap. 12. sic inscripto: *Quod filii prius instruendi sunt in fide Christiana, quam in quacumque humana doctrina.* Bergierus autem Epist. 8. & novissime noster Artaud Rousseaum propius aggressi sunt, isque postremus copiose. Nos etiam nonnulla tetigimus Tom. 3. pag. 611. in not. sed hic proprius est locus agendi fusius.

(2) Emil. tom. 2. versus finem.

(3) Ibidem. (4) Ibidem.

incomprehensibiles ideæ creationis, reductionis in nihilum, ubiquitatis, æternitatis, omnipotentiæ, & cæterorum divinorum attributorum. Quæ quidem ideæ doctis hominibus apparent confusæ, & obscuræ; at respectu infantium nihil habent obscuritatis, quia nihil de illis comprehendunt. Idem dicendum de idea infiniti. Non ergo infantes instruendi sunt de ejusmodi rebus, quas non valent comprehendere (1).

1037 V. Ut admittantur mysteria Religionis Christianæ, oportet saltem comprehendere, ea esse incomprehensibilia. Hujusce autem conceptionis infantes non sunt capaces (2).

1038 VI. Infans qui Christianam Religionem profitetur, tam non intelligit id, quod ipsi proponitur, ut si contraria ei proponantur, libenter assentiatur. Fides infantium, hominumque plurimorum, geographiæ est opus. Infanti qui natus est Romæ, dicitur, Mahometem esse falsum prophetam, & ille sic credit; infanti autem qui natus est Meccæ, dicitur, Mahometem esse Dei prophetam, & ille annuit. Ita cum infans dicit, se credere in Deum, non credit nisi Petro, aut Jacobo dicenti, esse rem quampiam, quæ Deus appellatur (3).

1039 VII. Quod dicitur, oportere credere in Deum, ut quis salvus fiat, verum est de viro philosopho, qui ratione utitur ad Deum cognoscendum; at vero absolute obtineri salus potest, quin Deus cognoscatur. Nonne infantes qui decedunt ante usum rationis, salvantur, si baptismum receperunt, quin credant in Deum? Nonne idem dicendum de amentibus? Omnis ergo difficultas in eo sistit, ut exploretur, utrum infantes ad septimum ætatis annum pervenientes, capaces, necne, sint cognoscendi Deum. Id autem non pertinet ad aliquem fidei articulum, sed simplex observatio est historiæ naturalis (4).

1040 VIII. Si homo morbo affectus, quo sit privatus usu facultatum spiritualium, potest salutem consequi, quin Deum cognoscat; cur non & sylvestris homo, qui numquam potuit reflexiones suas elevare usque ad cognitionem Dei (5)?

1041 IX. Veritas annuncianda non est iis, qui nequeunt eam intelligere; ita enim loco veritatis substitueretur error. Melius est ergo nullam Divinitatis ideam habere, quam de ipsa formare ideas abjectas, phantasticas, injuriosas, eaque indignas; & minus malum est Deum non cognoscere, quam contumelia afficere. Et si semel in infantium animis difformes Divinitatis ima-

(1) Ibidem. (2) Ibidem. (3) Ibidem.
(4) Ibidem. (5) Ibidem.

gines sint impressæ, eæ perseverabunt toto vitæ tempore, nec alium umquam agnoscent Deum, quam illum infantiæ (1).

Prop. *Impium, & contradictorium seipso est Roussoji systema circa filiorum educationem; & cum ejusdem Roussoji principiis pugnat.*

1042 Quod impium sit, demonstratur à S. Thoma (2), qui illud jam prævidit, confoditque; agens enim de iis, quæ parentes præstare filiis debent: » Tertio *inquit*, documentum (debent). Hebr. 12. (v. 9.) *patres quidem carnis nostræ eru-*» *ditores habuimus*; & Eccli. 7. (v. 25.) *Filii sunt tibi? eru-*» *di illos.* Et debent parentes dare duo documenta filiis, & » cito, quia, ut dicitur Prov. 22. (v. 6.) *Adolescens juxta* » *viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et Thren. 3. (v. 27.) *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab ado-*» *lescentia sua.* Et sunt illa, quæ docuit Tobias filium suum, Tob. » 4. (v. 23.) scilicet timorem Domini, & abstinere ab omni pec-» cato «. Addi etiam potest quod dicitur Ecclesiastæ 12. v. 1. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Et 1. Joann. 2. v. 13. sq. *Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem.* Quomodo autem meminissent, aut cognovissent, si nihil omnino de Deo audissent? Ex quibus sic: Systema, quod opponitur verbo Dei in Scripturis tradito, impium est. Tale autem est systema Roussoji de filiorum educatione, ut ex descriptis Scripturarum textibus constat. Est igitur impium.

1043 Et sane cum experiendo quoque comperta sit veritas proverbii, quod tale erat ab ipsa Salomonis ætate, adolescentes scilicet ne in ipsa senectute quidem recedere à via, quam tenuerunt in adolescentia; si semel ita essent educati, ut usque ad decimum octavum, aut vigesimum ætatis suæ annum, in doctrina de Deo, de anima, de Religione nullo modo fuissent eruditi, perpetuo in earum rerum ignoratione manerent (3).

---

(1) Ibid. Hæc, & non alia sunt Roussoji sophismata, quæ ipsius pæne verbis describere duximus, ut postea constet ex eorum solutionibus, quantus ille philosophus fuerit, & quantopere ineptierit.

(2) Opusc. 4. c. *de quarto legis præcepto.*

(3) Is forte Roussojanus conatus erat, ut omnem Dei cognitio-

1044 Impium quoque est relinquere pueros jam ratione utentes, & adolescentes, usque ad provectam ætatem viginti circiter annorum, in Dei, & Religionis ignoratione, ita ut ne semel quidem ad Deum assurgant, qui ipsis dedit esse, & jugiter conservat, quique ultimus eorum est finis. Si enim iniqui in Rempubl. parentes forent, qui filios suos ad eam usque ætatem relinquerent in omnium rerum ignoratione, quibus illi pro statuum conditione publicis rationibus utiles fierent; quanto magis in Deum peccabunt nihil curantes, ut in ipsius Dei, ac Religionis notitia erudiantur?

1045 Est insuper Roussoji systema directe oppositum doctrinæ Christi, qui in Evangelio, quod quidem pro humani generis eruditione in viâ salutis perscriptum est, voluit, ut homines instituerentur, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* (ut vult Roussojus), *sed in ostensione spiritus, & virtutis*, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. 2. v. 4. Hæc paucis de systematis impietate.

1046 Nunc de contradictione. Atque ex Roussoji sectatoribus petimus, num pueri devenientes ad usum rationis, usque ad vigesimum ætatis annum peccare possint? Si dixerint, non posse peccare, paradoxum dicent, quod risu excipiendum erit: nam & ipsa lex humana punit delicta adolescentum, etiam ante ætatem viginti annorum patrata. Quis dixerit, juvenem quindecim, aut sexdecim annorum non peccare, si quempiam occidat, si furetur, si virginem constupret? Imo in ea ætate intensus solet esse passionum æstus, atque tumultus. Peccare igitur ii possunt, & sæpissime peccant. Quod negare ne ipse quidem Rousseaus potest, qui Æmilii pædagogo imponit, ut ejus cor ab omni vitio præservet (1). Jam si peccare adolescentes possunt, necesse est, ut ipsis lumen rationis affulgeat, quo legem naturæ cognoscant; peccatum enim cum sit contra ordinem rationis, est contra legem naturæ, ut dictum est (2). Nemo autem peccat, qui lumine rationis destituitur; pecca-

---

nem, & Religionem proscriberet. Nam si tantopere fuit solicitus, ut Æmilius in scientiis humanis erudiretur; quare atheisticam ei educationem præscripsit? Ad rem sunt verba Sap. 13. v. 9. *Si tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo hujus dominum non facilius invenerunt?* Eritne difficilius cognoscere existentiam Dei, in quo vivimus, movemur, & sumus, quam abstracta theoremata Algebræ, & Geometriæ?

(1) Emil. tom. 2. pag. 138. sq. (2) §. 250.

tum enim ideo imputatur, quia est voluntarium : voluntarium autem pendet ab electione, quæ fieri nequit absque rationis judicio. Si ergo adolescentes peccare possunt contra legem naturæ, habent sufficiens lumen rationis, quo eam legem cognoscant. Cultus autem Dei est inter prima naturæ præcepta, & immediate infertur ex primis principiis practicis, ut supra (1) demonstravimus cum S. Thoma. Si ergo adolescentes rationis lumine prædíti legem naturalem cognoscunt, cognoscunt etiam, Deo cultum deberi. Deum igitur ipsum, cui cultus debetur, saltem aliqua ratione cognoscunt; alioqui nec cognoscere quidem possent, ei cultum deberi. Religione autem Deo cultus exhibetur. Dei igitur, & Religionis notitiæ illi sunt capaces. Systema autem Roussojanum statuit, eos omnino talis cognitionis incapaces esse. Essent igitur, & non essent capaces. Essent quidem ex demonstratis; non essent ex Roussoji systemate. Quod contradictionem implicat.

1047 Præterea petimus, an adolescentes octodecim, aut viginti annorum possint de seipsis deliberare. Si negetur, immensa prodibit turba eorum, qui in ea ætate, & sæpe etiam ocyus, de statu deliberant. Possunt igitur deliberare. Atqui deliberare nihil aliud est, quam seipsum ordinare ad finem; deliberatio enim est de mediis in ordine ad finem. Illi igitur adolescentes possunt se ordinare ad finem. Finis autem ultimus, ad quem homo debet se ordinare, saltem cum primo deliberat, est Deus; nisi enim Deum tamquam finem ultimum sibi præstituat, rationem finis ultimi constituet in creaturis, atque hoc ipso peccabit, ordinem rationis pervertendo. Ut autem ea ordinatio fiat, oportet, finem esse præcognitum; non enim possumus incognita amare. Necesse igitur est, ut ii qui primo deliberant, possint Deum cognoscere, ut in eum tamquam in ultimum finem se ordinent. Porro talem cognitionem habere non possunt in systemate Roussojano. Possent igitur simul, & non possent in ea ætate Deum cognoscere. Non possent ex Roussojo; possent ex demonstratis. Quæ est aperta contradictio (2).

1048 Sed accedamus ad ejusdem Roussoji contradictiones, quas si omnes vellemus recensere in hoc doctrinæ genere, transcribenda forent integra ejus volumina. Paucas seligimus. Ac primum quidem Rousseaus fatetur (3), *nullum esse periculosius*

(1) §. 291. (2) 1. 2. q. 89. a. 7.
(3) Emil. tom. 1. pag. 138. edit. an. 1774. » Le plus dange-

vitæ humanæ intervallum, quam illud, quod intercedit à nativitate usque ad ætatem duodecim annorum. Est enim id tempus, in quo germinant errores, & vitia, quin adhuc sit ullum instrumentum ad ea destruenda; & cum instrumentum advenit, radices sunt adeo profundæ, ut tempus non sit amplius eas evellendi. Bene habet. Si ergo possunt in ea ætate tam facile pullulare errores, & vitia, tamque altas radices jacere, oportet aliquod adhibere instrumentum, ne pullulent, aut si pullularint, ut statim evellantur. Quodnam erit hoc instrumentum, nisi inspirare illis virtutum amorem, vitiorum horrorem, timorem pœnarum alterius vitæ, amorem, & venerationem summæ Dei bonitatis, & majestatis? nam vitia, quorum scaturigines intrinsecæ sunt, non caventur nisi per actus oppositos; cor enim humanum ita est constitutum, ut non possit aliquid non amare, ideoque si virtutes non amat, necessario debet amare vitia. Nihilominus Rousseaus præscribit educationem negativam. *Prima*, inquit (1), *educatio debet esse mere negativa. Ipsa non consistit quidem in doctrina virtutum, & veritatis, sed in præservatione cordis à vitio, & spiritus ab errore.* At quomodo cor, quod ab amando cessare non potest, præservabitur à vitio, nisi amet virtutes vitio oppositas? Quomodo mens, quæ cessare non potest ab intelligendo, præservabitur ab errore, nisi ei manifestetur veritas, aut saltem id, quod est veritati conformius?

1049 Deinde ipsemet Roussojus fatetur (2), *hominem semper redire ad suas antiquas consuetudines, nec unquam amittere, etiam in senectute, gustum voluptatum, quas infans amavit.* Si ergo infans consuetudinem habuit usque ad ætatem viginti annorum numquam cogitandi de Deo, & de Religione, ad hanc consuetudinem semper redibit; nec in ipsa senectute amittet gustum sensibilium voluptatum, quas infans amavit.

» reux intervalle de la vie humaine est celui de la naissance à l'âge » de douze ans. C'est le temps où germent les erreurs & les vices, » sans qu'on ait encore aucun instrument pour les détruire; & quand » l'instrument vient, les racines sont si profondes, qu'il n'est plus » temps de les arracher».

(1) Loc. cit. pag. 139. » La premiere éducation doit donc être » purement négative. Elle consiste, non point à enseigner la vertu » ni la vérité, mais à garantir le cœur du vice, & l'esprit de l'erreur «.

(2) Emil. tom. 1. pag. 187. » L'homme revient toujours à ses » anciennes pratiques, & ne perd pas même dans sa vieillesse le goût » des plaisirs qu'il aimoit enfant «.

Quid ergo proficiet Æmilii pædagogus, cum ei jam excedenti ætatem illam, notitiam Dei, & Religionis communicabit?

1050 Insuper idem Roussojus hanc pro Æmilii educatione præscribit regulam (1): *Si efficitis, ut adolescentes ad novam transeuntes ætatem, molestiam præcedentis non capiant; utque novas ineuntes consuetudines, antiquas non deserant . . . tunc solum vestrum propositum consequemini, vobisque poteritis de eis spondere usque ad suorum dierum postremum.* Roussojo igitur præcipiente, ut propositum obtineatur in infantium educatione per totam vitam, necesse est, ut nullum ipsi capiant tædium præcedentis ætatis, nec relinquant veteres, cum novas ineunt consuetudines. Atqui eodem Roussojo præcipiente, infantes, & adolescentes usque ad vigesimum ætatis annum nihil debent cogitare, aut scire de Deo, & de Religione. Oportet ergo, ut hujus ætatis, & status ignorantiæ, in quo degerunt, nulla eos molestia capiat; nec deserant in sequentibus vitæ annis antiquam consuetudinem nihil cogitandi de Deo, & de Religione; alioqui frustratum erit educationis propositum. Quid est hoc aliud, quam velle, homines per totam vitam Deum, & Religionem ignorare? aut si hoc non est, quomodo Roussojus cum suis cohæret principiis?

1051 Principia item Rousseau sunt, mulieres *esse semper instar magnorum infantium* (2); *respectu vero populi, perinde ac respectu infantium, spiritum nihil aliud esse, quam corpus* (3). Infantibus autem neque Deus annunciandus est, neque Religio, ex Roussoji præcepto, quia eorum intelligentiam excedunt. Igitur mulieribus, & populo semper infantibus numquam erit annunciandus Deus, numquam cum eis erit de Religione loquendum. Si enim semper sunt infantes, numquam capaces erunt cognoscendi res divinas. Eodem autem Roussojo affirmante (4), *populus componit genus humanum; id quod non est po-*

(1) Emil. tom. 4. pag. 287. «Si vous faites qu'en passant dans un »nouvel âge, les jeunes gens ne prennent point en mépris celui qui »l'a précédé; qu'en contractant de nouvelles habitudes, ils n'aban»donnent les anciennes. . . alors seulement vous aurez sauvé votre »ouvrage, & vous serez sûr d'eux jusq'à la fin de leurs jours«.

(2) Emil. tom. 2. pag. 112. »Sont toujours de grands enfans«.

(3) Ibid. pag. 223. »Un esprit n'est qu'un corps pour le peu»ple & pours les enfans«.

(4) Ibid. pag. 147. »C'est le peuple qui compose le genre »humain; ce qui n'est pas peuple, est si peu de chose, que ce n'est »pas la peine de le compter«.

pulus, tam parva res est, ut non oporteat eam in numero habere. Si ergo populo addantur universæ mulieres, & infantes, & adolescentes usque ad vigesimum ætatis annum; quinam, nisi paucissimi, reliqui erunt, quibus possit annunciari Deus, ac Religio? Sinemus ergo, genus humanum ferme totum in ignorantia Dei, & Religionis permanere? Quid, si addamus universos pauperes, quorum certe in quavis civitate magnus est numerus, quosque Roussojus (1) *ab omni educatione immunes facit*? Quinam restabunt, quibus Deus, & Religio erit annuncianda? Restabunt Roussojani alumni dumtaxat, videlicet ii qui, ut Roussojus, dicunt (2), *mysteria dari, quæ non modo non potest homo concipere, sed ne quidem credere*, ut, ipso auctore, est SS. Trinitatis mysterium. Cum hisce alumnis de Deo, & de Religione loquentes, quid proficiemus, nisi ante incredulitatem deponant suam? En progressus Roussojanæ educationis.

1052 Sed cur inutiliter tempus terimus in contradictionibus describendis hujusce hominis, qui tot ferme paradoxa protulit, quot sententias, & de seipso fassus est (3), *amare se melius esse paradoxorum, quam præjudiciorum hominem*; quasi inter paradoxa, & præjudicia nihil sit medium; quique præterea systema finxit, quod ipsemet *imaginarium* appellat (4); & imparem se professus est obeundo muneri præceptoris infantium?

1053 Ad primum negamus, nihil nos debere credere, quod non possimus comprehendere. Fides enim divina est de rebus excedentibus humanam comprehensionem; ea siquidem, quæ per rationis evidentiam cognoscimus, non credimus, sed scimus (5). Porro non modo infantes, & adolescentes non valent Deum comprehendere, sed nemo unus est qui id valeat, præter Deum solum, qui cum sit infinitus, cognoscit se, quantum est cognoscibilis (6). Homines mortales, quamlibet do-

(1) Emil. tom. 1. pag. 40. » Le pauvre n'a pas besoin d'édu» cation «.

(2) Ibid. tom. 2. pag. 227. sq. » Il y a des mysteres qu'il est » non seulement impossible à l'homme de concevoir, mais de croire, » & que je ne vois pas ce qu'on gagne à les enseigner aux enfans, » si ce n'est de leur apprendre à mentir de bonne heure «.

(3) Ibid. tom. 1. pag. 138. » J'aime mieux être homme à paradoxes, qu'homme à préjugés «.

(4) Ibid. pag. 34. sq. (5) Vide S. Thomam 2. 2. q. 1. a. 4.

(6) Confer eumdem S. Thom. 1. p. q. 12. a. 7.

ctrinis, ingenio, & eruditione valeant, vident Deum *per speculum in ænigmate*, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. 13. v. 12. id est, per creaturas, in quibus relucet Divina Majestas. Per hoc autem speculum vident Deum & ipsi infantes, postquam ad usum rationis pervenerunt, præsertim si ab aliis admoneantur: nam quid facilius est, quam ex rebus creatis assurgere ad Creatorem (1)? Imperfecta quidem est eorum cognitio; sed imperfecta quoque est cognitio cujuscumque hominis etiam doctissimi (2), si cum Divina superexcellentissima perfectione conferatur. Quid ergo? nesciendus erit Deus ab homine doctrinis exculto, quia non potest in hac vita pertingere ad cognoscendum Deum perfecte? Sciat Roussojus, omnes homines ante Deum non modo parvulos, & pygmæos esse, sed tamquam momentum stateræ, tamquam guttam roris antelucani, & tamquam nihilum. Quisque autem ratione utens, etiamsi puer sit, potest à magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter Creatorem horum videre, ut dicitur Sap. 13. v. 5.

1054 Ad secundum negamus, vocem *spiritus* omni sensu destitui penes illos, qui philosophi non sunt; id quod Roussojus adsumpsit tamquam certum, sed minime probavit. Si puerum quemlibet eruditum in doctrina Christiana interrogasset, an Deus sit corpus, negasset ille certe: nam hoc est unum ex capitibus doctrinæ Christianæ, in qua eruditur pueri. Quid autem ille ad ethnicas nationes appellat, quæ degebant in errorum tene-

---

(1) Vide quæ diximus Tom. 1. §. 356. sqq. & Tom. 5. §. 1191.

(2) Audiamus quid ipse dicat Roussojus, qui tantum de se præsumebat, ut cæteris lectiones daret. Emil. tom. 3. pag. 41. de Deo loquens, ait: » Il se dérobe également à mes sens & à mon » entendement; plus j'y pense, plus je me confonds. Je sais tres- » certainement qu'il existe, & qu'il existe par lui même. . . mais si » tôt que je veux le contempler en lui-même, si tôt que je veux » chercher où il est, ce qu'il est, quelle est sa substance, il m'echap- » pe, & mon esprit troublé n'apperçoit plus rien «. *Ipse æque meos sensus, atque intelligentiam subterfugit; quo plus de ipso cogito, eo magis confundor. Scio equidem certissime, ipsum existere, & per seipsum existere. . . si tamen eum contemplari volo in seipso, si quærere ubi est, quid est, quænam ejus substantia; adsequi nequeo, meusque spiritus perturbatus nihil amplius percipit.* Si hæc Roussojo contingebant, an propterea arcendus erat à Dei cognitione? Cur ergo arcendi erunt infantes, qui æque possunt cognoscere Deum esse, & à seipso esse, etiamsi non valeant cognoscere, quid ipse sit, & quænam ejus substantia?

bris ? Apud eas non infantes solum, sed & viri, & senes errabant, si paucos Doctos excipias. Hoc est autem beneficium maximum, quod per Christum sumus consequuti, ut etiam vulgares homines, ipsique infantes sciant, quod miseri illi ob eorum superbiam nesciebant. Quod dicitur de Judæis, calumnia est; nam licet Sadducæi omnem negarent spiritum, cæteri tamen spiritus admittebant. Impudentior calumnia est, quæ affingitur majori parti Christianorum. Vix enim inter Christianos quispiam reperitur (si paucos excipias aut hebetes valde, aut morum corruptissimorum, qui documenta Doctrinæ Christianæ addiscere negligunt, suntque propterea inexcusabiles), qui ignoret, Deum esse purissimum spiritum omnis materiæ expertem. Hoc genus hominum Roussojus facilius reperisset inter suos, qui Deum à materia minime secernunt, iisdemque, quibus ipse, utuntur exemplis, & sophismatibus, nimirum quod aer etiam sit ubique, & nomen *spiritus* flatum, & ventum significet (1). Itaque pueri in doctrina Christiana instructi, cum dicunt, Deum esse spiritum, intelligunt quod dicunt, & dicunt non quidquid placet, sed quod Ecclesia magistra veritatis docet.

1055 Ad tertium respondemus, duplicem esse posse cognitionem Dei in iis, quæ naturaliter de ipso cognoscere possumus: alteram scientificam, & per demonstrationem; alteram, quæ habetur per fidem. Si de prima sermo fit, non diffitemur, opus esse maxima abstractione, cujus infantes, & vulgares homines ordinarie non sunt capaces. Alteram vero ii omnes habent, qui documenta Fidei sectantur. Ab hac fide cum polythei longissime abessent, mirum non est, quod sibi Deos corporeos confinxerint. Christiani autem infantes, vulgaresque homines, & mulieres in Deum fide divina credentes, ipsum agnoscunt ut spiritum purissimum; ideoque neque idololatræ sunt, neque anthropomorphitæ (2).

---

(1) Vide quæ diximus Tom. 5. §. 738. ex Auctore syst. nat. cujus sophismata Roussojus reproducit.

(2) Adeatur S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 4. ubi ostendit, necesse esse credere etiam ea, quæ naturali ratione de Deo probari possunt; idque 1. quia scientia de Deo præsupponit multas alias scientias, & idcirco homo non nisi post multum tempus vitæ suæ ad Dei cognitionem perveniret. 2. quia multi nequeunt in scientiæ studio proficere vel ob ingenii hebetudinem, vel ob alias occupationes, & necessitates temporalis vitæ, vel etiam ob pigritiam addiscendi. 3. ut certitudo sit major, quia & ipsi philosophi in multis quæ de Deo sunt, erraverunt. Exemplum suppeditat Roussojus, qui non ita turpiter

1056 Ad quartum responsio patet ex dictis (1); etenim infantes, & vulgares homines ea omnia credunt, quæ de creatione, de immensitate, æternitate, omnipotentia, infinitate, cæterisque Divinis attributis Fides credenda proponit; credunt item, animam in corpus suum agere, & Deum in res omnes; neque de his rationem, aut demonstrationem quærunt, ut docti homines; ideoque hi confusas, & obscuras ideas habent, si illorum attributorum, & arcanorum velint naturam curiosius perscrutari; illi non item: sat eis est, intellectum captivare in obsequium Fidei. Prov. 25. v. 27. scriptum est: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Quod quidem Roussojo, cæterisque incredulis contigit; nam, ut ibid. dicitur c. 11. v. 5. *Justitia simplicis diriget viam ejus: & in impietate sua corruet impius.*

1057 Ad quintum negamus, non posse infantes comprehendere, mysteria Fidei esse incomprehensibilia; hoc enim ipso quod sciunt, esse supra omnem rationem humanam (quod & ipsa ratio, qua jam utuntur, & Ecclesiæ doctrina eis proponit) sciunt quoque, illa comprehendi minime posse: si enim possent comprehendi, jam non essent supra rationem humanam.

1058 Ad sextum dicimus, Roussojanum sophisma id ad summum probare, infantes ut veritatis, ita falsitatis susceptibiles esse: quod utinam falsum esset non de infantibus solum, sed de tam multis hominibus, præsertim de illis, qui in Dei sapientia non cognoverunt per sapientiam Deum, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. 1. v. 21. sed minime probat, infantes non intelligere id, quod ipsis proponitur: nam & qui falsum amplectuntur, intelligunt quod amplectuntur; nisi enim intelligerent, ne falsum quidem amplecterentur; imo ideo falsum amplectuntur, quia illud putant verum; quandoquidem mens non potest assentiri falso, nisi proponatur tamquam verum, cum verum sit ejus objectum. Rousseaus ergo nihil concludit, dum ait, infantes nihil intelligere, cum ipsis proponitur Christiana Religio, quia æque assentirentur, si contraria proponerentur. Quinimo

---

errasset, si Fidei documenta fuisset sectatus. Interea quisque videt, Roussojanum sophisma jam multis sæculis fuisse difflatum à S. Thoma, qui etiam q. 14. de ver. a. 10. eadem repetit, universaque Roussoji sophismata adversus necessitatem doctrinæ revelatæ iisdem ferme ejus verbis sibi objicit, & in nihilum redigit. Conferantur argumenta, & responsiones præfati art. cum iis, quæ descripsimus §. 676. sqq.

(1) §. præced.

sibi ipsi contradicit, & ignorat quid loquatur: nam si assentiuntur Religioni Christianæ, oportet, ut intelligant id cui assentiuntur; assensus enim est actus intellectus. Quomodo ergo assentirentur, nisi intelligerent? Dicendumne erit, oculum nihil videre, cum reipsa aliquid videt? Idem affirmandum de illis, quibus proponitur falsa religio: nam si ei assentiuntur, utique intelligunt; alioqui ne assentirentur quidem. Sed hæc est peregrina Roussoji philosophia, negare intelligentiam iis, qui actu intelligunt assentiendo. Non ignoramus, ipsum nomine intelligentiæ accipere comprehensionem, ita ut quidquid non comprehenditur, ne dici quidem possit intelligi. Sed in hoc ipso vehementer decipitur; oporteret enim omnem fidem etiam humanam excludere: nam quæ creduntur, intelliguntur quidem, sed minime comprehenduntur; alioquin essent scita, non credita.

1059 Quod addit, fidem infantium, & plerorumque hominum esse Geographiæ opus, sequela est ejus *indifferentismi*, de quo jam supra dictum est (1). Non loquimur de doctrina, quæ infantibus, aliisque hominibus traditur in diversis mundi regionibus. Scimus, multos fuisse educatos, & educari in plerisque sectis, quæ falsæ sunt. Quid autem? An ideo Religio Catholica non erit vera? An ii qui alias sequuntur sectas, non aberrant à veritate? Quænam igitur sunt eæ illationes: Multi infantes, & plerique homines ambulant in errorum tenebris, ergo infantibus universim non est annuncianda vera Religio? ergo fides infantium est Geographiæ opus? Si multi errant, quia educantur in falsis sectis, cur cæteri in vera Religione non erunt educandi, ne errent? Sic autem Roussojus habeat: non à Geographia, sed à gratia Dei, cujus donum est Fides, pendere veræ Religionis professionem. Hanc gratiam impertitur misericorditer Deus iis infantibus, quos in veræ Fidei, & Religionis mysteriis facit erudire. Sat autem ii intelligunt, cum credunt Ministris Ecclesiæ Catholicæ mysteria Fidei proponentibus, & explicantibus ex ipsius Ecclesiæ doctrina. Incrementum autem dat ille, qui ex ore infantium, & lactentium perficit sibi laudem propter inimicos suos, ut destruat inimicum, & ultorem, ut dicitur Psal. 8. v. 3.; & qui ait Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.*

1060 Itaque infans natus Romæ, aut in qualibet Catholi-

(1) Not. 3. §. 761.

ci orbis parte, credit utique, Mahometem esse falsum prophetam, quia sic ei dicitur: in hoc autem non fallitur, quia ille qui dicit, veritatem dicit, invictisque demonstrare rationibus potest. Infans autem natus Meccæ, dum credit, Mahometem esse verum prophetam, credit, quia dicitur; sed fallitur, quia qui dicit, falsum dicit, nec ulla ratione falsitatem suam potest confirmare. Exemplum ergo id tantum ostendit, infantes suscipere veritatem, & falsitatem posse. At numquid erit propterea abstinendum à veritate eis annuncianda, ne falsitati adhæreant? Si credentes, Mahometem esse falsum prophetam, veritatem credunt, cur non eis erit hæc veritas declaranda? Et si credentes, Mahometem esse verum prophetam, falluntur, cur non erunt ab hac falsitate revocandi? Sed ii non intelligunt quod eis dicitur. Etiamsi id concederemus, quod tamen saltem de universis dici nequit, quid inde? an non interea priores illi veritatem, posteriores falsitatem amplectuntur? Verum cur otio abutimur adversus hominem, qui postquam *tolerantismum*, & *indifferentismum* in Religionis negotio invexit, alio incredibili scelere hoc scelus cumulavit, ac Mahometis superstitionem, æque ac Judæorum perfidiam prætulit fidei Christianorum (1), hæcque Æmilio suo instituendæ vitæ præcepta dedit?

---

(1) Emil. tom. 3. pag. 106. » Nous avons trois principales Religions en Europe. L'une admet une seule révélation, l'autre en admet deux, l'autre en admet trois. Chacune deteste, maudit les deux autres, les accuse d'aveuglement, d'endurcissement, d'opiniâtreté, de mensonge. Quel homme impartial osera juger entre elles, s'il n'a premiérement bien pesé leurs preuves, bien écouté leurs raisons? Celle qui n'admet qu'une révélation, est la plus ancienne, & paroît la plus sûre; celle qui en admet trois, est la plus moderne, & paroît la plus conséquente; celle qui en admet deux, & rejette la troisieme, peut bien être la meilleure, mais elle a certainement tous les préjugés contr'elle; l'inconséquence saute aux jeux «. *Tres præcipuas in Europa Religiones habemus. Prima unam tantum revelationem admittit, altera admittit duplicem, tertia triplicem. Quælibet earum duas reliquas detestatur, ac maledicit, easque cæcitatis accusat, obstinationis, pertinaciæ, mendacii. Quis vero à partium studio remotus audebit judicium inter illas ferre, nisi prius accurate perpenderit earum probationes, rationesque audierit? Ea quæ unam revelationem admittit, antiquior est, & videtur esse securior: ea quæ triplicem admittit, est recentior, & consequentior videtur: ea quæ admittit duplicem, & tertiam rejicit, potest quidem esse melior, sed habet certe adversus seipsam omnia præjudicia; in-*

1061 Denique tametsi Roussojo daremus, infantes omnes qui credunt in Deum, non credere nisi ei qui dicit, Deo esse credendum; an propterea non crederent verum? Quare ergo non esset cum eis loquendum de Deo? Sed errat ille, cum putat, infantes ratione utentes credere in Deum, unice quia eis dicitur; nam & qui dicunt, admonent, Deum esse primam veritatem, cui revelanti nemo possit non credere.

1062 Ad septimum respondemus, nemini omnino posse aditum ad salutem patere, qui in Deum non credat. Infantes ipsi qui post baptismum decedunt ante rationis usum, etsi non crediderint per seipsos, crediderunt tamen per alios, ut cum S. Augustino (1) ostendit S. Thomas (2). Idem dicendum de amentibus à nativitate; nam si qui amentes facti sunt ex morbo, debuerunt ante credere in Deum per seipsos, cum sani erant, ut spem salutis haberent. Quia tamen Roussojus de proprio cujusque actu credendi videtur loqui, assignamus manifestam disparitatem inter pueros ante usum rationis, & ipsos postquam ad usum rationis pervenerunt. Actus fidei est actus intellectus, cujus est credere. Deus autem à nemine exigit id, quod

---

consequentia patet ad oculum. Quænam est ea Religio, quæ unam revelationem admittit, nisi Judaica, quæ vetus Testamentum dumtaxat ut revelatum agnoscit? Quænam est illa, quæ admittit duplicem, nisi Religio Christiana, quæ præter vetus Testamentum admittit etiam novum? Quænam est, quæ triplicem revelationem agnoscit, nisi Mahometana, quæ veteres Judæorum Prophetas non aspernatur, & Christum habet ut unum ex illis, addit vero Mahometem tamquam maximum Prophetarum? Harum nulla absolute secura est, Roussojo auctore; *securior* tamen videtur illi esse Judaica, quæ est antiquior. Cur non eam Roussojus est amplexus? nam si in cæteris rebus securior pars est eligenda, maxime in Religionis negotio. Fortasse illum deterruit antiquitas, & quod *consequentior* ei visa est superstitio Mahometis recentior. At si neque ad Judaismum, neque ad Mahometismum declinavit; cur impius Mahometismum prætulit non Judaismo solum, sed Christianismo, quem dixit habere adversum se omnia præjudicia, & ejus *inconsequentiam* ad oculum patere? Ferendine sunt ejusmodi libri, qui spurcissimam Mahometis sectam sanctissimæ præferunt Religioni Christianæ? En quo demum devenerunt instructiones Æmilianæ Roussoji, ut si tandem aliqua probanda sit Religio revelata, ad Mahometismum, quod *consequentior* sit, Æmilius debeat accedere. Quis non horret animo ad ejusmodi lectiones?

(1) Epist. 98. al. 23. (2) 3. p. q. 68. a. 9.

absolute non potest. Si ergo pueri sacro abluti baptismate ante usum rationis, absolute non possunt elicere actum fidei, Deus talem actum ab ipsis non exigit, nec is proinde necessarius est ad eorum salutem; ad quam satis sunt fidei, spei, & charitatis habitus, qui simul cum gratia sanctificante in baptismate infunduntur, & qui in actus procederent, si cessarent obstacula, & pueri vellent eos elicere. At cum pueri perveniunt ad usum rationis, jam auferuntur obstacula; ideoque in culpa ipsi sunt, nisi eos actus eliciant. Observatio autem historiæ naturalis non est circa debitum cognoscendi Deum, ut quis salvus fiat, post adeptum rationis usum; hoc enim non pendet à physica constitutione corporis; sed fides est, quæ docet necessitatem talis cognitionis in eo qui ratione utitur: nam, ut ait Apostolus ad Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Physica observatio est circa tempus, quo lumen rationis affulget pueris; nec fides aliquid circa tale tempus decernit; in quibusdam enim usus rationis acceleratur ante septennium; in quibusdam aliquatenus retardatur etiam post septennium; communius tamen experiendo constat, circa septennium pueros incipere ratione uti. Audiendus est S. Thomas (1), qui postquam docuit, peccare mortaliter puerum, cum usum rationis habere incipit, nisi ordinet seipsum ad Deum, *secundum quod in illa ætate est capax discretionis*, ait (2): *A peccato omissionis prædictæ non liberabitur, nisi quam cito potest, se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de ipso* (scilicet Deo) *cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Zach.* 1. Tantum igitur abest, ut puer ad annos discretionis perveniens, non possit credere in Deum, quin teneatur ex Dei præcepto ad ipsum se convertere. Idque animadvertant parentes, & puerorum institutores, ut eis sæpe in memoriam revocent Deum, ut cum primum capaces fuerint, in Deum statim se ordinent.

1063 Ad octavum de homine morbo correpto, privatoque usu facultatum spiritualium jam patet responsio ex dictis (3). Ad hominem vero sylvestrem quod spectat, jam supra ostendimus (4), falsum esse, non posse illum assurgere ad Dei

(1) 1. 2. quæst. 89. art. 6. (2) Ibidem ad 3.
(3) §. præced. (4) Not. 2. §. 183.

cognitionem, cum ad discretionis annos pervenit.

1064 Ad nonum negamus, non posse infantes usu rationis utentes, aliquam imperfectam, veram tamen, Dei ideam habere: id quod Roussojus adsumpsit, sed in toto suo opere numquam probavit. Nam licet illis, ut & cæteris hominibus etiam doctissimis, cum cogitant de Deo, obversetur imago aliqua corporalis; possunt tamen ex seipsis scire, multoque magis, si admoneantur, imaginem illam esse phantasticam, & non ad intellectum, sed ad imaginationem pertinere. Intellectus autem Deum concipit ut spiritum infinite perfectum. Et quamvis non possit in hac vita scire, quid sit illa infinita Dei perfectio; scit tamen, quod ipsa est, nec potest non esse infinita: quod sufficit, ut formet imperfectam ejus ideam.

1065 Hæc de Roussoji deliriis. Nunc pauca addimus de recta infantium, & adolescentium, quoad animi culturam pertinet, institutione, ex qua æterna eorum salus, & familiarum, ac Reipublicæ utilitas plurimum pendent. Itaque parentes, & puerorum magistri satagant eos erudire, etiam ante adeptum rationis usum, in principalioribus rudimentis Catholicæ Religionis, ac primum omnium ut muniant se signo sanctæ Crucis, & morem servent, de quo Tertullianus scribebat (1): »Ad omnem pro»gressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, »ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lu»mina, ad cubilia, ad sedilia, quocumque nos conversatio »exercet, frontem Crucis signaculo terimus«. In hoc enim signaculo compendium Fidei nostræ continetur. Item ut symbolum Fidei addiscant, & pro eorum captu intelligant; ut Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, numerum Sacramentorum, & in summa compendium Doctrinæ Christianæ memoria teneant. Eis autem inspirandus est Dei cultus, timor, & amor; obsequium erga Sanctissimam Deiparam, & Sanctos, ut eorum patrocinium, & intercessionem pie invocent. Moneri etiam sæpe debent, ut sint erga pauperes misericordes, ut neminem lædant, ut veritatem semper dicant, ut omnes ament propter Deum, ut virtutes excolant. Hæc prima puerorum animis committenda sunt semina, quæ certe si fuerint exculta, copiosam virtutum referent messem.

1066 Postquam vero puerilem excesserunt ætatem, & adolescentiam sunt ingressi, curandum est, ut pro statuum condi-

(1) L. de Virgin. veland. cap. 3.

tione, aut liberalibus, aut mechanicis instruantur artibus, quo utilia fiant Reipublicæ membra. Providendum est autem diligentissime, ne in magistros, aut pædagogos incidant, qui eis tradant documenta impietatis, aut licentiæ. Assidua etiam & solicita impendenda est opera, ut eorum expendantur mores, & in scientiis, aut artibus profectus. Removenda ab eis sunt peccandi pericula, ac potissimum consortia illorum, qui sunt de Religione, aut de honestate suspecti. Puellæ ad verecundiam, & ad modestiam componendæ sunt, arcendæ à consuetudine extraneorum, compellendæ, ne otio torpeant. Denique parentes in filiorum institutione exemplum Tobiæ sibi proponant, & quæ ille filio suo Tob. 4. documenta tradidit, eadem & ipsi sæpe in filiorum suorum animos influant.

ARTICULUS III.

Quænam sint filiorum erga parentes officia.

1067 Quia S. Thomas (1) omnia paucis est in hac re complexus, ejus describimus verba. » Filii, *inquit*, à paren»tibus habent esse, nutrimentum, & disciplinam. Et quia »esse ab eis habemus, debemus eos magis revereri, quam do»minos, à quibus solum res, præterquam Deum, à quo ha»bemus animam. Eccli. 3. (v. 8. sqq.) *Qui timet Dominum, ho»norat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genue»runt. In opere, & sermone, & omni patientia honora pa»trem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo.* Et in hoc »etiam honoras teipsum, quia sicut dicitur Eccli. 3. (v. 13.) »*Gloria hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine »honore.* Item, quia dant nobis nutrimentum in pueritia, & nos »debemus eis dare in senectute. Eccli. 3. (v. 14. sqq.) *Fili »suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita »illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum »in virtute tua . . . Quam malæ famæ est, qui derelinquit pa»trem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem . . . .* »Item tertio, quia docuerunt nos, debemus eis obedire. Coloss. »3. (v. 20.) *Filii obedite parentibus vestris*, nisi scilicet in »his quæ sunt contra Deum. Hieronymus ad Heliodorum: *So»lum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Lucæ 14.

(1) Opusc. 4. de quarto præc. Decalogi.

»(v. 26.) *Si quis non odit patrem suum, & matrem, non potest* »*meus esse discipulus.* Deus enim verior pater est. Deuter. 32. »(v. 6.) *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, &* »*fecit, & creavit te* «? Itaque filii debent parentibus honorem, sustentationem, obedientiam. Quæ autem sint præmia servata filiis, qui parentes honorant, & quæ supplicia inhonorantibus, idem S. Thomas ibid. explicat.

QUÆSTIO XIV.

De mutuis dominorum, & servorum officiis.

1068 Domus perfecta, ut adnotat S. Thomas (1), ex tribus constat societatibus. Prima est *conjugalis*, seu viri, & uxoris. Altera est *paterna*, parentum scilicet, & filiorum. Tertia est *dominativa*, dominorum, & servorum. Quas quidem societates ea considerat moralis Philosophiæ pars, quæ *Œconomica* dicitur. De duabus prioribus jam dictum est. Nunc dicendum de posteriori. Cum autem de servitute plura jam disseruerimus, agentes de jure gentium; pauca restant addenda de officiis dominorum, & servorum, quæ unico brevi expediemus articulo.

ARTICULUS UNICUS.

Expenduntur mutua dominorum, & servorum officia.

1069 Ut supra dictum est (2), servi alii sunt mercede conducti, alii obnoxii, sive mancipia. De conductis dicamus primum. Horum autem quidam conducuntur, ut operas suas in dominorum obsequium locent pro solis expensis victus, & vestitus: atque hi humaniter pro eorum conditione à dominis nutriendi sunt, ut corporis sanitatem, ac robur servare valeant, laboresque sustinere. Quod si domini oppositum fecerint ex avaritia, meminisse debent, scriptum esse Eccli. 34. v. 25. sqq. *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi*

(1) 1. Polit. lect. 2. (2) §. 506.

qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Quidam autem famuli conducuntur sola mercede sine expensis: at his domini tenentur satisfacere pro ratione contractus; ideoque injusti sunt, si pactam mercedem vel non solvant, vel solvere differant. Lev. 19. v. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Et Tobiæ 4. v. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Famulos autem quocumque modo conductos domini non possunt cogere, ut serviant ultra tempus, pro quo convenerunt; nec alias, quam locatas ab eis exigere operas. Si autem permanentes in domo sint, domini curare debent, ne maneant otiosi. Eccli. 37. v. 14. *Tracta cum servo pigro de multa operatione.* Nam, ut dicitur ib. c. 33. v. 29. *Multam malitiam docuit otiositas.* Curare etiam domini debent, ut tales famuli bonis moribus sint imbuti; conversantur enim cum domesticis; & facile totam corrumpent familiam, si ipsi sint corrupti. Si autem deliquerint, corripiendi sunt; non tamen licet eos durius castigare, sed ablegandi sunt, si ad meliorem se revocare frugem nolint. Ut vero domini stare debent legi conductionis, ita & servi conducti. Quare hi tenentur ex justitia præstare operas, pro quibus convenerunt. Tenentur etiam obsequium præstare dominis, & bona fide curare, quæ ad illorum pertinent utilitatem. Si autem infirmi sint, nec valeant servire, non tenentur quidem domini ex justitia eis præstare alimenta, aut mercedem; charitas tamen, & humanitas jubent, ut eis subveniatur.

1070 Quod spectat ad servos obnoxios, sive tales sint jure belli, sive sint emptitii, primum quidem nullum jus domini habent in eorum vitam (1); tale enim jus nemini privato

(1) Inhumana est Thomasii sententia in Fund. jur. nat. docentis, competere dominis in tales servos *potestatem puniendi indefinitam*; itemque sententia Heineccii, qui l. 2. de jur. nat. & gent. §. 84. scribit: *De jure vitæ, & necis domino in hos servos competere posse, nemo negaverit, nisi conventio, vel lex obstet.* Grotius in eadem sententia est l. 3. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 3. *Effecta*, inquit, *juris hujus infinita sunt, ita ut in servum domino nihil non licere dixerit pater Seneca.* Quamvis ib. c. 14. §. 3. addat, hanc jurisdictionem eodem modo esse exercendam, quo publica exercetur, id est, in servos merentes. Verum tale jus nequit omnino dominis attribui. Vide S. Thomam 2. 2. q. 64. a. 3. Et licet Inst. l. 1. tit. 8. *De his qui sui, vel alieni juris sunt*, dicatur: *Apud omnes peræque gen-*

competere potest, nisi tantum in casu justæ defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut supra dictum est (1). Nec etiam jus habent sæviendi contra illos; sunt enim homines ejusdem naturæ (2), & quandoque dominis præstant nobilitate, sapientia, virtute; cujusmodi erant Josephus à fratribus venditus, Tobias, Hester, Daniel, aliique in captivitatem ducti. Abstinere igitur domini debent à quacumque sævitia erga hujusmodi servos.

1071 Possunt tamen domini, imo debent illos coercere, & plectere, si dyscoli sint; moderate tamen, non ut eos perdant, sed ut licentiam frenent. Qua in re præclarum exstat documentum Eccli. 33. v. 25. sqq. quod habere præ oculis debent domini, ne officiis erga mancipia desint aut nimia lenitate, aut nimia severitate. » Cibaria, & virga, & onus asi-»no: panis, & disciplina, & opus servo. Operatur in di-»sciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit »libertatem. Jugum, & lorum curvant collum durum, & ser-»vum inclinant operationes assiduæ. Servo malevolo tortu-»ra, & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet ... »In opera constitue eum; sic enim condecet illum. Quod si »non obaudierit, curva illum compedibus, & non amplifi-»ces super omnem carnem: verum sine judicio nihil facias »grave «. Quibus verbis & potestas declarata dominorum in servos, & modus præscribitur, quem præterire non licet.

1072 Itaque cum servi obnoxii nihil habeant proprii, sed

---

tes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ, necisque potestatem fuisse; ibi tamen sermo est de gentibus barbaris quibusdam, ut erant Scythæ: nam si de universis gentibus intelligatur, falsum est; de Hebræis enim dicitur Exod. 21. v. 20. *Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.* Apud Romanos quoque non licebat sine causa servum occidere, ut in cit. tit. ait Cajus.

(1) §. 487.

(2) Idem Seneca, quem Grotius citat, l. 1. de Clem. c. 18. *In mancipio*, ait, *cogitandum non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis, & pretio paratis jubet.* Nec refert quod Heineccius dicit loc. cit. lib. 1. §. 308. ad quem se remittit, scilicet justitiam non violare, qui rebus suis abutitur. Nam vita servi non est domini, nec corpus servi est sub ejus dominio, nisi ut ipso utatur ad suam utilitatem; ideoque dominus justitiam lædit, non solum si servum occidat, sed etiam si in ipsum sæviat.

sint omnino sub potestate dominorum ; hi tenentur eos alere, etiamsi operas præstare nequeant ob senectutem , vel ob adversam valetudinem. Possunt autem domini eos alienare quocumque justo titulo , tamquam rem suam , nisi aliter sit conventum. Possunt etiam eorum possessionem adversus quempiam vindicare quocumque modo à lege probato. Habent præterea domini jus exigendi à servis operas in propriam utilitatem , in eisque exercere illos debent , non tamen supra vires , ne otio torpentes vitiis indulgeant. Debent autem eis impendere disciplinam; quo nomine non modo castigatio, & coercitio significantur , sed etiam recta institutio in iis , quæ ad fidem , & mores pertinent.

1073 At vero servi debent præstare operas in dominorum utilitatem , eamque pro viribus promovere. Non possunt autem se dominis subducere, præsertim si sint emptitii. Nihil proprium absque domini voluntate adscribere sibi possunt. Tenentur dominis obedire , eosque revereri , quamquam sint dyscoli, prout monet S. Petrus in Epist. 1. c. 2. v. 18. *Servi subditi estote in omni timore dominis , non tantum bonis , & modestis , sed etiam dyscolis.* Denique tam domini , quam servi Christiani ne desint suis officiis, recolant Apostoli verba ad Ephes. 6. v. 5. sqq. »Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in »simplicitate cordis vestri , sicut Christo : non ad oculum ser»vientes , quasi hominibus placentes , sed ut servi Christi ; fa»cientes voluntatem Dei ex animo , cum bona voluntate ser»vientes, sicut Domino , & non hominibus. Scientes , quoniam »unusquisque , quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Do»mino , sive servus , sive liber. Et vos domini eadem facite il»lis , remittentes minas : scientes , quia & illorum , & vester »Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum«.

QUÆSTIO ULTIMA.

De officiis supremarum Potestatum erga subjectos populos, horumque erga illas.

1074 Nimis auderemus, si omnia paucis complecti vellemus , quæ ad postremam Ethicæ partem, quæ *Politica*, sive Civilis dicitur , quacumque ratione pertinere videntur (1). Ita-

(1) Plures eximii Scriptores veteres in hanc rem eruditissimos

que omissis cæteris, ea potissimum seligemus, quæ ad tuendam supremarum Potestatum auctoritatem, retinendosque in earum dependentia, & subjectione populos, adversus recentiores plerosque non tam juris publici tractatores, quam eversores faciunt; universa enim officia sive Imperantium, sive subditorum ab horum subjectione, atque aliorum auctoritate, & potestate manant. Inquiremus igitur 1. de origine Imperiorum (quæ neque gigni, neque stare potuissent absque ulla publica Potestate), an sit repetenda à pacto sociali. 2. an Imperium Monarchicum publicæ conducat utilitati. 3. an eidem conducat Imperium successivum, & cum Primogeniti prælatione. 4. an in Regnis Monarchicis potestas legislativa conveniat populo. 5. demum an liceat insurgere in Principem, si tyrannice imperet.

ARTICULUS I.

Utrum Imperiorum origo repetenda sit à pacto sociali.

1075 Jam supra (1) agentes de statu hominis naturali, Pufendorfium impugnavimus repetentem cum Hobbesio Civitatum, & Imperiorum originem à metu, ut scilicet homines sibi prospicerent adversus mala, quæ ab aliis hominibus metuebant. Diximus quoque, homines in constituendis Imperiis con-

---

scripsere tractatus. S. Thomas opusculum edidit *de Regimine Principum*, quod absolvit Tolomæus Lucensis. Aliud opusculum *de Regimine Principum* tribus libris comprehensum edidit Ægidius Columna Arch. Bitur. Ord. S. August. singulari etiam eruditione refertum. De eodem argumento copiose insuper scripsit noster Chrysostomus Javellus in priori parte suæ *Philosophiæ Civilis Christianæ*, & in Politica Platonis, & Aristotelis. Scripsit quoque Vincentius Castellanus libros IV. *de Officio Regis*, cujus editionem Marpurgensem anni 1597. habemus; estque opus scriptum eleganti stilo, & magna eruditionis sacræ, & prophanæ copia. Exstat item Joannis Marnixii liber Gallico idiomate *de Resolutionibus Politicis*. Item liber Joannis Boteri *de modis optime administrandi Imperii*. Item Gasparis Ens *Schola Politica*. Alios auctores præterimus, ne simus nimii. Satis enim ii sunt, quos memoravimus, ut ostendant, politicam eruditionem & quidem summam minime fuisse desideratam in iis, quæ ignorantiæ dicuntur, sæculis.

(1) Not. ult. §. 407.

venisse natura duce, ne multitudo in diversa absque rectore dispergeretur. Quæ satis quidem videntur esse ad designandam Imperiorum originem. At quoniam Roussojus nescio quod *sociale pactum* finxit, quod omnem supremorum Principum potestatem, ideoque & Imperia in nihilum redigit; oportet de hac re accuratius pertractare; præsertim, quia Roussojana fabula sectatores plerosque habet; inter quos præcipuus est Auctor lib. de delictis, & pœnis, qui inde rationem eruit ad probandum, nullam in supremis Principibus auctoritatem esse plectendi reos pœna mortis (1).

1076 Roussojus ergo, postquam primitivos homines descripsit tamquam totidem belluas errantes per sylvas, absque lege, absque duce, absque ratione, ut supra dictum est (2); denique primas societates agnoscit in familiis, in quibus tamen negat, ullum esse naturale vinculum, nisi quousque filii egent cura patris, ut conserventur: nam si postea uniti permaneant, id esse ait ob mutuam conventionem (3). Hanc fa-

(1) Vide quæ diximus not. 2. §. 487.

(2) Adeantur quæ dicta sunt §. 333. sqq.

(3) De contractu sociali l. 1. c. 2. »La plus ancienne de tou»tes les sociétés, & la seule naturelle, est celle de la famille. En»core les enfants ne restent-ils liés au père, qu'aussi long-temps qu'ils »ont besoin de lui pour se conserver. Si-tôt que ce besoin cesse, le »lien naturel se dissout. Ces enfants exempts de l'obéissance qu'ils »devoient au père, le père exempt des soins qu'il devoit aux en»fants, rentrent tous également dans l'indépendance«. *Societas familiæ est omnium antiquissima, & sola naturalis. Nihilominus filii non remanent patri obstricti nisi pro eo tempore, quo egent ipso, ut conserventur. Statim atque ea necessitate liberantur, naturale vinculum solvitur. Filiis ab obedientia patri debita immunibus, patre vero exempto à curis erga filios; tam is, quam illi in jura independentiæ æque regrediuntur.* Nomine societatis familiæ Roussojus intelligit patrem, & filios. Quomodò autem hæc societas est omnium antiquissima, & sola naturalis? Nam neque filii essent, neque pater esset pater, nisi præcessisset societas conjugalis, quæ certe naturalis est, ut supra ostendimus §. 936. Si autem filii non remanent patri obstricti nisi pro tempore, quo indigent conservari à patre; quomodo Roussojus statim scribit: »Si-tôt qu'il est en âge de »raison, lui seul étant juge des moyens propres à se conserver, de»vient par-là son propre maître«? *Statim ac* (filius) *pervenit ad rationis ætatem, cum ad ipsum solum pertineat judicare de mediis conducentibus ad suam conservationem, hoc ipso evadit suimet dominus.* Eritne infans septem, aut octo annorum, qui, universis

miliæ societatem esse fatetur primum exemplar societatis politicæ; cum hoc tamen discrimine, quod *in familia compensantur curæ paternæ amore filiorum; in Imperio autem amor suppletur imperandi libidine* (1).

1077 Statuit (2) præterea, libertatem esse sequelam naturæ hominis; indeque reprobat *jus fortioris* (3). Multa deinde addit de servitute obnoxia, contenditque, subjectionem potestati Regiæ esse quacumque servitute miseriorem (4). Asserit

---

fatentibus, jam pervenit ad ætatem rationis, licet imperfectæ: eritne, inquam, capax judicandi de mediis ad se conservandum: eritne sui dominus? Quis autem concedit Roussojo, filios non egentes conservari à patre, solutos omnino esse à vinculo naturali, quo obstringebantur, immunesque à quacumque obedientia patri præstanda? Nonne hæc adversantur legi naturæ, qua filii perpetuo tenentur vinculo colendi parentes? Vide quæ diximus §. 1067.

(1) Ibid. » Toute la différence est que dans la famille l'amour » du père pour ses enfants le paye des soins qu'il leur rend; & que » dans l'Etat le plaisir de commander supplée à cet amour que le » chef n'a pas pour ses peuples «. Videte quo loco Roussojus habet universos Imperantes, ut nullo umquam moveantur amore erga subjectos populos, eisque præsint non publici boni promovendi causa, sed unice dominandi libidine. Quænam atrocior injuria, & calumnia? Vix enim ullum reperiri potest Regnum, in quo Princeps nullam habeat curam publici boni; & si umquam daretur, statim concideret.

(2) Loc. cit.

(3) Jus *fortioris* & nos repugnare dicimus, si nomine *fortioris* intelligatur ille, qui sola vi, quæ nullum jus præstat, absque ullo jure legitimo dominari velit; quamvis & is possit evadere legitimus Princeps, si nempe pro tali deinde recognoscatur. At Roussojus non ita de *jure fortioris* loquitur loc. cit. c. 3. nam de eo scribit: » droit » pris ironiquement en apparence, & réellement établi en principe «. *Jus apparenter ironice acceptum, & reipsa constitutum ut principium.* Et paulo post: » Obéissez aux Puissances. Si cela veut dire, » cédez à la force, le précepte est bon, mais superflu; je réponds » qu'il ne sera jamais violé «. *Obedite Potestatibus. Si id significat, cedite vi, præceptum est bonum, sed superfluum; ego quidem respondeo, numquam fore, ut violetur.* Et licet addat, parendum non esse nisi legitimis Potestatibus; id tamen ita intelligit, ut nulla sit potestas legitima, nisi quam quisque habet in societate politica, ut parens sibimet pareat; extra quam potestatem nulla alia sit nisi *jus fortioris.*

(4) Loc. cit. c. 4. » Un homme qui se fait esclave d'un autre, » ne se donne pas, il se vend, tout au moins pour sa subsistance: mais

præterea (1), oportere gubernium arbitratium, ut sit legitimum, singulis generationibus subjici populi arbitrio, sed tunc arbitrarium minime fore. Tum de jure imperia occupandi, armisque

---

» un peuple pourquoi se vend-il ? Bien-loin qu' un Roi fournisse à ses » sujets leur subsistance, il ne tire la sienne que d' eux. . . Les su- » jets donnent donc leur personne à condition qu' on prendra aussi » leur bien? Je ne vois pas ce qu' il leur reste à conserver «. *Homo qui se in alterius servitutem tradit, non se utique donat, sed vendit, saltem pro sua subsistentia: at populus quanam ratione se vendit? Tantum abest, ut Rex subsistentiam subditis præstet suis, quin ab eis ipse suam hauriat. . . Subditi ergo seipsos tradunt ea conditione, ut bonis propriis spolientur? Quidnam ipsis quod servent, reliquum sit, non video.* Malignus homo dominium politicum confundit cum dominatione mancipiorum, cum tamen illud sit liberorum, non servorum dominium. Non se vendunt populi, cum dominationi Regiæ se subjiciunt, multoque minus dominium amittunt in propria bona, ut amittunt mancipia. Accipit quidem Rex vectigalia, & tributa, sed non tam subsistentiæ propriæ sustinendæ causa, ad quam fortasse non valde multæ requirerentur divitiæ, quam publici boni promovendi causa: & iniquissime mentitur qui dicit, maximam partem bonorum ærarii Regii non in publicum bonum impendi. Quod si Rex in regendo populo curas impendit suas, cur non erit justum, ut populus ea suppeditet, quæ ad illius conservandam dignitatem faciunt? Quidquid ergo Roussojus dicit, putidissimum est mendacium, excogitatum ad promovendas seditiones in populis.

(1) Loc. cit. » Il faudroit donc, pour qu' un gouvernement arbi- » traire fût légitime, qu' à chaque génération le peuple fût le maî- » tre de l' admettre, ou de le rejetter: mais alors ce gouvernement » ne seroit plus arbitraire». *Ut gubernium aliquod arbitrarium legitimum foret, oporteret, populum in quavis generatione dominum esse ipsum admittendi, rejiciendive; tunc vero tale gubernium non esset amplius arbitrarium.* De quibusnam generationibus loquitur Roussojus? Homines quotidie nascuntur, & moriuntur. Si valeret quidpiam quod ipse dicit, non *posse* scilicet *parentes stipulare pro filiis eos absolute, & irrevocabiliter donando*; necesse foret, ut singulis diebus novæ à filiis stipulationes fierent super admissione, vel rejectione imperantium. Atque hæc quidem erat Roussoji intentio, ut quandocumque populis placeret, retinerent Reges, aut rejicerent; sicque gubernium Regium esset omnino precarium. Si hæc ad praxim redigerentur (nam opera Roussoji, utut proscripta, multorum teruntur manibus, ut plurimæ testantur diversæ editiones), quid non esset timendum?

populos subjiciendi ait (1), ipsum nihil differre à lege fortioris. Ex quibus infert, necessario adscendendum esse ad aliquam primam conventionem (2). Pro qua explicanda *pactum sociale* excogitavit. Itaque ad ipsum explicandum, tale constituit problema fundamentale, quod per contractum socialem solvi posse dicit (3): *Invenire unam associationis formam, quæ defendat, & protegat ab omni vi communi personam, & bona cujuslibet associati, & per quam unusquisque se uniens cæteris, non obediat nisi sibimetipsi, & liber ut ante remaneat.* Ut hanc associationis formam inveniat, unam tantum requirit conditionem (4), scilicet *totalem alienationem, quam quisque associatus facit omnium suorum jurium toti communitati*; ex qua alienatione colligit (5), *unumquemque associatum, dando se omnibus, nemini se dare; & cum nullus sit associatus, supra quem non acquiratur idem jus, cui ceditur supra se, acquiritur proinde æquivalens ejus quod amittitur, & plus virium ad conservandum id quod habetur.* Denique contractum socialem ad hos terminos redigit (6): *Quisque nostrum ponit in communi suam personam, omnemque suam potentiam sub suprema directione voluntatis generalis; & nos conjunctim recipimus quodlibet mem-*

---

(1) Ibid. Qua doctrina injustitiæ, & usurpationis damnat quamcumque occupationem etiam ex bello justo.

(2) Loc. cit. cap. 5.

(3) Ibid. c. 6. » Trouver une forme d'association qui défende & » protége de toute la force commune la personne & les biens de » chaque associé, & par laquelle chacun s'unissant à tous n'obéis- » se pourtant qu'à lui même & reste aussi libre qu'auparavant. Tel » est le problême fondamental dont le contrat social donne la » solution «.

(4) Ibid. » Ces clauses bien entendues se réduisent toutes à une » seule, savoir l'aliénation totale de chaque associé avec tous ses » droits à toute la communauté «.

(5) Ibid. » Chacun se donnant à tous ne se donne à personne; & » comme il n'y a pas un associé sur lequel on n'acquiere le même » droit qu'on lui céde sur soi, on gagne l'équivalent de tout ce » qu'on perd, & plus de force pour conserver ce qu'on a «.

(6) Ibid. » Chacun de nous met en commun sa personne & toute » sa puissance sous la suprême direction de la volonté générale; & » nous recevons en corps chaque membre comme partie indivisible » du tout «.

brum ut partem indivisibilem (1) *totius* (2); eoque (3) actu ci-

(1) Quis umquam Scholasticorum tam multiplices, implicatasque abstractiones fecit, & quidem in re gravissima? Nihilominus Roussojus, si ejus audiamus asseclas, summus fuit Philosophus, Scholastici bardi.

(2) Hucusque piissimus æque, ac doctissimus Philosophicæ hujus Summæ Auctor: nam anno 1784 subita fere morte, incredibili sodalium suorum luctu, v. nonas Octobris extinctus, neque extremam hanc quæstionem, neque alia quæ inchoaverat opuscula, præsertim vero Dissertationem adversus Barbeyracum *de Patrum morali doctrina*, quam hujus voluminis not. 1. §. 18. pollicitus fuerat, absolvere potuit.

(3) Ibid. » A l'instant, au lieu de la personne particuliere de » chaque contractant, cet acte d'association produit un corps moral » & collectif, composé d'autant de membres, que l'assemblée a de » voix; lequel reçoit de ce même acte son unité, son *moi* commun, » sa vie & sa volonté. Cette personne publique, qui se forme ainsi » par l'union de toutes les autres, prenoit autrefois le nom de *Cité*, » & prend maintenant celui de *République* ou de *corps politique*, le- » quel est appellé par ses membres *Etat* quand il est passif, *Sou-* » *verain* quand il est actif, *Puissance* en le comparant à ses semblables. » A l'égard des associés ils prennent collectivement le nom de *Peu-* » *ple*, & s'appellent en particulier *Citoyens*, comme participant à l'au- » torité souveraine, & *Sujets*, comme soumis aux loix de l'Etat «. *Statim loco personæ peculiaris cujusque contrahentis hic actus associationis producit corpus morale, & collectivum, compositum tot membris, quot conventus suffragiis, quod recipit ex hoc eodem actu suam unitatem, suum* ego *commune, suam vitam, & suam voluntatem. Hæc persona publica, quæ ita formatur ex unione omnium aliorum, vocata olim fuit* Civitas, *& nunc vocatur* Respublica, *aut* corpus politicum, *quod appellatur ratione suorum membrorum* Status, *quando est passivum*; supremus Princeps, *quando est activum*; Potentia *comparate ad corpora sui similia. Respectu associatorum, isti collective dicuntur* Populus, *& peculiariter* Cives, *ut supremæ auctoritatis participes*, & Subditi *ut legibus Status subjecti.* Et lib. 2. cap. 4. » Comme la nature donne à chaque homme un pouvoir abso- » lu sur tous ses membres, le pacte social donne au corps politique » un pouvoir absolu sur tous les siens, & c'est ce même pouvoir » qui, dirigé par la volonté générale, porte, comme j'ai dit, le nom » de souveraineté «. *Quemadmodum natura tribuit unicuique homini potestatem absolutam in omnia sua membra, pactum sociale politico corpori potestatem absolutam in omnia sua largitur; & hæc eadem potestas à generali voluntate directa, suprema, ut jam dixi, potestas vocatur.*

vilem societatem coaluisse, & supremam imperandi potestatem obtinuisse contendit, atque adeo imperiorum originem à pacto sociali esse repetendam.

1078 Videtur autem ita statuendum, 1. quia jus (1) ordinis socialis à natura non oritur ; ergo oritur à contractu hominum, qui in societatem coierunt.

1079 II. Nullus (2) homo naturalem auctoritatem habet in sui similes ; ergo conventiones sunt basis totius auctoritatis legitimæ inter homines ; sed pactum sociale est fundamentum omnium conventionum : ergo ex pacto sociali repetenda est origo totius legitimæ auctoritatis.

1080 III. Ex pacto (3) sociali variæ imperiorum formæ profectæ sunt : ergo & ipsa imperandi potestas.

Prop. *Imperiorum origo repetenda non est à pacto sociali.*

1081 Prob. ratione desumpta à S. Thoma (4). Humana societas sine imperandi potestate stare nullo modo potest: nam si cuique fas esset facere, quod liberet, multitudo distraheretur. Sed potestas, sine qua humana societas stare nullo modo potest, est illi naturaliter innata ; etenim quælibet res (5) naturaliter conservat se in esse, & corrumpentibus resistit quantum potest. Igitur imperandi potestas humanæ societati est naturaliter innata : igitur in illam ex voluntaria hominum conven-

(1) Ibid. lib. 1. cap. 1. » L' ordre social est un droit sacré, qui sert » de base à tous les autres. Cependant ce droit ne vient point de » la nature ; il est donc fondé sur des conventions «. *Ordo socialis est jus sacrum, quod omnium aliorum est basis. Verum hoc jus à naturâ non fluit ; nititur ergo conventionibus.*

(2) Ibid. cap. 4. » Puisqu' aucun homme n' a une autorité na- » turelle sur son semblable... restent... les conventions pour base » de toute autorité légitime parmi les hommes «. *Quoniam nullus homo naturalem auctoritatem habet in sui similes... reliquum... est, ut conventiones sint basis totius legitimæ auctoritatis inter homines.*

(3) Lockius de civili Regimine c. 7.

(4) Vide testimonia S. Thomæ descripta §§. 339. & 385. Vid. etiam §. 435. Confer nostrum Franciscum à Victoria relectione 3. de potestate civili n. 1. sqq. & Eminentissimum Gherdil *De l'etat de societé* ad calcem opusculi, *De l'homme sous l'empire de la loi.*

(5) S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 5.

tione non manavit, cum, Roussojo (1) quoque fatente, quod ex ipsa rerum natura oritur, ab hominum conventionibus non pendeat: ergo imperiorum origo repetenda non est à pacto sociali.

1082 Præterea, in sacris Litteris potestas à Domino Regibus (2) dari, & qui potestati resistit, Dei ordinationi (3) resistere di-

---

(1) Ibid. l. 2. cap. 6. » Ce qui est bien & conforme à l'or» dre, est tel par la nature des choses indépendamment des con» ventions humaines «. *Quod bonum est, & ordini consentaneum, ejusmodi est ex natura rerum, & independenter ab humanis conventionibus.*

(2) Prov. 8. v. 15., & 16. » Per me reges regnant, & legum » conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & poten» tes decernunt justitiam «. Et Sapient. 6. v. 2. & sqq. » Audite » ergo reges, & intelligite, discite judices finium terræ. Præbete au» res vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis na» tionum: Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab » Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabi» tur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, » nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei » ambulastis «. Huc quoque pertinent illa Christi Domini ad Pilatum verba Joann. 19. v. 11. » Non haberes potestatem adversum me ullam, » nisi tibi datum esset desuper «.

(3) Rom. 13. v. 1. & 2. » Omnis anima potestatibus sublimioribus » subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo » ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. » Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt «. Ad quæ S. Thomas lect. 1. in citat. cap. » Regia potestas, vel cujuscumque al» terius dignitatis potest considerari quantum ad tria. Uno quidem » modo quantum ad ipsam potestatem: & sic est à Deo, per quem » reges regnant, ut dicitur Proverb. 8. Alio modo potest conside» rari quantum ad modum adipiscendi potestatem: & sic quandoque » potestas est à Deo; quando scilicet aliquis ordinate potestatem » adipiscitur, secundum illud Hebr. 5. *Nemo sibi honorem assumit,* » *sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*: quandoque vero non est » à Deo, sed ex perverso hominis appetitu, qui per ambitionem, » vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur: Amos 6. » *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* » Tertio modo potest considerari quantum ad usum ipsius: & sic » quandoque est à Deo; puta cum aliquis secundum præcepta divinæ » justitiæ utitur concessa sibi potestate, secundum illud Proverb. 8. » *Per me reges regnant*, &c. Quandoque autem non est à Deo; » puta cum aliqui potestate sibi data utuntur contra divinam justi-

citur, ac princeps Dei minister (1) appellatur : ergo imperia Dei naturæ auctoris (2) ordinatione, non hominum pactis conventis nituntur.

1083 Ad hæc, pactum sociale est omnino commentitium. Etenim nullum ejus in veteribus scriptoribus, qui civilium societatum origines memoriæ hominum prodiderunt, vestigium exstat : rursus potestatis, qua civilem societatem instructam esse oportet, firmum esse fundamentum nequit. Nam quemadmodum communi civium consensu initum fuit, ita solvi (3) potest. Nihil enim (4) tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. Quis igitur, nisi absurdo ingenio, imperiorum originem ab eo esse repetendam statuat?

1084 Insuper, gentes omnes antiquas regibus paruisse historici (5) testantur, atque hoc civilis imperii genus omnium

---

» tiam, secundum illud Psalm. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum* «.

(1) Ibid. v. 3. & 4. » Principes non sunt timori boni operis, » sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac : & habebis laudem ex illa : Dei enim minister est tibi in bonum. Si » autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. » Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit «.

(2) Cum dicimus, imperia Dei naturæ auctoris ordinatione niti, de imperiis generatim, non speciatim loquimur. Non enim illis assentimur, qui imperia speciatim à Deo immediate proficisci volunt. Neque hoc ex indicatis testimoniis efficitur, ut est à pluribus, ac novissime à nostro Thoma Cerboni de jure, ac legum disciplina lib. 27. c. 2. §. 2. demonstratum.

(3) De contract. social. l. 1. c. 7. » Il n'y a ni ne peut y avoir » nulle espece de loi fondamentale obligatoire pour le corps du peu» ple, pas même le contrat social «. *Nec exstat, nec exstare potest species ulla legis fundamentalis, qua corpus populi obstringatur, ne ipse quidem contractus socialis.* Et lib. 3. c. 18. » Il n'y a dans l'Etat » aucune loi fondamentale qui ne se puisse révoquer, non pas mê» me le pacte social ; car si tous les Citoyens s'assembloient pour » rompre ce pacte d'un commun accord, on ne peut douter qu'il ne » fût très légitimement rompu «. *Nulla est in Statu fundamentalis lex, quæ revocari non possit, ne ipse quidem socialis contractus. Nam si cives omnes congregarentur, ut hoc pactum communi consensu dissolverent, dubitari non potest, quin legitime dissolveretur.* Næ præclare constitutam societatem, quæ tam infirmo fundamento nitatur! Quid enim populi voluntate mobilius?

(4) L. 35. §. de regulis juris.

(5) In libris Genesis, Numerorum, & Josue sæpe regnorum, &

primum fuisse ipsa ratio suadet. Nihil enim verisimilius, quam hominibus domestico imperio, quod unius est, assuetis, de forma imperii in societatis regimine constituenda primum consultantibus, monarchicam reipublicæ gubernandæ rationem (1) oblatam. Igitur ex contractu sociali imperia non sunt orta.

Regum ; Aristocratici, vel Democratici regiminis numquam fit mentio. Neque à sacris prophani historici dissident. Etenim Justinus lib. 1. scribit : » Principio rerum, gentium, rationumque imperium penes » reges erat «. Pausanias quoque l. 9. de Bœotiis : » In regum & hos » fuisse priscis temporibus imperio, satis omnibus constat. Tota enim » Græcia olim regibus paruit, quum nondum respublicæ institutæ » fuissent «. His adde Ciceronem lib. 3. de Legibus ajentem : » Ut ad » citeriora veniam, & notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus » quondam paruerunt «. Non me latet, Pufendorfium de jure nat. & gent. l. 7. c. 5., & Roussojum de contract. social. l. 3. c. 5. primarum societatum civilium regimen fuisse aristocraticum asserere. Verum isti nullum afferunt, aut afferre possunt veterem scriptorem, cujus testimonio assertionem suam confirment. Quamobrem eos nihil moror. Quamquam etsi primas societates aristocratice administratas fuisse constaret, hinc etiam firmum argumentum ad contractus socialis systema labefactandum educeretur. Ex quo intelligitur, quanto mentis acumine fuerit Roussojus, qui id non viderit. Nam quod ait, juniores in illam regiminis formam consensisse, eadem qua ab eo facilitate affirmatur, ab aliis negari potest ; ac si negetur, nulla à Roussojo potest ratione ostendi, quo nihil est in homine, qui philosophus haberi velit, turpius. Fac autem ostendi posse. Regimen illud fuisset simul aristocraticum, ita namque Roussojus ponit ; & non fuisset, quandoquidem exercitium dumtaxat potestatis apud patres familias mansisset, suprema vero potestas apud omnes.

(1) Ex domestici imperii forma profectam fuisse formam, qua primum civiles societates administratæ sunt, tradit Aristoteles Polit. l. 1. inquiens : » Primum rege regebantur civitates, & nunc adhuc gen» tes, ex subjectis enim regi. Omnis enim domus regitur à senissimo «; quem locum in expositione libri ejusdem lect. 1. ita S. Thomas illustrat : » Dicit ergo. . . quod quia ex multiplicatione prolis consti» tuta est vicinia, ex hoc processit, quod à principio quælibet civitas » regebatur à rege, & adhuc aliquæ gentes habent regem, etsi singulæ » civitates singulos reges non habeant, & hoc ideo, quod civitates » & gentes constituuntur ex his, qui subjecti sunt regi. Quomodo » autem signum hoc respondeat præmissis, ostendit per hoc quod » subditur. Quia omnis domus regitur ab aliquo antiquissimo, sicut » à patrefamilias reguntur filii. Et exinde contingit, quod etiam tota » vicinia, quæ erat instituta ex consanguineis, regebatur propter cogna-

Nam forma imperii, quam socialis contractus postulat (1), est popularis.

» tionem ab aliquo, qui erat principalis in cognatione, sicut ci-» vitas regitur à rege. Unde Homerus dixit, quod unusquisque uxori, » & pueris suis instituit leges, sicut rex in civitate. Ideo autem hoc » regimen à domibus, & vicis processit ad civitates, quia diversi » vici sunt, sicut civitas dispersa in diversas partes, & ideo antiqui-» tus habitabant homines dispersi per vicos, non autem congregati in » unam civitatem. Sic ergo patet, quod regimen regis super civita-» tem, vel gentem processit à regimine antiquioris in domo, vel vico «. Lockius autem de regimine civili c. 7. præter hanc rationem aliam affert, quod nempe monarchica imperii forma simplex esset, quæque per se obji-ceretur mentibus hominum, qui experientia non didicerant, quam varia imperiorum genera institui possent. Ineptit vero Pufendorfius, dum loco cit. consequentiam in argumento Aristotelis nullam esse pugnat, quin probabilem causam, cur nulla sit, adducat, imo adducere omnino nequeat.

(1) Hoc ex Roussoji testimoniis, quæ producta sunt, constat, multoque clarius ex aliis, quæ producemus, constabit. Igitur Rousso-jus de contr. social. lib. 2. c. 6. scribit » J' appelle... République » tout Etat régi par des loix, sous quelque forme d' administration » que ce puisse être: car alors seulement l' intérêt public gouverne, & » la chose publique est quelque chose. Tout Gouvernement légitime » est républicain «. *Rempublicam voco quemcumque statum legibus directum sub aliqua administrationis forma, quæcumque esse hæc possit: nam tunc solum utilitas publica gubernat, & res publica est aliquid. Quodlibet regimen legitimum est regimen reipublicæ.* Et not. 1. verbis istis subjecta: » Je n' entends pas seulement par ce mot une Ari-» stocratie ou une Démocratie, mais en general tout gouvernement gui-» dé par la volonté générale, qui est la loi. Pour être légitime il ne » faut pas que le Gouvernement se confonde avec le Souverain, mais » qu' il en soit le ministre: alors la monarchie elle-même est répu-» blique «. *Hoc nomine non intelligo tantum Aristocratiam, aut Democratiam, sed generatim omne regimen directum à voluntate generali, quæ est lex. Ut sit legitimum, non oportet, ut regimen confundatur cum supremo Principe, sed ut sit ejus minister: tunc monarchia ipsa est respublica.* Et lib. 3. cap. 1. » Ceux qui prétendent que l' acte » par lequel un peuple se soumet à des chefs, n' est point un con-» trat, ont grande raison. Ce n' est absolument qu' une commission, » un emploi dans lequel, simples Officiers du Souverain, ils exercent » en son nom le pouvoir dont il les a faits dépositaires, & qu' il peut » limiter, modifier, & reprendre quand il lui plaît, l' aliénation d' un » tel droit étant incompatible avec la nature du corps social, & con-» traire au but de l' association «. *Qui contendunt, actum, quo po-*

1085 Postremo in contractu sociali homo se, libertatem

pulus capitibus se subdit, non esse contractum, optimo jure id contendunt. Hic absolute est commissio, munus, in quo illi, ut simplices supremi Principis ministri, ejus nomine exercent potestatem, quam apud eos deposuit, & quam potest limitibus circumscribere, ad certam formam redigere, & iterum sumere, ubi ipsi libeat, cum ejus juris alienatio componi cum natura corporis socialis non possit, & associationis fini adversetur. Et lib. 3. cap. 16. » Il est absurde & » contradictoire que le Souverain se donne un supérieur ; s' obliger » d' obéir à un maître, c' est se remettre en pleine liberté. De plus, il » est évident que ce contrat du peuple avec telles ou telles personnes » seroit un acte particulier. D' où il suit que ce contrat ne sauroit » être une loi ni un acte de souveraineté ; & que par conséquent il » seroit illégitime «. *Absurdum est, ac repugnans, à supremo Principe superiorem sibi præfici : obstringere se ad obediendum domino, est se in perfectam libertatem restituere. Præterea patet, hunc populi cum his, aut illis personis contractum peculiarem actum fore. Ex quo sequitur, hunc contractum esse non posse legem, vel actum supremæ potestatis, atque adeo illegitimum futurum.* Et c. 18. postquam iterum inculcavit, actum, quo regimen constituitur, non esse contractum, sed legem ; depositarios potestatis exequutivæ non esse dominos populi, sed ministros, atque hos à populo institui, ac dejici à munere ad libitum posse : subdit : » Quand donc il arrive que le peuple institue un » Gouvernement héréditaire, soit monarchique dans une famille, soit » aristocratique dans un ordre de citoyens, ce n' est point un engage- » ment qu' il prend ; c' est une forme provisionnelle qu' il donne à l' ad- » ministration, jusqu' à ce qu' il lui plaise d' en ordonner autrement «. *Cum igitur accidit, ut populus instituat regimen hæreditarium, sive monarchicum in familia quadam, sive aristocraticum in ordine civium ; hæc institutio non est obligatio, qua se obstringat ; est forma, quam ad modum provisionis administrationi dat, quousque aliter illi decernere libeat.* Postremo in statis populi comitiis duo hæc initio proponi, & de ipsis suffragia separatim ferri vult. 1. » S' il plaît » au souverain de conserver la présente forme de Gouvernement «. *Utrum placeat supremo Principi præsentem regiminis formam servare.* 2. » S' il plaît au Peuple d' en laisser l' administration à ceux » qui en sont actuellement chargés «. *Utrum placeat populo regiminis administrationem relinquere illis, quibus actu est imposita.* Hæc ego Roussoji testimonia afferenda duxi, ut ostenderem, non modo formam regiminis, quam socialis contractus postulat, esse popularem, sed etiam contractus hujus systema ad imperia omnia labefactanda à novis Pseudo-philosophis fuisse excogitatum, atque ex librorum, quos iidem tam multos, tamque pestilentes ætate nostra vulgarunt, lectione populos ad seditiones solicitari. Et sane quo tandem nisi ad re-

suam, atque omnia bona sua, & jura alienare simul, ac non alienare (1) ponitur; quæ sunt contraria. Contractus igitur so-

---

belliones excitandas pertinent ista Roussoji de contract. social. lib. 1. c. 1. » Tant qu' un Peuple est contraint d' obéir & qu' il obéit, il » fait bien; si tôt qu' il peut secouer le joug & qu' il le secoue, » il fait encore mieux «. *Quamdiu populus parere cogitur, & paret, se recte gerit; statim ac potest excutere jugum, & excutit, rectius etiam agit.* Tum hæc c. 4. » Un esclave fait à la guerre, ou un peu- » ple conquis, n' est tenu à rien de tout envers son maître, qu' à lui » obéir autant qu' il y est forcé «. *Qui in bello servus fit, aut populus armis subjectus domino suo [illegible] obedire tamdiu tenetur, quoad cogitur.* Mitto cætera ejusdem generis loca, quæ singula describere si vellem, nullum fortasse exitum invenirem.

(1) De contract. social. lib. 1. c. 6. » Ces clauses bien entendues » se réduisent toutes à une seule, savoir l' aliénation totale de cha- » que associé avec tous ses droits à toute la communauté «. *Omnes istæ conditiones* (contractus socialis) *recte perceptæ ad unam rediguntur, scilicet ad totalem alienationem cujuscumque associati cum omnibus suis juribus toti communitati.* Deinde: » L' alienation se faisant sans » réserve, l' union est aussi parfaite qu' elle peut l' être «. *Cum alienatio fiat sine ulla prorsus reservatione, unio est tam perfecta, quam esse potest.* Præmiserat autem hæc Roussojus: » Le pacte social étant » violé, chacun rentre alors dans ses premiers droits & reprenne sa liberté » naturelle, en perdant la liberté conventionnelle pour laquelle il y renon- » ça «. *Violato pacto sociali, quisque redit in possessionem primorum suorum jurium, & libertatis suæ naturalis, amissa libertate conventionali, pro qua illa se abdicavit.* Et c. 9. » Chaque membre de la communauté se » donne à elle au moment qu' elle se forme, tel qu' il se trouve actuellement, » lui & toutes ses forces, dont les biens qu' il possède font partie «. *Quodlibet membrum communitatis donat se illi statim ac gignitur, qualis est actu, nimirum se, & vires suas omnes, quarum bona, quæ possidet, pars sunt.* Et lib. 3. c. 10. » A l' instant que le Gouvernement » usurpe la Souveraineté, le pacte social est rompu, & tous les sim- » ples Citoyens, rentrés de droit dans leur liberté naturelle, sont for- » cés, mais non pas obligés d' obéir «. *Statim ac regimen usurpat supremam potestatem, pactum sociale dissolvitur, & omnes simplices cives recuperant jure libertatem suam naturalem; parere coguntur, sed ad parendum non obstringuntur.* Ex quibus sequitur, hominem per contractum socialem se totum, libertatem suam naturalem, atque omnia jura sua, & bona in communitatem sine ulla reservatione transferre. Atqui simul non transfert. Nam problema fundamentale, quod per contractum socialem Roussojus solvi affirmat lib. 1. c. 6. requirit, ut contractu sociali inito, *unusquisque uniens se cæteris, non obediat nisi sibimetipsi, & liber ut antea remaneat*; quem-

cialis est repugnans. Contractus autem repugnans iniri non potest, multoque minus omnium civilium contractuum, & totius legitimæ auctoritatis fundamentum esse: ergo ex contractu sociali imperia non promanarunt.

1086 Ad primum respondemus, falsum esse jus socialis ordinis à natura non oriri. Ut enim ostendimus (1), imperandi potestas humanæ societati est naturaliter innata. Nam illi necessario conservationis, & defensionis jure competit.

1087 Ad secundum fatemur, nemini illorum, ex quibus consociata multitudo coalescit, naturalem cæteris (2) imperandi potestatem inesse; tamen cum hæc ipsi consociatæ multitudini (3) insit, non oportet, ut ad conventiones tamquam ad basim legitimæ auctoritatis confugiamus; imo ab istis legitimæ auctoritatis originem repetere possumus.

1088 Ad tertium dicimus, quacumque posita justi regiminis ratione, utut una sit (4) alia potior, non modo stare, sed etiam

---

admodum §. 1079. animadversum fuit. Liber autem ut antea non remaneret homo, si libertatem naturalem amisisset: hac enim antea potiebatur. Pariter lib. 2. c. 4. statuitur, *per pactum sociale eam tantum partem potentiæ, bonorum, libertatis ab unoquoque alienari, cujus usu indiget communitas*: » Tout ce que chacun aliéne par » le pacte social de sa puissance, de ses biens, de sa liberté, c' est » seulement la partie de tout cela dont l' usage importe à la commu» nauté «. Jam vero qui partem tantum potentiæ, bonorum, libertatis alienat, se cum omnibus suis juribus, & bonis sine ulla reservatione non alienat. Postremo, ut alia loca omittam, eodem capite dicitur: » Il est . . . faux que dans le contrat social il y ait, de » la part des particuliers, aucune renonciation véritable «. *Falsum est, in contractu sociali ex parte particularium ullam veram renunciationem haberi.* Nihil igitur, qui contractum socialem ineunt, reipsa alienant. Ubi ergo totalis illa alienatio cujusque associati, ad quam omnes contractus socialis conditiones redigebantur?

(1) §. 1083.

(2) Dicimus *cæteris*. Nam propositio, ut à Roussojo effertur: *Nullus homo naturalem auctoritatem habet in sui similes*, falsa est, & Roussoji ipsius doctrinæ contraria. Roussojus enim lib. 1. c. 2. parentes in filios, quousque isti illorum opera indigent ad suam conservationem naturalem, potestatem habere fatetur.

(3) Ut enim demonstravimus §. 1083. potestas imperii societati jure naturæ, quod humanis conventionibus est anterius, nec illis ullo modo subest, vel subesse potest, convenit.

(4) Quæ ex variis justi regiminis rationibus cæteris sit per se potior, articulo proximo ostendemus.

florere civilem societatem (1) posse ; remoto autem imperio, ipsam funditus ruere. Quamobrem hominibus, qui civiles societates (2) fundarunt, quam ipsi maluerunt, imperii formam constituere licuit, societatem sine imperio condere (3) non licuit. Ex quo sequitur, genus regiminis humanæ institutionis esse, potestatem regiminis non item.

ARTICULUS II.

Utrum imperium monarchicum publicæ utilitati conducat?

1089 Omnis respublica, cujus imperii ratio ex pluribus generibus non est confusa (4), sive ab uno, sive à paucis, sive ab universo populo (5) regi potest. Hinc tres istæ pervulgatæ simplicis regiminis formæ existunt, Monarchia, Ari-

---

(1) Hoc civilium societatum, quæ superioribus sæculis viguerunt, & nunc etiam vigent, exempla declarant, maxime vero Reipublicæ Romanæ, quam principio tenuerunt reges, inde optimates, postremo populus.

(2) Quomodo civitates, humano genere propagato, formatæ fuerint, indicatum est not. ult. §. 407. Confer Aristotelem lib. 1. Polit. & S. Thomam in expositione ejusdem libri lect. 1.

(3) Hinc homines, qui civilium societatum fundamenta jecerunt, de forma imperii consultarunt, de imperio numquam; formaque imperii in nonnullis societatibus immutata aliquando fuit, in nulla sublatum imperium.

(4) Rerumpublicarum aliæ *simplices* sunt, aliæ *compositæ*. Simplices dicuntur illæ, quæ unius imperii colligatione continentur; compositæ vero, quarum regimen ex pluribus simplicis imperii formis temperatur. Diversitas autem formarum imperii ducitur à diversitate subjecti, in quo potestas suprema residet.

(5) Cicero lib. 2. de Republica apud S. Augustinum de Civitate Dei lib. 2. c. 21. » Respublica est res populi, cum bene, ac juste geritur, sive » ab uno rege, sive à paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cum » vero injustus est rex, quem tyrannum voco; aut injusti optimates, quo» rum consensus factio est; aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum » nullum reperio, nisi ut etiam ipsum tyrannum appellem: non jam vi» tiosa, sed omnino nulla respublica est, quoniam non est res populi, cum » tyrannus eam factione capessat: nec ipse populus jam populus est, » si sit injustus, quoniam non est multitudo juris consensu, & uti» litatis communione sociata «.

stocratia, & Democratia (1), quæ cujusmodi sint, paucis explicabimus. Igitur Monarchia est respublica, in qua suprema regiminis auctoritas apud unum, & quidem solum manet. Aristocratia est civitas, cui pars civium minor, sed aut genere, aut opibus, aut virtute præstantior, cum imperio præest. Postremo Democratia definitur cœtus hominum juris consensu, & utilitatis communione sociatus, in quo omnes cujuscumque conditionis, statusque cives potestate summa potiuntur, ita ut à paucis quidem respublica geratur, sed arbitrio, & voluntate omnium, penes quos imperii majestas, & vis resideat.

1090 Jam ex tribus his gubernandæ reipublicæ rationibus monarchicam cæteris præstare non modo veteres Ecclesiæ Patres, sed etiam Ethnicorum Poetarum, & Philosophorum sapientissimi (2) docuerunt. Contra Zuinglius (3), Bucerus (4),

---

(1) Vide Herodotum lib. 3. qui Thalia inscribitur, Platonem in Politico, & lib. 4. de Republica, Aristotelem lib. 3. Politicorum, & ut alios omittam, S. Thomam in lib. 3. Politicorum Aristotelis lect. 6. Opusculo 20. lib. 1. cap. 1., & 1. 2. q. 95. art. 4. in corp. ubi ait: » Tertio est de ratione legis humanæ, ut instituatur à gubernante communitatem civitatis, sicut supra dictum est (q. 90. art. 2), » & secundum hoc distinguuntur leges humanæ secundum diversa » regimina civitatum: quorum unum secundum Philosophum in 3. » Polit. cap. 10. est regnum, quando scilicet civitas gubernatur ab » uno, & secundum hoc accipiuntur constitutiones Principum: aliud » vero regimen est Aristocratia, id est, Principatus optimatum, vel » optimorum, & secundum hoc sumuntur responsa prudentum, & » etiam Senatusconsulta: aliud regimen est Oligarchia, id est, Prin» cipatus paucorum divitum, & potentum; & secundum hoc sumi» tur jus Prætorium, quod etiam honorarium dicitur: aliud autem » regimen est populi, quod nominatur Democratia, & secundum hoc » sumuntur plebiscita: aliud autem est tyrannicum, quod est omnino » corruptum: unde ex hoc non sumitur aliqua lex «.

(2) Veterum Ecclesiæ Patrum, Ethnicorumque Philosophorum, Oratorum, Poetarum, & Historicorum testimonia, in quibus Monarchia cæteris imperii generibus antefertur, legi possunt apud Jodocum Coccium Thesauri Catholici lib. 7. art. 2., Michaelem Mauclerum de Monarchia divina Ecclesiastica, & sæculari Christiana 1. part. lib. 4. & 5., Cardinalem Bellarminum de Romano Pontifice lib. 1. c. 2., & alios.

(3) Contemplationis Isaiæ Prophetæ fœtura prima, cujus verba profert Coccius loc. cit.

(4) In cap. 5. Matthæi, ubi inter alia: » Quot, quæso, saltem

Calvinus (1), & Pseudo-politicorum princeps Nicolaus Macchiavellus (2) Monarchiæ aristocratiam, & democratiam, vel regimen ex aristocratia, & democratia commixtum præferunt. Roussojus (3) autem, & alii ex Pseudo-philosophis (4) Monarchicum imperium publicæ utilitati non conducere defendunt.

» tolerabiles monarchas vel apud Dei populum fuisse legimus? Immo » quis unquam monarcha non irato Deo, ac ideo ingenti malo ge- » neris humani monarchiam invasit «? Quid? iratone Deo, ac ideo ingenti malo generis humani monarchiam invaserunt David, Ezechias, Josias, tum Sancti Henricus Imperator, Stephanus Hungariæ, Eduardus Angliæ, Ludovicus IX. Galliarum Reges, & alii, quos recensere non vacat? Os impudens.

(1) Institutionum lib. 4. c. 6. §. 8. cui subscribunt David Chamierus Panstrat. Catholic. lib. 9. cap. 8. & alii.

(2) Discorsi sopra la prima Deca di T. Livio lib. 1. cap. 59. quo in capite scribit: » Sono migliori governi quelli de' popoli, che quelli » de' Principi «. *Meliora sunt regimina populorum, quam regimina Principum.*

(3) De contract. social. lib. 3. c. 6. ubi de Monarchici regiminis scopo: » Ce but n' est point celui de la félicité publique «. *Scopus iste non est publica felicitas.*

(4) Eminent inter istos Voltairius, Diderotus, & potissimum scelestissimus Auctor *systematis naturæ*, de quibus vide opus, cui titulus: *La novella pretesa filosofia degl' increduli rea di lesa Maestà divina, ed umana*, ex Gallico idiomate Italice redditum, ac Romæ anno 1772. impressum. Nec minori impudentia Monarchicum regimen insectatur impius Auctor impii operis, quod inscribitur: *Système social, ou principes naturels de la morale, & de la politique.* Boulangerus quoque atrocibus calumniis Principes supremos appetit, ut liquet ex ejus verbis not. 1. §. 694. productis. De Monarchia pariter obloquutus est Antonius Genuensis tom. 1. Lectionum de commercio pag. 86. in not. Etenim mentiens de Ecclesia scribit: » Il » decimo secolo prese la forma di Monarchia assoluta, e la virtù di- » venne ancora minore «. *Sæculo decimo Monarchiæ absolutæ formam induit, & virtus etiam imminuta fuit.* Confer aliud ejusdem testimonium ex lib. 2. de officiis cap. 7. §. 2. supra not. subj. §. 391. descriptum. Dragonettus pariter, qui à Genuensi disciplinam accepit, in libello de virtutibus, & præmiis §. 12. incertum esse statuit, quodnam ex regiminibus, quæ cognita nobis sunt, aliis præstet: » Siamo » incerti qual governo sia migliore di quei che conosciamo «. In editione item operis Montesquieu de spiritu legum Italice redditi Neapoli curata in not. ad lib. v. c. 12. dicitur: » Il miglior governo è

1091 Videtur autem regimen monarchicum aut absolute publicæ utilitati non conducere, aut minus certe conducere, quam aristocraticum, vel democraticum, 1. quia in imperio monarchico principes de bonis, & vita illorum, quibus præsunt, pro arbitrio statuendi potestatem habent. »Hoc (1) erit jus »regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & »ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcurso»res quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos; & cen»turiones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, »& fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque ve»stras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Sed »& segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det »eunuchis & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas, »& juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere »suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei »servi «. Ita Samuel in concione, quam Dei jussu habuit ad Hebræos, (2) qui, ut Rex ipsis præficeretur, petebant. Imperium autem in quo princeps de bonis, & vita illorum, quibus præest, pro arbitrio statuendi potestatem habet, publicæ utilitati non conducit. Ergo imperium monarchicum non conducit publicæ utilitati.

1092 II. Fieri non potest, ut de publica utilitate solicitus sit ille, cujus maxime interest, ut subditi imbecilli sint, ac egeni: atqui regum maxime interest, ut eorum subditi imbecilli sint (3), ac egeni; ergo fieri non potest, ut reges de

---

»per avventura quello, che partecipa ad un tempo stesso delle tre »forme, delle quali si è ragionato «. *Præclarius regimen illud fortasse est, quod eodem tempore componitur ex tribus formis, de quibus disseruimus.*

(1) Lib. 1. Reg. c. 8. v. 11. sqq.

(2) Ad allata Samuelis verba provocat Roussojus loc. cit. ut ostendat, à regibus publicæ utilitati propriam naturaliter præferri, tum ad Macchiavelli auctoritatem confugit, hominis nimirum mendacissimi, & qui regibus, quæ tyranni facere solent, per summam injuriam attribuit. Sic autem habet: »C'est ce que Samuel représen»toit fortement aux Hébreux; c'est ce que Machiavel a fait voir avec »évidence «. *Hoc Samuel vehementi oratione Hebræis declaravit; hoc Macchiavellus ad evidentiam ostendit.*

(3) Roussojus ibid. »Leur (Regum) intérêt personnel est pré»mièrement que le peuple soit foible, miserable, & qu'il ne puisse »jamais leur resister «. *Personæ regum illud primum interest, ut populus sit imbecillus, egenus, & ne umquam resistere illis queat,* hoc est, ne seditiones excitet: quibus verbis incredibilem suam poli

publica utilitate sint soliciti ; ergo regimen monarchicum utilitati publicæ non conducit.

1093 III. Regimen multorum est tutius (1), ac magis tolerabile , quam regimen unius : sed regimen tutius , ac magis tolerabile publicæ utilitati magis conducit, quam regimen minus tutum , & minus tolerabile ; ergo regimen aristocraticum , vel democraticum , aut mixtum , magis quam monarchicum publicæ utilitati conducit.

1094 IV. Dominus aristocratiam politiæ vicinam apud Israelitas instituit (2) , quum optima conditione eos habere vellet , donec imaginem Christi produceret in Davide ; ergo regimen multorum publicæ utilitati magis conducit , quam regimen unius.

Prop. *Imperium Monarchicum publicæ utilitati maxime conducit.*

1095 Prob. rationibus S. Thomæ (3). Prima ratio. »Bonum & salus consociatæ multitudinis est , ut ejus unitas »conservetur , quæ dicitur pax , qua remota socialis vitæ perit »utilitas , quinimmo multitudo dissentiens sibi ipsi fit onerosa .... Quanto igitur regimen efficacius fuerit ad unitatem pacis servandam , tanto erit utilius. Hoc enim utilius dicimus, quod magis perducit ad finem. Manifestum est autem, »quod unitatem magis efficere potest quod est per se unum, »quam plures , sicut efficacissima causa est calefactionis , quod »est per se calidum. Utilius igitur est regimen unius , quam »plurium «.

1096 Secunda ratio. » Manifestum est, quod plures multi-

---

ticarum rerum inscitiam prodit. Neque enim populi, cum Principes dant operam , ut Respublica floreat , sed cum à Principibus Respublica opprimitur , vel opprimi existimatur , tumultus commovent.

(1) Calvinus lib. 4. Institut. cap. 20. §. 8. ubi id experimento ipso semper fuisse comprobatum affirmat , quod est omnino falsum. Etenim ex veteribus historiis patet , regimen multorum serius introductum , neque umquam tam late patuisse , ut regimen Monarchicum. Quid nostra ætate , quam multæ Respublicæ sunt , quæ Monarchico imperio , quam paucæ , quæ Aristocratico , Democratico , vel mixto administrentur ?

(2) Calvinus loc. cit.

(3) Opusc. 20. lib. 1. cap. 2.

»tudinem nullo modo conservant, si omnino dissentirent. Re»quiritur enim in pluribus quædam unio ad hoc quod quo»quo modo regere possint, quia nec multi navem in unam »partem traherent, nisi aliquo modo conjuncti. Uniri autem di»cuntur plura per appropinquationem ad unum. Melius igi»tur regit unus, quam plures ex eo quod appropinquant »ad unum «.

1097 Tertia ratio. » Ea quæ sunt ad naturam, optime se »habent, in singulis enim operatur natura quod optimum est. »Omne autem naturale regimen ab uno est. In membrorum »enim multitudine unum est, quod omnia movet, scilicet cor; »& in partibus animæ una vis principaliter præsidet, scilicet »ratio. Est etiam in apibus unus rex, & in toto universo »unus Deus factor omnium, & rector, & hoc rationabiliter: »omnis enim multitudo derivatur ab uno. Quare si ea, quæ »sunt secundum artem, imitantur ea, quæ sunt secundum »naturam, & tanto magis opus artis est melius, quanto ma»gis assequitur similitudinem ejus, quod est in natura, neces»se est quod in humana multitudine optimum sit, quod per »unum regatur «.

1098 Quarta ratio. » Provinciæ, vel civitates, quæ non »reguntur ab uno, dissensionibus laborant, & absque pace »fluctuant, ut videatur adimpleri quod Dominus per Prophetam »conqueritur dicens: (1) *Pastores multi demoliti sunt vineam* »*meam.* E contrario vero provinciæ, & civitates, quæ sub uno »rege reguntur, pace gaudent, justitia florent, & affluen»tia rerum lætantur; unde Dominus pro magno munere per »prophetas (2) populo suo promittit, quod poneret sibi ca»put unum, & quod princeps unus erit in medio (3) »eorum «.

---

(1) Jerem. c. 12. v. 10.

(2) Huc pertinent illa Ezechielis cap. 37. v. 21. seq. »Hæc »dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio natio»num, ad quas abierunt: & congregabo eos undique, & adducam »eos ad humum suam. Et faciam eos in gentem unam in terra in »montibus Israel, & rex unus erit omnibus imperans: & non erunt »ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna «. Et vers. 24. »Servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium »eorum «.

(3) Confer quæ Angelicus Præceptor habet lib. 4. contra Gentes cap. 76. & 1. p. q. 103. art. 3., & 1. 2. q. 104. art. 1. ad 2. quem locum mox in respons. ad 4. afferemus. Neque vero secum ipse

1099 Ad primum respondemus cum S. Thoma (1), » quod

pugnat, dum 1. 2. q. 95. a. 4. scribit: » Est etiam aliquod regimen » ex istis (*regio, aristocratico, oligarchico & democratico*) commix- » tum, quod est optimum «. Nam quod imperium ex pluribus commixtum optimum esse statuat, declarat deinde q. 105. art. 1. ubi inquit: » Circa bonam ordinationem principum in aliqua civitate, vel » gente duo sunt attendenda; quorum unum est, ut omnes aliquam » partem habeant in principatu, per hoc enim conservatur pax populi, & » omnes talem ordinationem amant, & custodiunt, ut dicitur 2. Polit. » cap. 1. tom. 5. Aliud est quod attenditur secundum speciem re- » giminis, vel ordinationis principatuum, cujus cum sint diveræ spe- » cies, ut Philos. tradit in 3. Polit. c. 5. tom. 5. præcipuæ ta- » men sunt regnum, in quo unus principatur secundum virtutem, & » Aristocratia, id est potestas oprimorum, in qua aliqui pauci prin- » cipantur secundum virtutem. Unde optima ordinatio principum est » in aliqua civitate, vel regno, in quo unus præficitur secundum » virtutem, qui omnibus præsit; & sub ipso sunt aliqui principantes » secundum virtutem: & tamen talis principatus ad omnes pertinet, » tum quia ex omnibus eligi possunt; tum quia etiam ab omnibus eligun- » tur. Talis vero est omnis politia bene commixta ex Regno, inquantum » unus præest; & aristocratica, inquantum multi principantur secun- » dum virtutem; & ex Democratica, id est potestate populi, in- » quantum ex popularibus possunt eligi principes; & ad populum per- » tinet electio principum, & hoc fuit institutum secundum legem » divinam. Nam Moyses, & ejus successores gubernabant populum, » quasi singulariter omnibus principantes; quod est quædam species » regni. Eligebantur autem septuaginta duo seniores secundum virtu- » tem. Dicitur enim Deut. 1. Tuli de vestris tribubus viros sapien- » tes, & nobiles, & constitui eos principes: & hoc erat aristocra- » ticum. Sed democraticum erat, quod isti de omni populo eligе- » bantur: dicitur enim Exod. 18. Provide de omni plebe viros sa- » pientes, &c. & etiam quod populus eos eligebat «. Igitur regimen commixtum ex regali, optimati, & populari, quod S. Thomas optimum vocat, illud est, in quo unus præficitur secundum virtutem, qui omnibus præest, & sub quo sunt aliqui principantes secundum virtutem, qui ex omnibus eligi possunt, & etiam ab omnibus eliguntur. Hujus autem generis regimen proprie non est ex Aristocratia, & Democratia temperatum, sed monarchicum; nam regimen in quo suprema potestas apud unum, & quidem solum manet, Monarchicum esse constat. In regimine vero, in quo unus præficitur secundum virtutem, qui omnibus præsit, supremam potestatem apud unum, & quidem solum manere quis neget?

(1) S. Thomas 1. 2. quæst. 105. a. 1. ad 5., cui subscribunt Estius, Mariana, Malvenda, Menochius, Tirinus, Gordonius, &

»illud jus non debebatur regi ex institutione divina, sed ma»gis prænunciabatur usurpatio regum, qui sibi jus iniquum »constituunt in tyrannidem degenerantes, & subditos deprædan»tes: & hoc patet per hoc quod in fine subdit; *vosque eri»tis ei servi*, quod proprie pertinet ad tyrannidem, quia ty»ranni suis subditis principantur, ut servis. Unde hoc dice»bat Samuel ad terrendum eos, ne regem peterent. Sequi»tur enim; *Noluit autem audire populus vocem Samuelis.* Pot»est tamen contingere quod bonus rex absque tyrannide fi»lios tollat, & constituat tribunos, & centuriones, & mul»ta accipiat à subditis suis propter commune bonum procu»randum «.

1100 Ad secundum dicimus, per summam injuriam, impudentemque calumniam à Roussojo de regibus asseri, quod est proprium tyrannorum (1), & à regibus alienum. Etenim tyranni maxime interest, ut ejus subditi imbecilli sint, ac egeni, ne in illum insurgant; contra vero regis interest maxime, ut ii, quibus præest, magno animo sint, ac divitiis affluant, cum regum potentia subditorum magnanimitate, ac opibus nitatur, ac sustentetur. Hinc tyranni subditos impotenti dominatu premunt, eorumque opes, quantum possunt, extenuant; reges subditorum animos ad præclara facinora erigunt, & optimarum artium cultu commercioque amplificato, ditiones, quas regunt, opulentiores reddunt.

1101 Ad tertium negamus (2), tutius, ac magis tolerabi-

---

alii interpretes in comment. ad Samuelis verba, quibus Monarchiæ hostes abutuntur. Ex istis Estius S. Thomæ responsionem confirmat ex lib. 3. Reg. cap. 21. ubi Achab, ejusque uxor Jezabel reprehenduntur, propterea quod Naboth vineam invasissent. Quamobrem fallitur Samuel de Cocceii, qui ad Hugonis Grotii lib. 1. cap. 4. §. 3. de jure regio à Samuele explicato scribit: »Hoc... Jus erat »intuitu Israelitarum ex consensu, quia de operis, de bonis suis »pro libitu disponere, eaque Regis arbitrio submittere potuerunt «. Merito quoque à Gottfrido Mascovio not. 4. rejicitur verborum Samuelis interpretatio à Pufendorfio proposita de jure naturæ, & gentium lib. 7. cap. 6. §. 9.

(1) Vide S. Thomam Opusc. 20. cap. 3.

(2) Calvinus loc. cit. causam hanc affert, cur tutius sit, ac magis tolerabile plures tenere gubernacula, quod rarissime contingit »Reges ita sibi moderari, ut numquam à justo, & recto discrepet »eorum voluntas: deinde tanto acumine, & prudentia instructos esse, »ut unusquisque videat quantum satis est «. At vero, si rarissime

le esse regimen multorum, quam regimen unius. Etenim quis regimen illud tutius dixerit, ex quo pluries sequantur maxima pericula, & quod frequentius in tyrannidem vertitur? Ex multorum autem regimine frequentius sequuntur maxima pericula multitudinis, quam ex regimine unius. » Plerumque (1) enim »contingit, quod ex pluribus aliquis ab intentione communis bo»ni deficiat, quam quod unus tantum. Quicumque autem ex »pluribus præsidentibus divertat ab intentione communis bo»ni, dissensionis periculum in subditorum multitudine imminet, »quia dissentientibus principibus consequens est, ut in multitu»dine sequatur dissensio. Si vero unus præsit, plerumque qui»dem ad bonum commune respicit: aut si à bono communi »intentionem avertat, non statim sequitur, ut ad subditorum de»pressionem intendat, quod est excessus tyrannidis, & in ma»litia regiminis maximum gradum tenens«. Pariter » non (2) »minus contingit, in tyrannidem verti regimen multorum, quam »unius, sed forte frequentius. Exorta namque dissensione per »regimen plurium, contingit sæpe, unum alios superare, & si»bi soli multitudinis dominium usurpare, quod quidem ex his, »quæ pro tempore fuerunt, manifeste inspici potest. Nam fe»re omnium multorum regimen est in tyrannidem terminatum, »ut in Romana republica manifeste apparet, quæ dum diu per

---

contingit, Reges ita sibi moderari, ut numquam à justo, & recto discrepet eorum voluntas: deinde tanto acumine, & prudentia instructos esse, ut unusquisque videat quantum satis est: multo rarius contingit, ut tam bene morati, ac tam egregiis dotibus ornati sint optimates omnes, ne quid de populo dicam, à quo nemo, qui ipsum noverit, tantam moderationem cum tanto acumine, & prudentia conjunctam sibi polliceri possit. Neque vero alia causa omnes fere populos induxit, ut unius se potius, quam multorum potestati committerent. Noverant enim facilius esse unum iis præsidiis, quæ ad Rempublicam feliciter administrandam requiruntur, instructum invenire, quam plures. At enim ubi plures gubernacula tenent *alii aliis mutuo* sunt *adjutores*, docent ac monent *alii alios*, *ac si quis plus æquo se efferat*, *plures* sunt *ad cohibendam ejus libidinem censores*, *ac magistri*. Quasi nempe Reges multos homines excellenti virtute præditos in consilium non adhibeant, & ex eorum sententia, quod optimum factu est, non decernant, nec tot vitæ suæ censores habeant, quot subditos, aut qui in libera civitate vivunt, privatis rationibus magis, quam publicis ut plurimum non ducantur.

(1) S. Thomas Opusc. 20. lib. 1. cap. 5.

(2) S. Thomas ibid.

»plures magistratus administrata fuisset, exortis simultatibus, dis»sensionibus, & bellis civilibus, in crudelissimos tyrannos inci»dit; & universaliter si quis præterita facta, & quæ nunc fiunt, »diligenter consideret, plures inveniet exercuisse tyrannidem »in terris, quæ per multos reguntur, quam in illis, quæ gu»bernantur per unum (1) «. Ac ne illud quidem concedi potest, regimen multorum regimine unius esse tolerabilius. Cum enim eadem sit potestas sive apud unum, sive apud plures maneat, non est major in aristocratico, & democratico, quam in monarchico regimine subditorum libertas; aliunde autem libentius unius, quam multorum imperium ferri consuevit, cum longe facilius sit uni, quam pluribus obsequi, & unius, quam plurium offensionem evitare.

1102 Ad quartum respondemus 1. quærendo à Calvino, utrum Dominus optima conditione Israelitas habere voluerit, postquam imaginem Christi produxit in Davide? Non arbitramur, Calvinum adeo furiosum, ac temerarium futurum, ut hoc neget. Nam si deterior fuisset Israelitarum conditio, constituto Davide rege, Deus imaginem Christi in Davide producendo Israelitis obfuisset. Quod si, Davide Israelitis rege dato, præclarius actum cum Israelitis fuit, quemadmodum reipsa fuit, Israeliticus enim populus Davide, ac Salomone imperantibus longe magis quam antea floruit (2); sequitur, monarchicum regimen maxime ad publicam felicitatem conferre.

1103 Respondemus 2. Israelitarum regimen etiam ante Davidem monarchicum fuisse. Nam suprema auctoritas non apud universum populum, nec apud optimates, sed apud Judices (3)

---

(1) Ad hæc ut S. Thomas ibid. animadvertit, ex Monarchia, si in tyrannidem convertatur, minus malum sequitur, quam ex regimine plurium optimatum, quando corrumpitur. »Dissensio enim quæ »plurimum sequitur ex regimine plurium, contrariatur bono pacis, »quod est præcipuum in multitudine sociali, quod quidem bonum »per tyrannidem non tollitur, sed aliqua particularium hominum »bona impediuntur, nisi fuerit excessus tyrannidis, qui in totam com»munitatem desæviat«: cujus excessus vix ullum in historiis exemplum extat. Sane civilia bella Marii cum Sulla, Cæsaris cum Pompejo, Bruti, Cassiique cum Marco Antonio, atque Octaviano majorem Romanæ Reipublicæ vastitatem, quam Neronis, Caligulæ, Domitiani libido, atque immanitas attulerunt.

(2) Vide lib. 2. & 3. Regum & libros 1. & 2. Paralipomenon.

(3) Judices regia potestate Israelitis præfuisse constat ex libris Numerorum, Josue, Judicum, & 1. Regum.

erat, ac Saule rege electo ad reges translata fuit. Cur autem Deus initio regem populo non instituerit, sed hoc populi arbitrio permiserit, causam affert S. Thomas (1) inquiens: »Regnum est optimum regimen populi, si non corrumpatur: sed »propter magnam potestatem, quæ regi conceditur, de facili regnum degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus »ejus, cui talis potestas conceditur; quia *non est nisi virtuosi »bene ferre bonas fortunas*, ut Philosophus dicit (2). Perfecta »autem virtus in paucis invenitur: & præcipue Judæi crudeles erant, & ad avaritiam proni, per quæ vitia maxime homines in tyrannidem decidunt. Et ideo Dominus à principio eis »regem non instituit cum plena potestate, sed judicem, & gubernatorem in eorum custodiam: sed postea regem ad petitionem populi quasi indignatus concessit, ut patet per hoc »quod dixit ad Samuelem 1. Reg. 3. *Non te abjecerunt, sed me* (3), *ne regnem super eos*. Instituit tamen à principio »circa regem instituendum, *primo* quidem (4) modum eligendi, »in quo duo determinavit, ut scilicet in ejus electione *expectarent judicium Domini*; & ut *non facerent regem alterius gen-*

(1) S. Thomas 1. 2. quæst. 105. art. 1. ad 2.

(2) Aristoteles lib. 10 Ethicor.

(3) Regimen enim Israelitarum hactenus fuerat Theocraticum, quia à Deo regebantur per judices, qui eum consulebant.

(4) Deuteronomii cap. 17. vers. 14. sqq. »Cum ingresus fueris »terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, »habitaverisque in illa, & dixeris: constituam super me regem, si»cut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem »Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris »alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cum»que fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet »populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus; præsertim »cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eam»dem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant »animum ejus, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam »autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium »legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Levitiæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ »suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire ver»ba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur »cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in par»tem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & »filii ejus super Israel«.

»tis; quia tales reges solent parum affici ad gentem, cui præ»ficiuntur, & per consequens non curare de ea. *Secundo* or»dinavit circa reges institutos qualiter deberent se habere quan»tum ad seipsos; ut scilicet *non multiplicarent currus, & »equos, neque uxores, neque etiam immensas divitias*: quia ex »cupiditate horum principes ad tyrannidem declinant, & justi»tiam derelinquunt. Instituit etiam qualiter se deberent habere »ad Deum; ut scilicet *semper legerent, & cogitarent de le»ge Dei, & semper essent in Dei timore, & obedientia.* Ins»tituit etiam, qualiter se haberent ad subditos suos; ut scilicet »*non superbe eos contemnerent, aut opprimerent, neque etiam »à justitia* (1) *declinarent* «.

ARTICULUS III.

Utrum imperium successivum, & cum Primogeniti prælatione publicæ utilitati conducat?

1104 Nicolaus Machiavellus cum regimen populare monarchico anteponendum esse (2) statuit, tum successivam potissimum monarchiam (3) improbat. Roussojus (4) etiam, & sceles-

(1) Qui plura volet, adeat nostrum Javellum Philosophiæ politicæ, sive civilis christianæ tract. 1. cap. 3. Hieronymum Osorium de Regis institutione, & disciplina lib. 3. & alios, qui pro Monarchia fusius scripserunt. Legi quoque possunt Oratio Darii pro Monarchia apud Herodotum lib. 3. c. 81., & Oratio Isocratis ad Nicoclem de regnando, vel de regno, & Plutarch. liber de unius in Republica dominatione, populari statu, & paucorum imperio.

(2) Vide §. 1090. not. *Discorsi, &c.*

(3) Discorsi sopra la prima Deca di Tito Livio lib. 1. cap. 10. ubi » Vedrà ancora per la lezzione di questa historia, come si può »ordinare un Regno buono; perchè tutti gli Imperadori, che suc»cederono all Imperio per heredità, eccetto Tito, furono cattivi, »quelli che per adozzione, furono tutti buoni, come furono quei »cinque da Nerva à Marco. E come l'Imperio cadde nelle heredi »ei ritornò nella sua rovina«. *Ex historiæ hujus lectione prespiciet etiam qua ratione regnum ordinari recte possit; quia Imperatores omnes, qui aliis in imperio hæreditario jure successerunt, dempto Tito, improbi fuerunt; qui adoptione, omnes fuerunt probi, veluti quinque illi à Nerva ad Marcum. Atque ubi Imperium ad hæredes recidit, iterum ruit.*

(4) De contract. social. lib. 1. cap. 6.

tissimus Auctor (1) systematis socialis in hanc monarchiæ formam acerbissime invehuntur. Demum Antonius Genuensis (2) Macchiavelli, quem vocat politicum, *qui homines agnoscebat, & veritatem dicere volebat*, locum contra Regna successiva describit, & legi (3) Primogenituræ pro imperiis succesivis ex-

---

(1) Part. 2. cap. 2.

(2) Diœcesina lib. 1. cap. 2. Vide Philosophicæ hujus summæ volumen quintum pag. 590. not. 1. *De quibusdam, &c.*

(3) Libro eodem cap. 12. §. 3. » Esendo l'Imperio ordinato, non » al ben privato, ma al publico, s'avrebbe dovuto mettere un'ec- » cezione alla legge di primogenitura: Purchè sia il più savio e'l più atto. » Gl'Imperadori della China sono nel possesso di servirsi di questa ec- » cezione; e i Principi Visigoti lo fecero spesso valere nella Spagna «. Et not. 6. » N'abbiamo un recente, e savio esempio fra noi «. *Cum Imperium, non privati, sed publici boni causa institutum sit, exceptio hæc legi primogenituræ fuisset apponenda, modo filius primo natus sapientior sit, ac magis idoneus. Imperatores Sinenses sunt in possessione utendi hac exceptione, & Principes Wisigothorum illa in Hispania ussi sæpenumero fuerunt. Ejusdem inter nos recens, ac prudens exemplum habemus.* Atqui publici, non privati boni causa institutum fuit, ut imperium filius natu major, etsi fortasse sapientior, ac magis idoneus, quam cæteri non esset, modo aptus ad gubernacula tenenda, obtineret. Etenim animadversum fuit, tumultibus, ac discordiis obnoxia fore imperia, si ex Regis filiis eum, qui sapientior, ac magis idoneus haberetur, successorem institui oporteret; præterea sæpe accidere, ut sapientior, ac magis idoneus existimetur, qui talis reipsa non sit, qualis videatur: demum Rempublicam etiam ab iis, qui minus sapientes, ac idonei vel censerentur, vel essent, aliorum consilio, & opera præclare administratam esse, ac administrari posse. Quamobrem ineptit Genuensis dum legi primogenituræ in Regnis Monarchicis exceptionem illam apponendam fuisse contendit, ut Reipublicæ commodis consuleretur. Quod autem addit, Sinenses Imperatores in possessione esse illa exceptione utendi, si de possessione juris succesorem sibi ex filiis, quem malint, deligendi intelligatur, fatemur; si vero de possessione deligendi eum, qui ex filiis sapientior sit, ac magis idoneus, accipiatur, quibus tandem monumentis possessionem istam Genuensis confirmabit? Nos contra ex Sinensium Annalibus, quam graves turbas in Imperio illo jus ea exceptione utendi excitaverit, ostendere facile possemus, si hoc instituti nostri ratio pateretur. Interea lectores consulant Ludovici Antonii Appiani Epistolam Tom. 1. Operis inscripti *Memorie storiche del Eminentissimo Cardinale di Tournon* Venetiis 1751. Ad Wisigothorum Principes vero qua fide Genuensis provocet, non vide-

ceptionem hanc *modo filius primo natus sapientior sit, ac magis idoneus*, apponendam fuisse contendit.

1105 Videtur autem imperium sucessivum, & cum Primogeniti prælatione publicæ utilitati non conducere, quia I. cum imperium est successivum, & cum Primogeniti prælatione, fieri potest, ut illud vel stupidi, vel scelesti (1) obtineant; publicæ autem utilitati non conducit, immo plurimum obest, imperium à stupidis, vel scelestis obtineri: ergo imperium successivum, & cum Primogeniti prælatione publicæ utilitati non conducit.

1106 II. Ubi reges nascuntur, non fiunt, qui regnaturus est, perverse (2) instituitur: docetur enim artem regnandi cum

---

mus. Hic enim de lege successionis agitur. Wisigothorum autem in Hispania Regnum vel usque ad Pelagium, vel usque ad Ramirum 1. electivum fuit, sive ut aliquibus videtur modo electivum, modo successivum, non lege, sed facto (Vide. *Compendio de la Historia de España* 3. *part.* in not. ad vitam Favilæ ab illo, qui Compendium ipsum ex Galico in Hispanum idioma vertit, appositam) atque ex serie Regum Wisigothorum regni gubernacula nonnumquam ad alios, quam ad Regum filios delata: ad filium natu minorem, propterea quod sapientior ac magis idoneus, quam filius primo natus esset, delata numquam fuisse constat. Demum in eo quod in not. scribit, palam mentitur, ac potentissimo, æquissimoque Monarchæ gravissimam calumniam instruit. Nam iste filium secundo natum, filio qui primo natus erat, prætulit, quod is nullo plane modo aptus ad regnum administrandum foret.

(1) Roussojus, & auctor Systematis Socialis locis citatis hoc ut plurimum in regnis successivis evenire affirmant. Verum ex Monarchiarum successivarum historiis facile refelluntur. Nam ex istis liquet, paucos admodum fuisse Principes, qui mentis stupore, aut morum perversitate rempublicam perdiderint.

(2) Roussojus de contract. Social. lib. 3. cap. 6. » On prend » beaucoup de peine, à ce qu' on dit, pour enseigner aux jeunes » Princes l' art de régner; il ne paroit pas que cette éducation leur » profite. On feroit mieux de commencer par leur enseigner l' art d' » obéir. Les plus grands Rois qu' ait célébré l' istoire n' ont point » été élevés pour regner «. *Magna, ut dicitur, adhibetur cura, ut juvenes principes artem regnandi doceantur; hæc educatio utilis esse illis non videtur. Consultius foret, initio illis artem obediendi tradere. Majores Reges, quos Historia celebrat, educati, ut regnarent, non fuerunt.* Hoc ipsum objicientem Menesium inducit Osorius de Regis institutione, & disciplina lib. 3. his verbis: » Persarum Re» ges olim magni nominabantur, quod provincias innumerabiles in

potius artem parendi docendus esset; nam ars regnandi melius parendo, quam imperando discitur. At vero publicæ utilitati non conducit, ut regni gubernacula capessat, qui perverse institutus fuit: ergo imperium successivum, & cum primogeniti prælatione non conducit publicæ utilitati.

1107 III. Quo tempore minor annis Rex rempublicam per se gubernare non potest, regnum finitimorum Principum violentiæ, & ministrorum, qui gubernacula tenent, ambitioni, avaritiæ, ac libidini patet, quod publicæ utilitati maxime nocet: atqui in regno successivo, & cum primogeniti prælatione sæpe accidit, ut regnum perveniat ad regem annis minorem, qui rempublicam per se gubernare non possit: ergo imperium successivum, & cum Primogeniti prælatione publicæ utilitati non conducit.

Prop. *Imperium successivum, & cum primogeniti prælatione publicæ utilitati potissimum conducit.*

1108 Prob. illud imperium publicæ utilitati potissimum conducit in quo omnis discordiarum, quas dominandi libido excitaret, materia subtrahitur, qui gubernacula tenere debet, à primis annis regiis disciplinis excolitur, nec ubi adeptus imperium fuerit, insolescit, & majori diligentia, atque uniformitate

---

» ditione tenerent, & immanibus divitiis affluerent: re tamen vera, » ut ex te non semel audivi, hæc ex Platonis testimonio referente, » duo tantum ex illis hoc nomen merito habuerunt: quorum unus » fuit Cyrus Cambisæ filius, qui Asiæ imperium in Perside consti- » tuit, alter autem Darius Histaspis filius; ratio autem, quam ais » assignari ab eodem viro Sapientissimo, ea est, quod cum eorum » neuter esset magni Regis filius, fuerint sub legibus, & disciplina » (in qua reliqui pueri, qui honesto loco nati sunt, olim nutrie- » bantur) diligenter instituti, & ita uterque eorum potuit ad summam » amplitudinem dignitatis evadere «. Respondet autem » Quod de Cy- » ro, Dario dicis, rarum id exemplum fuit, quod quidem sæpius » evenisset, si omnes qui à privata conditione ad summum imperium » efferuntur, fuissent splendido ingenio & animo maximo prædíti, qua- » les ii, quos commemoras, extiterunt. Cum vero multo secus eve- » niant plerumque, & virtutis assimulatæ scelus veram virtutem in » honoris popularis contentione superet: dubium non est, quin popu- » li temeritas, pro humanitate, & clementia, summam immanita- » tem, & crudelitatem capitibus suis imposuisset «.

commune bonum curat, denique Populus facilius regitur; atqui imperium successivum, & cum primogeniti prælatione omnes istas opportunitates habet: nam deffinito regni successore, ambitioni, & contentionibus pro regno obtinendo aditus præcluditur, futurus rex à teneris unguiculis ad regium munus, & officium eruditur, nec supremæ dignitatis adeptione tamquam repentina ac inopinata, superbit: cumque regnum, ut hæreditatem à patre acceptam, atque à se ad filium, quem omnium maxime diligat, transmittendam respiciat, diligentius in illo tuendo, amplificandoque (1) versatur, atque in ejus regimine majorum suorum (2) vestigiis insistit; demum Populus, cui nova illius dominatio non accidit, ejusdem imperio libentius (3) se subdit: ergo imperium successivum, & cum primogeniti prælatione publicæ utilitati potissimum conducit.

1109. Insuper imperium successivum, & cum primogeniti prælatione omnium fere gentium consensus approbavit, veluti Herodotus, & Xenophon testantur, Herodotus (4) enim con-

---

(1) Roussojus loc. cit., ut regimen Monarchicum in invidiam adducat, à regibus gravissima quæque munera ut plurimum ad homines ineptos, improbos, callidos deferri scribit. Qua re nihil magis falsum, ac Regibus injuriosum dici potest. Reges enim hoc summa cura, & studio suscipiunt, ut eorum, quos maxime idoneos fore confidunt, operam in Regni gubernatione sibi adsciscant, ac si forte (quod in regimine quolibet humano accidere potest) in delectu errent, illis, qui minus idonei ad officia publica sustinenda deprehenduntur, de gradu dejectis, alios sufficiunt, qui eadem pro dignitate sustineant, idque eo facilius, quod apud ipsos tota quanta est politici regiminis auctoritas maneat.

(2) Hoc experientia docet. Quod si successores aliquas predecessorum suorum constitutiones moderentur, aut tollant. 1. eas moderantur, aut tollunt, quas necessitas temporum, ut mitigentur, vel aboleantur, postulat. 2. id singulari quadam prudentia faciunt. Itaque tantum abest, ut illa priorum decretorum commutatio Reipublicæ tranquilitati, atque incolumitati perniciosa sit, ut ad eam tuendam plurimum conferat. Quamobrem injuria Roussojus loc. cit. regimina Monarchica inconstantiæ, & volubilitatis accusat.

(3) Hinc vel ipse Monarchicorum Imperiorum infensissimus hostis Nicolaus Macchiavellus in lib. de Principe cap. 2. fatetur minores difficultates occurrere in tuendis statibus hæreditariis, & assuetis sanguini sui Principis, quam in novis. » Dico . . . che nelli stati hereditarii, & assuefatti al sangue del loro Principe sono assai » minori difficolta à mantenerli, che ne' nuovi «.

(4) Historiar. lib. 7. cap. 2. De eadem controversia agens Justi

troversiam de regni succesione inter Darii filios ortam exponens, inquit: »Erant.... Dario jam, antequam regnaret liberi tres... & post partum regnum alii quatuor.... Superiorum maximus natu erat Artabazanes, posteriorum Xerxes, qui cum ex eadem matre non essent, disceptabant, Artabazanes quidem quod omnis paternæ sobolis ipse maximus natu foret, quum apud universos homines sit institutum, ut maximus natu liberorum obtineat principatum.« Xenophon (1) vero Cyrum ita filios suos extremo alloquentem inducit; »Est... mihi declarandum hoc quoque, cui regnum relinquam, ne id relictum in ambiguo negotia vobis facessat. Complector equidem, filii, pari utrumque vestrum benevolentia; verum & consilio providere, & ducis officio fungi quacumque in re tempus, & usus postulat: eum jubeo, qui natu major est, & usum rerum majorem de consentanea quadam ratione habet. Equidem ut ab hac mea, vestraque patria sum institutus, natu majoribus non modo fratribus, sed civibus etiam de via, sedibus dicendi loco cedendum esse: sic & ipse, filii, ab initio res institui, ut natu majoribus honorem principem deferatis, & vicissim minoribus honore præeatis. Quamobrem ita quæ à me dicuntur, accipite, ut qui tum prisca, tum moribus recepta, atque etiam legibus consentanea proferam.« Jam vero imperium successivum, & cum primogeniti prælatione omnium fere gentium consensus non approbasset, nisi publicæ utilitati potissimum conduceret: ergo imperium successivum, & cum primogeniti prælatione publicæ utilitati conducit.

1110. Ad primum respondemus ne in electivis quidem regnis imperii gubernacula ad illum semper deferri, qui opportunis ad rempublicam feliciter administrandam præsidiis abundet. Non enim qui suffragium ferunt, aut adeo prudentes sunt, ut sibi falsa simulatæ virtutis specie imponi non patiantur, aut adeo communis boni studiosi, ut nec spe, nec metu, nec odio, nec invidia à recto judicio abducantur. Hinc ad Romanum imperium militum sufragiis, aut principum gratia eve-

---

nus lib. 2. inquit »Artabazanes maximus natu ætatis privilegio regnum sibi vendicabat: quod ejus, & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit«. Huc quoque pertinet, quod apud Herodotum legitur lib. 6. cap. 52. »Lacedæmonios.... qui erant, inito consilio creasse Regem è pueris eum, qui esset primogenitus, ut lex jubebat«.

(1) Cyrop. lib. 8.

cti fuerunt Sergius Galba, Heliogabalus, Maximinus Galerius, Maximianus, ex quibus Galba *major* (1) *privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset,* alii vitæ turpitudine, atque immanitate Nerones, Caligulas, Domitianos æquarunt.

1111. Ad secundum dicimus, futurum regem non minus parendi quam regnandi disciplina institui, cum ad regium munus, & officium, quemadmodum oportet, ac solet, eruditur. Habet enim parentes, habet magistros, habet pædagogos, quibus obtemperet. Quamobrem satis parere discit, antequam rempublicam attingat, cogitare potest, quid aut noluerit (2) sub alio Principe, aut voluerit, eoque rectius, quod vix dum per ætatem liceat, publicorum consiliorum, & negotiorum fit particeps.

1112. Ad tertium respondemus, incommoda, quæ ex regis minoritate respublica accipere potest, longe minora esse incommodis, quibus regna electiva, & sine primogeniti prælatione sunt obnoxia. Nam ubi reges libero populi, vel optimatum suffragio creantur, nulla fere electio fit, quam intestinæ discordiæ, & civilia bella non præcedant, aut subsequantur, ac dum interregnum est, publica salus, & incolumitas periclitatur: ubi vero à rege pro libito successor designatur, perpetuæ in regia familia dissensiones vigent, & populus in contraria studia scinditur, ut & antiquarum rerum monumenta, & recentia exempla (3) demonstrant.

ARTICULUS IV.

Utrum in regnis monarchicis potestas legislativa conveniat populo?

1113. Joannes Lockius, ut supra indicatum (4) fuit, principes monarchicos subjicit legibus reipublicæ, eisque potestatem

---

(1) Cornelius Tacitus Historiar. lib. 1. c. 49.

(2) Idem Tacitus lib. eodem cap. 16. » Utilissimusque idem ac » brevissimus bonarum, malarumque rerum delectus, cogitare quid » aut nolueris sub alio Principe, aut volueris «.

(3) Confer. Chrysostomum Javellum Philosophiæ civilis Christianæ tract. 1. cap. 4. Hieronymum Osorium loc. cit. & Cerbon. de jure, & disciplina legum lib. 28. c. 4. §. 5.

(4) Voluminis hujus §. 411. not. *Mira.*

legislativam (1) denegat. Roussojus (2) etiam potestatem hanc in quacumque regiminis forma populo tribuit, ac populi adeo propriam esse defendit, ut ab ipso, quamvis velit, in alium transferri minime possit. Neque à Lockio, & Roussojo, si rem intime spectemus, illi discrepant, qui in monarchiis quoque absolutis leges, ut legitime ferantur, in totius nationis Conciliis, quæ status appellant, ferendas esse (3) pugnant.

1114. Videtur autem reipsa in regnis etiam monarchicis potestas legislativa populo convenire quia I. in regno etiam monarchico potestas summa est penes populum, & populus est summus princeps: summa (4) enim potestas, cum non sit nisi exercitium voluntatis generalis, alienari non potest, & summus princeps, qui non est nisi ens collectivum, non potest nisi per seipsum repræsentari, ac populus (5), si alicui se pariturum simpliciter polliceatur, hoc se actu dissolvit, amittit qualitatem populi, & statim ac habet dominum, non existit summus Princeps, & corpus politicum jam tum destruitur: atqui potestas legislativa illi convenit, penes quem est potestas summa, & qui est summus princeps: ergo in regnis etiam monarchicis potestas legislativa convenit populo.

---

(1) Lokio præiverant Hubertus Languetus, qui sub nomine Stephani Junii Bruti edidit libellum mendacissimum, & seditiosissimum hoc titulo: *Vindiciæ contra tyrannos, sive de Principis in populum, populique in Principem legitima potestate*, & Monarchomachi reliqui, quos refellit Gulielmus Barclajus *de Regno, & de Regali potestate adversus Buchanarum, Brutum, Boucherium, & reliquos Monarchomachos* præsertim lib. 4. cap. 23.

(2) De Contract. Social. lib. 3. c. 1. » La puissance législative appartient au peuple, & ne peut appartenir qu' a lui». *Potestas legislativa pertinet ad populum, & non potest nisi ad illum pertinere.* Confer. alia ejusdem testimonia, quæ mox referemus.

(3) Vide Antonii Genuensis testimonium voluminis hujus §. 391. not. *Genuensis.*

(4) Roussojus de Contract. Social. lib. 2. cap 1. » Je dis donc que » la Souveraineté n' étant que l' exercice de la volunté générale ne » peut jamais s' aliéner, & que le Souverain, qui n' est qu' un être collectif, ne peut être représenté que par lui-meme, le pouvoir peut bien » se transmettre, mais non pas la volonte».

(5) Ibid. » Si.... le peuple promet simplement d' obéir, il se » dissout par cet acte, il perd sa qualité de peuple; á l' instant qu' il » y à un maître il n' y à plus de Souverain, & des-lors le corps poli» tique est détruit».

1115 II. Juxta pactum (1) fundamentale sola generalis voluntas est, quæ obligat voluntates singulares, nec certo constare potest, voluntatem singularem voluntati generali esse conformem, nisi postquam liberis populi suffragiis subjecta fuerit: ergo, ut lex obliget voluntates, necesse est, ut liberis populi suffragiis subjiciatur, ac voluntati generali, quæ est sola populi voluntas, conformis esse deprehendatur: atqui hoc posito legislativa potestas etiam in regno monarchico est apud populum: ergo potestas legislativa etiam in regno monarchico apud populum est.

1116 III. Sancire conditiones (2) associationis civilis pertinet ad populum, qui associatur: leges autem proprie sunt conditiones associationis civilis; igitur leges sancire pertinet ad populum.

1117 IV. Qui imperat (3) hominibus non debet imperare

---

(1) Ibid. cap. 7. » Celui qui redige les loix n' á donc, ou ne doit » avoir aucun droit législatif, & le peuple même ne peut, quand il » le voudroit, se dépoviller de ce droit incommunicable; parce que » selon le pacte fondamental, il n' y á que la volonté générale qui obli» ge les particuliers, & qu' on ne peut jamais s' assurer qu' une volon» té particuliere est conforme á la volonté générale, qu' apré l' avoir » soumise aux suffrages libres du peuple» *Igitur qui leges scribit, nec habet, nec habere debet jus ullum legislativum, & populus ipse nequit, etsi vellet, incommunicabili hoc jure se exuere, quia juxta pactum fundamentale non est nisi voluntas generalis, quæ obliget voluntates singulares, nec certo umquam constare potest voluntatem singularem generali voluntati esse conformem, nisi postquam liberis populi suffragiis subjecta fuerit.*

(2) Ibid. cap. 6. » Les Loix ne sont proprement que les conditions » de l' assotiation civile. Le peuple soumis aux loix, en doit être l' » auteur: il n' appartient qu' á ceux qui s' associent, de régler les » conditions de la société». *Leges proprie non sunt, nisi civilis associationis conditiones. Populus legibus subjectus, earum esse auctor debet: ad illos tantum, qui societatem ineunt, præscribere societatis conditiones spectat.*

(3) Ibid. cap. 7. » Si Celui qui commande aux hommes, ne doit pas » commander aux loix, celui qui commande aux loix, ne doit pas non » plus commander aux hommes, autrement ses loix, ministres de ses » passions, ne feroient souvent que perpétuer ses injustices». *Si qui hominibus imperat, non debet imperare legibus, qui imperat legibus, non debet imperare hominibus; aliter leges ministræ ipsius cupiditatum ejusdem injustitias sæpe perpetuarent.*

legibus, aliter leges, ministræ ipsius cupiditatum, ejusdem injustitias sæpe perpetuarent: sed in Regno monarchico, rex imperat hominibus, ergo non debet imperare legibus; ergo potestas legislativa apud Regem manere non debet, sed apud populum.

1118 V. Populus (1) est, qui legibus subditur; sed leges condendæ sunt ab eo, qui legibus subditur; ergo leges condendæ sunt à populo: ergo etiam in regno monarchico potestas legislativa convenit populo.

Prop. *In Regno Monarchico potestas legislativa convenit Regi, non Populo.*

1119 Probb. rationibus S. Thomæ. Prima ratio. Lex (2) proprie, primo, & principaliter respicit ordinem ad bonum commune: ergo ad illum pertinet condere legem, ad quem pertinet ordinare ad bonum commune: in regno autem monarchico ordinare ad bonum commune pertinet ad regem; ergo ad regem pertinet legem condere; ergo in regno monarchico potestas legislativa convenit regi, non populo.

1120 Altera ratio. Lex (3) debet habere vim coactivam ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem; igitur solius ejus est leges facere, qui habet vim coactivam: atqui in regno monarchico vim coactivam habet rex, non populus, quia pœnas infligere regis est, non populi: igitur in regno monarchico regis est, non populi leges facere.

1121 Tertia ratio. Finis (4), quem potissimum intendit legislator civilis, est pacem servare inter cives. Igitur ad illum spectat civiles leges ferre, ad quem cura pacis civium spectat. Cura autem pacis civium in regno monarchico spectat ad regem, non ad populum: ergo leges ferre ad regem, non ad populum spectat.

1122 His adde legum imponendarum officium inter munera regis propria (5) recenseri, & peccare popu-

(1) Vide pag. 681. not. 2.

(2) S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 3. in corp.

(3) Ibid. in Resp. ad 2. (4) Quodlib. 3. art. 25. in corp.

(5) Plato in Dialogo, qui inscribitur *Politicus* »Scimusque oportere civilem virum, ac bonum latorem legum solum regia musa posse hoc illis inserere, qui recte disciplinæ, ut decet, participes sunt«. Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. ultimo »In paterno quidem

lum, (1) qui legem à principe editam absque ulla causa non recipit: at vero legum imponendarum officium inter munera Regis propria non recenseretur, nec peccaret populus, qui absque ulla causa legem á principe editam non reciperet, si in regno monarchico potestas legislativa apud regem non esset, sed apud populum: ergo in regno monarchico potestas legislativa apud regem est, non apud populum.

1123 Ad primum negamus majorem. Etenim monarchia, ut diximus (2), est respublica, in qua suprema regiminis auctoritas apud unum, & quidem solum manet. Ubi autem potestas summa est penes populum, & populus est summus princeps, suprema regiminis auctoritas apud totam multitudinem residet. Quamobrem omnino repugnat in regno monarchico summam potestatem esse penes populum, & populum esse summum principem, nisi monarchiæ nomine non unius principatum, ut ipsa monarchiæ notio postulat, sed unius ministerium, ut Roussojus perverse (3) vult, intelligamus. Roussojus enim mo-

---

» jusso, nulla satis magna vis, aut necessitas inest, neque omnino » in unius viri jusso, nisi sit rex, aut regi similis: lex autem vim » habet ad cogendum valentem». Philo de vita Moysis lib. 2. » Re» gis officium est jubere, quæ oportet fieri, & vetare, à quibus abs» tinere decet: cæterum jussio faciendorum, & interdictio cavendo» rum proprie ad legem pertinet». Plutarchus in Comment. de doctrina Principis. » Justitia quidem legis est finis. Lex autem Principis » opus». Vide etiam, si libet, Clementem Alexandrinum Stromat. lib. 1. cap. 14. S. Basilium homil. in Princ. Proverbior. num. 2. & alios, à quibus recensendis supersedeo.

(1) Inter propositiones ab Alexandro VII. anno. 1665. die 24. Septembris damnatas hæc num. XXVII. legitur. » Populus non pec» cat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe pro» mulgatam «. Adeatur Milante exercitat. 27. in propos. proscriptas ab Alexandro VII. (2) §. 1091.

(3) De contract. social. lib. 3. cap. 1. » Qu' est ce donc que le » Gouvernement ? Un corps intermédiaire établi entre les Sujets & » le Souverain pour mutuelle correspondance, chargé de l' execution de » loix, & du maitien de la liberté, tant civile, que politique. Les » Membres de ce corps s' appellent Magistrats ou *Rois*, c' est a dire, » *Gouverneurs*». *Quid igitur est regimen? Corpus medium inter subditos, & supremum Principem constitutum, ut sibi mutuo congruant, cui executio legum, & conservatio libertatis tam civilis, quam politicæ est imposita: membra hujus corporis appellantur Magistratus, aut Reges, id est Gubernatores.* Et paulo post » l' apelle donc » *Gouvernement* ou supréme administration, l' exercice légitime de

narchiam vocat rempublicam, in qua regimen uni alicui à populo committitur, ita ut rex non sit populi princeps, sed minister; quod receptæ ab omnibus monarchiæ definitioni adversatur.

1124 Ad argumenta autem ex Roussojo allata dicimus, quod ea si quid probarent, non probarent in regno, juxta veram, germanamque notionem, monarchico, summam potestatem penes populum esse, & populum esse summum principem, sed nullum esse legitimum regimen monarchicum (1) posse. Verum nihil probant. Etenim primo Roussojus sibi sumit, quæ vult, non quæ illi ab aliis concedantur, aut concedi oporteat. Quis enim Roussojo dat, vel quibus ille rationibus ostendit, summam potestatem non esse nisi exercitium voluntatis generalis, eamque alienari non posse: summum principem non esse nisi ens collectivum, neque posse nisi per seipsum repræsentari: ac populum, si alicui simpliciter se pariturum polliceatur, hoc se actu dissolvere, amittere qualitatem populi, & statim ac habet Dominum, non existere summum principem, & corpus politicum jam tum destrui? Deinde in Democratia ipsa dumtaxat per magistratus, repræsentatores, ac Deputatos potestas summa exerceri, status administrari, & de gravioribus negotiis, si imperii fines latius pateant, decerni, legesque ferri queunt, nec ulla constitui potest civitas, nisi sint, qui gubernacula imperii teneant, iisque cives simplicem (2) obedien-

---

» la puissance exécutive; & Prince ou Magistrat, l' homme ou le corps chargé de cette administration». *Igitur regimen aut supremam administrationem voco exercitium legitimum potestatis executivæ, & Principem, seu Magistratum, hominem, aut corpus, cui hæc administratio est imposita.* Et cap. 3. » Le souverain. . . . peur concentrer » tout le Gouvernement dans les mains d' un Magistrat unique, dont » tous les autres tiennent leur pouvoir. Cette troisiéme forme est la » plus commune, & s' appelle *Monarchie* ou Gouvernement Royal». *Supremus Princeps. . . . potest veluti in centro collocare totum regimen in manibus unici Magistratus, à quo omnes alii potestatem suam accipiant. Hæc tertia forma est magis communis, & nuncupatur Monarchia, aut regimen regale.*

(1) Hoc velle Roussojum, qui ejus Opus de contractu sociali percurrit, continuo perspicit.

(2) Simplicem obedientiam opponimus obedientiæ conditionatæ, qualem Roussojus statuit à populis dumtaxat promissam esse Regibus, aut Optimatibus, & promitti posse. Hanc enim formulam in edendo fidelitatis juramento adhibitam fuisse, atque adhibendam esse

tiam spondeant, atque in civitate populari, imperii gubernaculis ab populo ad paucos optimates, vel ad unum translatis forma civitatis mutatur, si quidem ex Democratia fit Aristocratia, aut Monarchia, non ipsa civitas interit. Etenim *respublica res est populi, cum bene ac juste geritur, sive ab uno rege, sive à paucis optimatibus, sive ab universo populo*, ut Cicero (1) vere sapienterque tradidit. Igitur quæ Roussojus arripit, falsa sunt, & absurda. Postremo ex Roussojo 1. potestas transmitti (2) potest, non autem voluntas. 2. qua ratione (3) potestas summa est inalienabilis; eadem est indivisibilis. 3. populus Romanus (4) legislativam auctoritatem, & supremam vim

---

censet: *Polliceor me pariturum tamdiu, quamdiu recte gubernabor, ac mihi jus judicandi, rectene an secus guberner, reservo.*

(1) Cicero loc. cit. §. 1089. not. *Cicero.*

(2) Vide pag. 680. not. 4.

(3) De contract. social. lib. 2. c. 2. »Par le même raison que la »Souveraineté est inaliénable, elle est indivisible».

(4) Ibid. cap. 7. »Rome dans son plus bel âge vit renaître en son »sein tous les crimes de la tyrannie, & se vit prête á perir, pour »avoir réuni sur les mêmes têtes l' autorité législative, & le pouvoir »Souverain. Cependant les Decemvirs eux-mêmes ne s' arrogérent ja»mais le droit de faire passer aucune loi de leur seule autorité». *Roma in ipso ætatis flore vidit iterum in suo sinu nasci omnia tyrannidis crimina, & se proximam morti conspexit, quod iisdem hominibus auctoritatem legislativam, & supremam potestatem contulisset, & tamen Decemviri ipsi numquam sibi jus legem ullam propria sua auctoritate jubendi arrogarunt.* Jam vero populus, qui se proximum morti conspicit, nondum occubuit. Qui autem non occubuit, populus esse non desiit. Igitur Populus Romanus auctoritate legislativa, & suprema vi regiminis ad Decemviros delata, populus esse non desiit. Ac ne illud quidem, quod sibi demonstrandum proponit, exemplo Decemvirorum ostendere Roussojus potest. Etenim ex Levii narratione histor. lib. 3. educitur: non ex conjunctione utriusque potestatis legislativæ, & executivæ, sed ex imperii sine provocatione delati abusu profectam tyrannidem, qua Decemviri Romanam Rempublicam vexarunt. Nam læta ejus Magistratus initia fuisse ac Decemviros integro anno summa intra ipsos concordia, summa adversus alios æquitate, ac moderatione reipublicæ præfuisse Livius testatur. Itaque frustra ad exemplum Decemvirorum Roussojus provocat, ut evincat Reipublicæ perniciosum esse, ut una persona, vel corpus utraque illa auctoritate potiatur. Falso quoque scribit ibid. »Quand Lycurgue donna des Loix á sa patrie, il comença par abdi»quer la royauté« *Lycurgus leges patriæ suæ daturus à regiæ dig-*

regiminis ad Decemviros detulit, quin populus esse desierit. Hæc vero & cum superioribus ejus pronunciatis, & secum ipsis pugnant. Nam si potestas transmitti potest, non autem voluntas, primo potestas summa non erit exercitium voluntatis generalis: nam ille, cui hærebit, generali voluntate instructus non erit, deinde nec inalienabilis erit, nec indivisibilis: non inalienabilis, quod enim transmitti potest, potest alienari: non indivisibilis, quia auctoritate legislativa ab auctoritate executiva sejuncta, suprema potestas dividatur necesse est, cumque nihil factum fuerit, quod fieri repugnet, ex quo populus Romanus legislativam auctoritatem, & supremam vim regiminis ad decemviros detulerit, quin populus esse desierit, consequens est, non modo potestatem, sed etiam voluntatem transferri posse, neque jure leges sanciendi, quod est voluntatis, & jure gubernandi, quod est potestatis, à populo ad paucos, aut ad unum (par enim est ratio) translatis, politicum corpus jam tum destrui. Cum igitur argumenta, quibus labefactare monarchias Roussojus conatur, nullius sint ponderis; nam ex propositionibus temere sumptis, falsis, absurdis, & pugnantibus nihil concludi potest, manet in regno monarchico potestatem summam penes regem esse, non penes populum & regem non populum esse summum principem, atque adeo Regi non populo legislativam potestatem convenire.

1125 Ad secundum dicimus, pactum illud fundamentale de lege populi suffragiis subjicienda in regimine Democratico locum habere, non in regimine monarchico, in quo generali voluntate decretum censetur, quod rex, qui est persona publica singulorum subditorum voluntates in sua complectens, in his, quæ ad commune bonum reipublicæ pertinent, decreverit.

1126. Ad tertium respondemus, leges eatenus civilis associationis appellari posse, quatenus sunt regula, & mensura actuum civium, ex quibus societas coalescit. Jam vero regulam, & mensuram actuum civium præscribere illius est, qui supre-

---

nitatis abdicatione initium duxit. Licurgus enim, ut refert Plutarchus in Lycurgo, dumtaxat » regnavit, priusquam uxorem fratris cons-» taret esse prægnantem: simul atque id fuit perspicuum, declaravit » regnum ad infantem, si filius esset, spectare, interim regnum tu-» torio nomine administravit « ac deinde cum in invidiam vocaretur, perinde ac si insidias regi maquinaretur, quo regnum invaderet » veritus » incerta casus statuit suspicionem declinare peregrinatione, & dum » fratris filius adolevisset, regnique genuisset successorem, vagari «.

mum in civitate imperium obtinet. Cum igitur in regno monarchico rex, non populus supremo imperio potiatur, regis est, non populi leges sancire.

1127 Ad quartum negamus majorem. Nam qui caret potestate leges ferendi, latasque, ubi opus fuerit, exponendi, mitigandi, abrogandi, ac privatos cives legibus solvendi, imperium exercere in homines, ut decet, non potest. Salus enim publica sæpenumero requirit (1), ut aliqua de novo statuantur, quæque statuta sunt vel explicentur, si obscura, vel certis limitibus coerceantur, si nimis vaga, vel aboleantur, si inutilia, aut perniciosa evadant. Neque vero est verendum, ne leges ministræ principis cupiditatum sint, ejusque injustitias perpetuent. Etenim lex nulla habere vim legis potest, si justa non sit. Leges autem justæ ministræ cupiditatum esse, & injustitias perpetuare non possunt. Quod si adimenda esset principi potestas leges ferendi, exponendi, mitigandi, abrogandi, inconsulta republica, propterea quod ea in publicam perniciem uti aliquando posset, adimenda potiori jure esset potestas executiva legum, cum frequentius hac, quam illa principes abusi (2) fuerint.

1128 Ad quintum negamus minorem. Lex enim est superioris ad inferiorem. Hinc in ipso democratico regimine, cum leges à tota multitudine feruntur, ab ipsa, non quatenus subest, sed quatenus præest, feruntur. Huc accedit, quod si leges in perfecta communitate à populo sanciendæ essent, quia populus legibus subditur, pari ratione in domestica societate

---

(1) Vide S. Thomam 1. 2. q. 91. art. 3. & quæst. 95. art. 1. tum q. 97. art. 1. & 4.

(2) Hoc ex historiis constat. Legimus enim à pessimis Principibus optimas leges editas. Ut de aliis taceam, Domitianus Imperator non minus immanitate, quam libidine notatus, legem Juliam de adulteriis restituit, gravissimas pœnas in fœminas, potissimum ingenuas, & nobiles, quæ violatæ pudicitiæ convincerentur, decrevit, & Eunuchos fieri prohibuit, quod in deliciis dominarum suarum esse consuevissent. Hinc de illo Martialis lib. 6. Epigr. 2.

» *Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ:*
» *Lusus & immeritos exsecuisse mares.*
» *Utraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris*
» *Succuris, nasci quos sine fraude jubes.*
» *Nec spado jam, nec mœchus erit te præside quisquam*
» *At prius (ò mores) & spado mœchus erat.*

Et Epigr. 3. » *Plus debet tibi Roma, quod pudica est* «.

à filiis, & famulis, non à patre familias, vel domino præcepta essent ferenda, quo nihil absurdius dici, aut excogitari (1) potest.

ARTICULUS V.

Utrum liceat insurgere in principem, si tyrannice imperet?

1129 TYranni (2) nomen, quod initio de omnibus, qui plenam in subditos potestatem obtinebant, usurpabatur, deinde usurpari de illis tantum cœpit, qui vel principatum nullo jure invasissent, vel principatum jure partum non ad publicam,

---

(1) Alio argumento ducto ex ejus systemate Roussojus premi potest. Nimirum ipse de Contract. Social. lib. 2. cap. 2. nota e. scribit. » Pour qu' une volonté soit générale, il n' est pas toujours nécessaire qu' elle soit unanime: mais il est necessaire que toutes les voix » soient comptées; toute exclusion formelle rompt la généralité. «. *Ut voluntas generalis sit, non semper oportet, ut sit unanimis, sed oportet, ut suffragia omnia numerentur: quælibet formalis exclusio generalitatem frangit.* Igitur in ferendis legibus, omnium, qui rationis compotes forent, exquirenda judicia, & suffragia essent. Hoc autem in Monarchia, qualis est Monarchia Galliarum, Hispaniarum, &c. quo tandem modo fieri posset? De re autem ipsa consulantur, si placet, Interpretes S. Thomæ in 1. 2. quæst. 90. art. 2. Javellus Politicæ Christianæ tract. 6. part. 1. cap. 2. Cerboni de jure, & legum disciplina lib. 26. cap. 2. §. 3. alii.

(2) Tyranni nomen, quod Svidas nom. *Tyrannus* à Tyrbenis fluxise tradit, S. Thom. Opusc. 20. de Regim. Prin. l. 1. c. 1. à fortitudine derivatum, ab initio potentibus quibusque tributum censet, scribens. » Si regimen injustum per unum tantum fiat, quia sua commoda ex regimine quærat, non autem bonum multitudinis sibi subjectæ, talis rector tyrannus vocatur, nomine à fortitudine derivato, quia scilicet per potentiam opprimit, non per justitiam regit: » unde & apud antiquos potentes, quique tyranni vocabantur «. Ac reipsa quidem nomen istud apud veteres commune fuisse omnibus, qui plenam in subditos potestatem obtinebant, liquet ex testimoniis, quæ afferunt celebriores Lexicographi, ut Henricus Stephanus, Facciolatus, alii voc. *Tyrannus*. In sacris quoque litteris tyranni nomen quandoque pro *Rege*, *Principe*, *Regio procere* vel *præfecto* usurpatur, veluti Ester. cap. 6. ver. 9. & Danielis cap. 1. ver. 3. Cornelius Nepos in *Meltiade*. » Meltades multum in Imperiis, Magistratibusque ver-

sed ad privatam utilitatem (1) administrarent, vel principatum, & contra fas occupassent, & ad proprium commodum gererent; ex quibus primi *titulo*, alii *administratione*; postremi & *titulo*, & *administratione* tyranni apellantur.

» satus non videbatur posse esse privatus, præsertim cum consuetu-
» dine ad Imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi om-
» nes illos, quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominatio-
» nem, tyrannusque fuerat appellatus, sed justus, non enim erat vi
» consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate re-
» tinuerat. Omnes autem & habentur, & dicuntur tyranni, qui po-
» testate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est «.

(1) Plato in Dialogo, qui *Politicus* inscribitur. » H. Quin etiam
» quoties unus secundum leges dominatur, scientem illum imitatus,
» regem vocamus, non distinguentes nomine illum, qui scientia so-
» lus imperat, ab eo, qui opinione secundum leges solus etiam domi-
» natur. S. Ita videtur. H. Nonne igitur si unus vera illa scientia
» præditus imperat, idem nomen, hoc est regium habet, nec alio
» cognomento appellatus? Nam ex quinque nominibus gubernationum
» civilium, quas narravimus, unum solum hoc erat. S. Videtur. H.
» quid porro? Quoties neque ex lege, neque ex more quispiam domi-
» natur, simulatque scire se, & præter leges rectius, hoc ita fieri opor-
» tere, inest autem libido, & ignorantia quædam, quæ imitationem
» ejusmodi inducit, an non vir talis tyrannus est appellandus? S. Et
» maxime quidem. H. Hac ratione rex existit, ut diximus, & tyran-
» nus «. Aristoteles quoque de republica lib. 3. cap. 7. hæc habet. » Con-
» suevimus autem appellare unius principatum, eum qui utilitati com-
» muni consulit, regnum». Deinde aliquibus interpositis: » Tyrannis....
» monarchia est, seu unius imperium ad ejus, qui solus imperat, uti-
» litatem spectans «. Et Ethicorum ad Nicomacum lib. 8. juxta trans-
lationem Argiripoli fol. 110. col. 4 «. Transgressio.... regni quidem
» tyrannis est. In utraque enim unus est Princeps. Sed inter sese plu-
» rimum differunt: nam tyrannus quidem suum, Rex autem eorum,
» qui ab ipso reguntur, considerat commodum. Non est enim rex,
» nisi sit ex sese sufficiens: & bonis omnibus antecellat; talis autem
» nullius indiget rei. Non ergo suas ipse; sed eorum, qui reguntur,
» utilitates considerat. Qui namque talis non est, forte potius quidam
» est princeps, quam rex. Tyrannis autem est contraria regno; suum
» namque bonum sequitur ipse tyrannus, quo magis patet ipsam esse
» pessimam. Pessimum enim id est quod est contrarium optimo. Fit
» autem in tyrannidem ex regno transgressio. Tyrannis enim ejus princi-
» patus est pravitas, & in quo unus est princeps. Pravus autem rex
» fit tyrannus «. Quem locum S. Thomas in Comment. in eum li-
brum lect. 10. ita exponit: » Dicit quod transgressio, sive corruptio

1130 Principum autem, ad quos imperium jure pervenerit. sed qui illud tyrannice regant, genus est triplex. Primum il-

» regni vocatur tyrannis; & hoc manifestat primo quidem per hoc, » quod genere conveniunt. Ambo enim sunt Monarchiæ, id est prin- » cipatus unius; sicut enim in regno principatur unus, ita & in ty- » rannide. Secundo assignat differentiam eorum ad invicem, & dicit, » quod plurimum differunt, & ex hoc apparet, quod sunt contraria; » contraria enim sunt quæ plurimum differunt, & in eodem genere. » Hanc autem differentiam manifestat dicens, quod tyrannus inten- » dit in suo regimine, quod est utile sibi ipsi. Rex autem intendit » quod est utile subditorum, & hoc probat per hoc, quod non po- » test vere dici rex, qui non per se est sufficiens ad regendum, ut » scilicet sit superexcellens in omnibus bonis & animæ, & corporis, » & exteriorum rerum, ut sit dignus, & potens ad principandum. » Cum autem talis sit, non indiget aliquo, & ideo non intendet ad » utilitatem suam, quod est indigentium: sed ad hoc, quod bene » faciat subditis, quod est superabundantium; ille enim, qui non » est talis, scilicet superexcellens in omnibus bonis, magis potest » dici clerotes, quasi sorte assumptus ad principandum: quam rex. » Sed tyrannus se habet per contrarium ad regnum, quia quærit bo- » num sibi, unde patet, quod ipsa corruptio est pessima, pessimum » enim est contrarium optimo. Transgreditur autem aliquis ex regno » quod est optimum, sicut dictum est, in tyrannidem, quæ nihil » est aliud, quam pravitas monarchiæ, & principatus unius; & rex » quando fit malus, dicitur tyrannus, unde patet, quod tyrannis, » est pessima. « Cæterum quod Aristoteles dicit à tyranno quidem suum, à rege autem, eorum qui ab ipso reguntur, considerari commodum, ita accipiendum est, ut rex sit, qui *præcipue in populi salutem respicit: secundo vero loco suam ipsius salutem, & utilitatem curat; neque enim plerumque potest rempublicam tueri, nisi saluti suæ prospiciat: tyrannus, qui omnia consilia ad suam utilitatem, atque libidinem dirigit: deinde vero quia non potest ille bonis omnibus abundare, nisi in populo non omnino perdito dominetur, secundo loco populi totius incolumitate interdum prospicit*, veluti Hieronymus Osorius de reg. institut. & discipl. lib. 3. monet. Hanc enim Aristotelis mentem esse liquet cum ex aliis ejusdem testimoniis, tum ex lib. 3. Politicorum lect. 5. ubi ex Leonardi Aretini versione, exposito discrimine, quod intercedit inter varios dominationis modos inquit: » Constat igitur, quod quæcumque Respubli- » cæ ad communem utilitatem intendunt, hæ rectæ sunt secundum » simpliciter justum. Quæcumque vero ad propriam eorum, qui præ- » sunt utilitatem solum, aberrant, suntque omnes rectarum rerum- » publicarum transgressiones, & labes: gubernantur enim quasi à do- » minis, Civitas autem est liberorum societas. « Ad quæ S. Thomas:

lorum, quibus respublica, vel electores ea lege imperium de-

» Concludit ex dictis distinctionem rectarum politiarum ab injustis. » Cum enim ita sit quod principatus liberorum sit ordinatus ad » utilitatem subditorum, manifestum est, quod in quibuscumque » politiis principes intendunt communem utilitatem, illæ sunt rectæ » politiæ secundum justitiam absolutam; in quibuscumque vero po- » litiis intenditur sola utilitas principantium, illæ sunt vitiatæ, & » corruptiones quædam rectarum politiarum: non enim in eis est jus- » tum simpliciter, sed justum secundum quid, ut infra dicetur: prin- » cipantur enim dominative civitati utentes civibus, sicut servis ad » suam utilitatem, & hoc est contra justitiam, quia civitas est com- » munitas liberorum, servus enim non est civis, ut supta dictum » est « Quæ cum ita sint errat Roussojus, qui de Contract. Social. lib. 3. cap. 10. scribit. » Dans les sens vulgaire, un tyran est un » Roi, qui gouverne avec violence, & sans egarda la Justice, & » aux loix. Dans le sens précis un tyran est un particulier qui s'ar- » roge l'autorité Royale sans y avoir droit. C'est ainsi que les » Grecs entendoient ce mot de tyran: ils le donnoient indifferem- » ment aux bons, & aux mauvais Princes dont l'autorité n' etoit » legitime. Ainsi tyran & usurpateur sont deux mots parfaitement » Synonymes: » Et not. 2. « Il est vrai qu' Aristote, *Mor. Nicom.* » lib. VIII. cap. 10. distingue le tyran du Roi, enquece le premier » gouverne pour sa propre utilité, & le second seulement pour l'u- » tilité de Sujets; mais outre que généralement tous les Auteurs » Grecs ont pris le mot tyran dans un autre sens, comme il pa- » roit surtout par le Hiéron de Xénophon, il s'ensuivroit de la dis- » tinction d'Aristote que de puis le commencement du monde il » n'auroit pas encore existé un seul Roi « *Proprie tyrannus est singularis persona, quæ regiam auctoritatem nullo jure sibi arrogat. Hoc sensu Græci vocem hanc tyrannus intellexerunt: illi indiscriminatim bonos, & malos principes, quorum legitima auctoritas non erat, hoc nomine appellabant. Ita tyrannus, & usurpator duo nomina sunt plane synonima.* Deinde: *Aristoteles quidem Mor. Nicom. lib. VIII. cap. 10. hoc discrimen ponit inter tyrannum, & regem, quod primus ad proprium suum commodum gubernet; alter vero dumtaxat ad commodum suorum subditorum. Verum præterquam quod Auctores omnes Græci alio sensu tyranni nomen usurparunt, uti ex Xenophonis Hierone potissimum constat, Aristotelicæ distinctionis consequens esset, ne unum quidem ab orbe condito regem extitisset.* Errat, inquam, Roussojus, dum hæc scribit. Nam 1. Græci non solum principes sive bonos, sive malos, quorum legitima non esset auctoritas, tyrannos apellarunt, sed etiam illos, qui jure adepti imperium fuerant, & quidem initio, eos etiam, qui juste imperium administrarent: deinde vero, eos qui illud ad libi-

ferunt, ut si princeps delata sibi potestate abutatur, redigi in ordinem, & pro culparum modo puniri à republica, vel electoribus queat, cujusmodi Lacedæmoniorum (1) reges erant. Alterum eorum, qui alicui principi subduntur, ut Dejotarus, Herodes, Archelaus, alii, quos in sua potestate Senatus, populusque Romanus, tum Romani Imperatores habuerunt. Tertium illorum, qui neque reipublicæ, neque ulli politico principi sunt obnoxii.

1131 Tyrannis (2) pariter tolerabilis esse potest, veluti cum

---

dinem gererent 2. Aristoteles minime vult à rege ita commodum subditorum suorum imperium administrari debere, ut nullam sui quoque commodi rationem habeat. Hinc ex discrimine, quod inter tyrannum, ac regem ponit, illud non consequitur, nullum ab orbe condito ad nos usque regem extitisse.

(1) Hinc Cornelius Nepos in Agesilao: „Mos est . . . à majoribus „Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent semper Reges nomine „magis, quam imperio". Nam ita Ephoros Theopompus opposuerat regibus: ut reges Ephororum potestati subditi essent. „Itaque „Nepos idem de Pausania in ejus vita: „Id postquam Laccedæ„monii resciverunt, legatos ad illum cum scytala miserunt: in quo „more illorum erat scriptum, nisi domum reverteretur, se capi„tis eum damnaturos. Hoc nuntio motus sperans se etiam pecunia, „& potentia instans periculum posse depellere, domum redit. Huc „ut venit, ab Ephoris in vincla publica conjectus est. Licet enim „legibus eorum cuivis Ephoro hoc facere regi". Vide Carolum Deninam Istoria Politica, è lettrearia della Grecia lib. 3. cap. 4.

(2) Tyranni notas recensent Bartolus in tract. de Tyrannia num. 28. Lipsius Civilis Doctrinæ lib. 6. cap. 5. & alii, quos indicat Arnisæus in Comment. Cit. de auctoritate Principis cap. 4. §. 9. ubi præcipuas ex illis proponit, recitatis carminibus Claudiani de Bello Gildonico vers. 166. seqq.

Instat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter:
Nulla quies. Oritur præda cessante libido,
Divitibusque dies, & nox metuenda maritis,
Quisquis vel locuples, pulchra vel conjuge notus,
Crimine pulsatur falso, si crimina desunt,
Accitus conviva perit.

Et ver. 125. seqq.

. . . . *Si quiquam vultu præsentia damnet,*
Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.

Et de IV. Consulatu Honorii ver. 290. seqq.

princeps in republica gerenda ita abutitur jure suo, ut totius reipublicæ salus, ac tranquilitas non periclitetur, aut intolerabilis, cum nimirum inaudita crudelitate, ac barbarie princeps subditos universos opprimit, afligit ac vexat.

1132 In tyrannum titulo, sive dum principatum occupare conatur, sive dum principatum nullo jure occupatum regit, nisi libero consensu, aut populi in Democratia, aut Optimatum in Aristocratia, aut Regis, cujus erat dominium, quod invasit, in Monarchia, legitimus princeps evaserit, publica auctoritate (1) agi posse, nemo est qui non fateatur. „Qui enim „per violentiam dominium surripit, non efficitur vere præla„tus vel dominus: ideo cum facultas adest, potest aliquis ta„le dominium repellere: nisi forte postmodum dominus verus „effectus sit vel per consensum subditorum, vel per auctorita„tem superioris", ut scribit (2) S. Thomas. Pari modo, veluti

---

. . . . . *sors ista tyrannis*
Convenit: invideant claris, fortesque trucident,
Muniti vivam gladiis, septique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

Tum subdit: „Hæc & multa id genus congregant Bodinus 2. de „Republ. cap. 4. & ex eo Althusius cap. 14. Polit. . . . Gregor. Ri„cht. post axiom. Polit. 91. & ex eo Hoenon. Disp. Polit. 9. ar. „n. 55. ad n. 43. Verum si hæ notæ simul sumptæ constituunt „tyrannum, non aliter de tyranno philosophandum est, atque de „Republ. Platonis, aut optimo viro Aristotelis, aut Oratore Cice„ronis, aut Architecto Vitruvii. Nam sicut ideæ horum quidem de„pingi possunt, res ipsa vero in rerum natura non invenitur, tam „propter imperfectionem humanam, quam propter incertam vicissi„tudinem omnia turbantis fortunæ: ita nec perfectus, & omnibus „iis numeris absolutus tyrannus per rerum seriem subsistere potest, „quia tot mala tum seipsa mutuo, tum subjectum, quod inumbrant, „destruerent. Fingitur enim Tyrannus, quasi acropolis malorum, & „summum malum seipsum destruere dicunt Philosophi. Si vero se„paratim sumptæ notæ, vel singulæ constituant tyrannum, vel quæ„dam simul coacervatæ, prout Antimachiavellus præcipuas colligit „ex Bartolo, quotus quisque principum Reipublicæ prærit, cui non „jure secundum hanc opinionem nomen tyranni liceat inducere"?

(1) Hoc perpetuo S. Thomas docuit, ut ex ejus testimoniis, quæ paulo post afferemus, educitur. Itaque per summam injuriam ad illum, tamquam sententiæ suæ patronum, provocant, qui privatis tyrannum titulo invadendi, ac necandi potestatem faciunt.

(2) In Lib. Sentent. dist. 44. quæst. 2. a. 4. in corp.

idem S. Doctor (3) tradit » si ad jus multitudinis alicujus per-
» tineat sibi providere de rege, non injuste ab eadem rex insti-
» tutus potest destitui, vel refrænari ejus potestas, si potestate
» regia tyrannice abutatur. Nec putanda est talis multitudo infi-
» deliter agere tyrannum destituens, etiam si eidem in perpe-
» tuum se ante subjecerit: quia hoc ipse meruit in multitudi-
» nis regimine se non fideliter gerens, ut exigit regis officium,
» quod ei pactum à subditis non reservetur. Sic Romani Tarqui-
» nium superbum, quem in regem susceperant, propter ejus,
» & filiorum tyrannidem à regno ejecerunt substituta minori,
» scilicet consulari potestate. Sic etiam Domitianus, qui modes-
» tissimis Imperatoribus Vespasiano patri, & Tito fratri ejus
» successerat, dum tyrannidem exercet, à senatu romano inte-
» remptus est, omnibus, quæ perverse romanis fecerat, per se-
» natus consultum juste, & salubriter in irritum revocatis. Quo
» factum est ut Beatus Joannes Evangelista dilectus Dei disci-
» pulus, qui per ipsum Domitianum in Pathmos Insulam fuerat
» exilio relegatus, ad Ephesum per senatus consultum resti-
» tueretur. Si vero ad jus alicujus superioris pertineat multitudi-
» ni providere de rege; expectandum est ab eo remedium con-
» tra tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Judæa pro Herode
» patre suo regnare jam cœperat, paternam malitiam imitantis,
» Judæis contra eum querimoniam ad Cæsarem Augustum de-
» ferentibus, primo quidem potestas diminuitur, ablato sibi re-
» gio nomine, & medietate regni sui, inter duos fratres suos
» divisa: deinde, cum nec sic à tyrannide compesceretur; á
» Tiberio Cæsare relegatus est in exilium apud Lugdunum Gal-
» liæ civitatem. «

1133. Demum » si non (2) fuerit excessus tyrannidis, uti-
» lius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quam con-
» tra tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ sunt gra-
» viora ipsa tyrannide. Potest enim contingere, ut qui contra
» tyrannum agunt, prævalere non possint, & sic provocatus
» tyrannus magis desæviat. Quod si prævalere quis possit ad-
» versus tyrannum, ex hoc ipso proveniunt multoties gravissi-
» mæ dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur,
» sive dum post dejectionem tyranni erga ordinationem regi-
» minis multitudo separatur in partes. Contingit etiam, ut in-
» terdum, dum alicujus auxilio multitudo expellit tyrannum,
» ille potestate acepta tyrannidem arripiat, & timens pati ab

(1) Opusc. 20. lib. 1. cap. 9. (2) S. Thomas. Ibid.

»alio, quod ipse in alium fecit, graviori servitute subditos op-»primat. Sic enim in tyrannide solet contingere, ut posterior »gravior fiat quam præcedens, dum præcedentia gravamina non »deserit, & etiam ipse ex sui cordis malitia nova excogitat. Un-»de Siracusis quondam Dionysii mortem omnibus desideranti-»bus, anus quædam, ut incolumis, & sibi superstes esset, con-»tinue orabat: quod ut tyrannus cognovit, cur hoc faceret, »interrogavit. Tum illa, puella, inquit, existens cum gravem »tyrannum haberemus, mortem ejus cupiebam, quo interfecto »aliquantulum durior sucessit, ejus quoque dominationem finiri »magnum existimabam, tertium te importuniorem habere cœpi-»mus rectorem. Itaque, si tu fueris asumptus, deterior in lo-»cum tuum succedet. «

1134 Hinc tota quæstio est de principibus, qui æquo jure imperium sunt adepti, nec ab ullo pendent, & quorum tyrannis tam sæva, & atrox est, ut ferri non possit. Igitur non modo ex Ethnicis (1), sed etiam ex Christianis (2) fuerunt, qui

---

(1) Cicero de Officiis lib. 3. cap. 4. » Quod potest majus esse sce-»lus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem oc-»cidere? Num igitur se obstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, »quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex »omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo uti-»litas honestatem: imo vero honestas utilitatem secuta est.» Et c. 6. »Nulla... nobis societas cum tyrannis, sed potiùs summa distractio est: »neque est contra naturam spoliare eum, si possis, quem honestum est »necare; atque hoc omne genus pestiferum, atque impium ex hominum »communitate exterminandum est. Etenim ut membra quædam ampu-»tantur, si & ipsa sanguine, & tamquam spiritu carere cœperunt, & »nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, & »immanitas belluæ á communi, tamquam immanitate corporis segre-»ganda est. « Seneca quoque in Hercule furente, actu quarto

.....Victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Jovi,
Quam rex iniquus..

Mitto cæteros.

(2) Joannes Parvi in Justificatione Ducis Burgundiæ super cæde Ducis Aurelianensis recitata die VIII. Martii 1408. coram Rege. Opp. Joannis Gersonii tom. 5. edit. Antuerpiæ 1706. col. 27. » Tertia ve-»ritas. Licitum est cuilibet subdito sine quocumque mandato, vel »præcepto secundum legem naturalem, moralem, & divinam occi-»dere, & facere occidi ipsum proditorem, & infidelem tyrannum, & »non modo licitum, sed honorabile, ac meritorium, præcipue quan-»do est adeo potens, quod justitia non potest bono modo fieri per

singulis civibus, vel saltem reipublicæ universæ in principes istos insurgendi, imperiumque ipsis, & vitam eripiendi potes-

---

» superiorem «. Hujus de licita, ac meritoria tyranni cæde propositio primum Parisiis, deinde à Constantiensis Synodi Patribus, ac demum iterum à Paulo V. damnata fuit (Vide infra §. 1147.) ejusdem condemnationem cum Parisiis, tum Constantiæ urgente præsertim Joanne Gersonio Universitatis Parisiensis Cancellario, uti constat ex Relatione in Comitiis Universitatis sententiæ Joannis Gersonii dictæ coram Rege adversus septem Assertiones Joannis Parvi, ejusque confirmatione, ex considerationibus circa negotium Joannis Parvi, & cædem Ducis Aurelianensis, ex Delatione novem Assertionum Joannis Parvi facta Concilio Constantiensi, & Memoriali continente prosecutiones Joannis Gersonii adversus assertiones Joannis Parvi, aliisque scriptis, quæ tom. cit. Operum Gersonii legi possunt. Hic tamen ipse in decem considerationibus principibus, & Dominis utilibus consider. 7. col. 624. Tom. 4. Opp. Edit. ejusd. asserere non est veritus : » Error est dicere, terrenum Principem in nullo suis subditis, do» minio durante, obligari. Quin secundum jus divinum, & natura» lem æquitatem, & verum dominii finem, quemadmodum subditi » debent fidem, subsidium, & servitium domino ; sic etiam domi» nus subditis suis fidem debet, & protectionem ; & si eos manifes» te, & cum obstinatione in injuria, & de facto prosequatur Prin» ceps, tunc regula hæc naturalis : vim vi repellere licet : locum ha» bet ; & id Senecæ in Tragediis : nulla Deo gratior victima, quam » tyrannus «. Almainus quoque in lib. de Auctorit. Eccles. quæst. in Vesperis habita fol. 63. Tom. 2. Opp. moralium Edit. Claud. Chevallon, Ægidii de Gourmont. » Non potest renuntiare communitas » potestati, quam habet super suum Principem ab ea constitutum, » qua scilicet potestate, eum, si non in ædificationem, sed destruc» tionem regat, deponere potest, cum talis potestas sit naturalis, & » istius sententiæ est Glosa XXIII. q. 111. cap. Ostendit, ubi di» cit : Populus habet jurisdictionem licet dicat lex, quod eam trans» tulit in Imperatorem. Nam si civitas, vel populus non haberet ju» risdictionem, quare puniretur propter delictum Judicis ? XXIII. » quæst. 11. cap. Dominus, ubi dicit : Sic genus, & civitas peten» da est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum » est, vel reddere, quod per injurias ablatum. Non enim punienda » foret civitas, nisi jurisdictionem, haberet ad compellendum. Et ite» rum sequitur, quod non est dabilis in quocumque casu naturaliter » Monarchia pure Regalis, capiendo Monarchiam pure Regalem, » prout visus est capere quidam istis diebus, quando unicus præst, » & nullis subest «. Sic ille de Rege. Et de Suprema potestate Laica quest. 111. fol. XXXVIII. Proposit. 11. » Licet damnato injuste » isto modo impetere Principem, & rebellare, si possit, ita quod

tatem perverse fecerint. Neque vero Monarchomachis tantum hæc opinio placuit, veluti Hottomano (1), Langueto (2), Buchano (3) aliis (4), verum etiam, non quidem generatim, sed in certis quibusdam casibus plerisque (5) ex iis, qui Monarchomachos refutandos susceperunt.

» posset vincere vi sua. Patet: unicuique vim vi repellere licet, & » hoc quando infertur vis injuste; sed in illo casu infertur vis in» juste; ergo in illo casu licet vim vi repellere, & occidere cum » moderamine inculpatæ tutelæ, & hoc expresse habetur Ecclesias» tici cap. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & ad interi» tum, & liberare non cesses, & loquitur de illis, qui ducuntur in» juste ad interitum: & arguitur sic: quilibet tenetur se magis dilige» re, & liberare, quam quemcumque proximum: sed sic est, quod » quando proximus injuste ducitur ad mortem, quilibet tenetur libe» rare, si possit, etiam per violentiam. Ergo à fortiori, si possit » ipse, illam vim repellere debet, imo ad hoc tenetur «. Alios tamquam seditiosæ hujus opinionis patronos citat Henningius Arnisæus in Commentatione Politica de auctoritate Principum in Populum semper inviolabili cap. 4. §. 1. Verum recte ne, an secus citet, expendere non est otium. De calumnia autem S. Thomæ Aquinati à Joanne Parvo, aliisque illata agam in not. 4. §. 1159.

(1) In Opere, cui titulus: Francogallia Genevæ 1574.

(2) In Libello cit. §. 1113. not. *Lockio.*

(3) In Dialogo de jure regni apud Scotos.

(4) Adeundi, si licet, Barclajus, & Arnisæus in Operibus citatis, tum Joannes Franciscus Buddeus in Historia jur. nat., quæ in selectis jur. nat. & gent. extat §. 52. cap. 77. seqq. Joannes Gottliebus, Heinnecius Prælectionum Academicarum in Hugonis Grotii de jure belli, & pacis lib. 1. cap. 3. §. 11., & Henricus Contelmannus ad Barc. Gottl. Struvj Bibliotecam Juris selectissimam not. 6. à quibus præcipui auctores, qui pro Monarchomachis habentur, & eorum scripta recensentur, vel unde hauriri illorum notitia possit, indicantur. Monarchomachorum quoque causam Gronovius, & Vander-Muelen in Com. & not. in libri 1. Hugonis Grotii de jure belli, & pacis cap. 3. & 4. egerunt.

(5) Barclajus contra Monarchomachos lib. 4. cap. 16. » Quid ergo? » Nulline casus incidere possunt, quibus populo sese erigere, atque » in Regem impotentius dominantem arma capere, & invadere jure » suo, suaque auctoritate liceat? Nulli certe quandiu Rex manet. » Semper enim ex divinis id obstat: *Regem honorificate, & qui po*» *testati resistit, Dei ordinationi resistit.* Non alia igitur populo in » eum potestas est, quam si id committat, propter quod ipso jure » Rex esse desinat; tunc enim quia se ipso principatu exuit, atque

1135 Videtur autem singulis civibus licere insurgere in

„in privatis constituit, liber hoc modo populus, & superior effici„tur, reverso ad eum scilicet jure illo, quod ante Regem inaugura„tum in interregno habuit. At sunt paucorum generum commissa » ejusmodi, quæ hunc effectum pariant, & ego cum plurima animo » perlustrem, duo tantum invenio, duos inquam casus, quibus Rex » ipso facto, ex Rege non Regem se facit, & omni honore, & » dignitate regali, atque in subditos Potestate destituit . . . . . Horum » unus est, si regnum, & rempublicam evertere conatur, hoc est si » id ei propositum, eaque intentio fuerit, ut regnum disperdat . . . » Alter casus est, si Rex in alicujus clientelam se contulerit, ac reg» num, quod liberum à majoribus, & populo traditum accipit, alie» næ ditioni mancipaverit «. Et lib. 6. cap. 23. » Quod itaque scri» bis, Rempublicam posse eum occidere, qui in ipsam hostiliter » agit, id si de illo Principe intelligatur, qui hostili animo, id est » animo perdendi rempublicam agit, verissimum quidem est . . . . sed » ea solum ratione, quod qui perdendæ reipublicæ, & regni penitus » evertendi animum gerit, is, semet dominatu, & principatu omni » exuit, atque ipso jure, sive ipso facto, rex esse desinit; statim» que in privatis, ac perduellibus constituitur». Barclajo subscribit Armisæus, quamquam de cæde nihil definiat. Hæc autem ejus sunt verba commentationis Politicæ de auctoritate Principum in populum semper inviolabili cap. 4. §. 16. » Patet ex dictis, tyrannum con» summatum, & notorium, contra quem non datur aliud remedium, » vel à subditis ipsis posse à Republica amoveri (nam de cæde ejus » relinquimus rem piis animis considerandam, aut ex Theologorum » scholis petendam) sine magno scelere «. Subdit tamen: » Interim, » ut exclusio illa excusari possit, & tolerari, quemadmodum supra » de seditione pro liberatione reipublicæ disputavimus: lege tamen » subditis vel concedi, vel imperari, nedum præmiis affici non de» bet, nec tam crudeli remedii genere utendum, nisi extrema ne» cessitas id exegerit «. Demum, ut de aliis taceam, Hugo Grotius de jure belli, & pacis lib. 1. cap. 4. §. 7. num. 4. scribit: » Bar» clajus regii imperii assertor fortissimus huc tamen descendit, ut » populo, & insigni ejus parti jus concedat se tuendi adversus im» manem sævitiam: cum tamen ipse fateatur, totum populum regi » subditum esse. Ego facile intelligo, quo pluris est id quod con» servatur, eo majorem esse æquitatem, quæ adversus legis verba » exceptionem porrigat: attamen indiscriminatim damnare aut sin» gulos, aut partem populi minorem, quæ ultimo necessitatis præ» sidio sic utatur, ut interim, & communis boni respectum non de» serat, vix ausim. « Tum allatis Davidis, & Machabæorum exem» plis num. 6. inquit: » Illa interim cautio tenenda est, etiam in » tali periculo personæ Regis parcendum «. Inde num. 8. » Illa quæs-

principem etiam absolutum, & independentem, eumque imperio, & vita privare, si tyrannice imperet, quia (1) I. Tyrannus ob crudelitatem feris sylvestribus comparatur; sed occidere feram sylvestrem, præsertim nocentem, cuilibet fas est: ergo & tyrannum.

1136 II. Singulis civibus jus est vel per se, vel per alios interficiendi publicos viarum grassatores: atqui tyrannus est publicus grassator reipublicæ: jus igitur est singulis civibus eum, vel per se, vel per alios interficiendi.

1137 III. Laudabile est, quod homo, etiam privatus, operetur quod communi bono est utile; ejectio autem, & occisio tyranni communi bono est utilis; ergo laudabile est quod homo etiam privatus tyrannum ejiciat, & occidat.

1138 IV. Malum quicumque tollere potest, ac debet; princeps degener est malus: ergo degenerem Principem tollere quicumque potest, ac debet.

1139 V. Non solum ab ethnicis celebrati sunt, præmiisque affecti (2), qui tyrannos privata auctoritate occiderunt, sed

---

» tio gravior, an quantum Davidi, an quantum Machabæis licuit, » liceat & Christianis, quorum invaluisse Christianam Religionem le» gimus.« Hoc pluribus exemplis ex Historia Ecclesiastica priorum sæculorum petitis confirmat, deinde num. 15. subdidit. » Dicimus » summum imperium tenentibus resisti jure non posse. Nunc quæ» dam sunt, quæ lectorem monere debemus, ne putet in hanc le» gem delinquere eos, qui revera non delinquunt« ac §. 8. & seqq. septem casus proponit, quibus resisti à populo summum imperium tenentibus, queat; nempe 1. cum principes sub populo sunt. 2. Si Rex, aut alius quis imperium abdicavit, aut manifeste habeat pro derelicto. 3. Si rex regnum alienet, aut alii subjiciat. 4. Si vere hostili animo in totius populi exitium feratur. 5. Si regnum committatur. 6. Si rex partem habeat summi imperii, partem alteram populus, aut Senatus, & rex in partem non suam involet. 7. Si in delatione imperii dictum sit, ut certo eventu resisti regi possit: de quibus sane quid censendum sit ex doctrina S. Thomæ à nobis proposita lectores per se facile intelligent.

(1) Quæ nobis objicimus argumenta ex Joannis Parvi Justificatione, & Monarchomachorum libris excerpsimus.

(2) Cicero de Inventione lib. 2. » Lex est, qui tyrannum occi» derit, olympicarum præmia capito, & quam volet, sibi rem à » Magistratu deposcito, & Magistratus ei concedito«. Et in Oratione pro Tito Annio Milone: » Græci homines deorum honores tribuunt » iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? Quæ

etiam in sacris litteris (1) commendatus est Aod, qui Eglon Regem Moabitarum Israelitis tyrannice imperantem per insidias necavit; necari igitur etiam à privatis civibus tyranni queunt.

1140 VI. Videtur saltem hoc licere reipublicæ universæ, quia populus constituit Regem ministrum reipublicæ, quemadmodum Putiphar constituit Joseph super familiam suam, & Nabuchodonosor Danielem super provinciam Babylonis, sed qui alicui munus quoddam detulit, potest ipsum si delinquat, munere dejicere, pœnasque ab eodem repetere: ergo populus potest imperio, & vita privare Regem, si tyrannice imperet.

1141 VII. Reges populi causa instituti sunt; atqui ratio postulat, ut is, cujus causa alius existit, eo sit potior: populus igitur potior est Rege, atque idcirco in Regem, cum officio suo deest, insurgendi, eumque coercendi auctoritate potitur.

1142 VIII. Princeps est reipublicæ tutor; sed tutor removeri potest, si res pupillorum non recte administret: ergo & Princeps, si rempublicam injuste gerat.

1143 IX. Deus in populos propter Principum pecata sæpe animadvertit: non animadvertisset autem, nisi populus continendi in officio Principes jus haberet: ergo populus in officio continendi Principes jus habet.

1144 X. Trajanus Imperator Præfecto Prætorio pugionem

„aliis in urbibus Græciæ? Quas res divinas talibus institutas viris? „Quos cantus? Quæ carmina? Prope ad immortalitatem, & reli„gionem, & memoriam consecrantur". Hinc, teste Josepho Antiquitatum lib. 19. cap. 2. num. 2. tom. 2. opp. edit. 1726. pro Chærea Cassio, aliisque Imperatoris Caii interfectoribus Gneus Sentius Saturninus hæc ad Senatum: „Ante omnia tyranni interfecto„ribus honores quam amplissimos habere fas est; præsertim vero „Chæreæ Cassio. Nam ille erat unus secundum Deos, qui consilio, „manuque nobis libertatem peperit, cujus haud decet vos oblivisci, „sed & ei, ut qui sub tyrannide ante omnes pro libertate vestra „consilium ceperit, primusque in discrimen semet conjecerit, re„cuperata libertate honores decernere, idque primum vestro conces„su, jussuque factum ostendere. Opus enim pulcherrimum est, & „quod viros liberos imprimis decet, benefactoribus gratiam repo„nere, qualis & ille erga nos universos extitit, Cassio, & Bruto, qui „Cajum Julium peremerunt, plane dissimilis; quoniam isti quidem „semina discordiarum, bellique civilis in urbe seminarunt, ille vero, „cæso tyranno, malis etiam omnibus inde ortis civitatem liberavit".

(1) Judic. cap. 3. v. 15. sqq.

tradens inquit (1) *Hoc pro me utere si recte impero; si male contra me*: ac re ipsa Imperatores plerique, & Reges à populo, quem tyrannice opprimebant, imperio, & vita mulctati fuerunt: potest ergo Populus in Principem tyrannice imperantem insurgere, eumque regno, ac vita mulctare.

Prop. *Nec singulis civibus, nec populo universo licet insurgere in Principem absolutum, etiamsi tyrannice imperet.*

1145 Prob. 1. ex condemnatione duarum propositionum, quas Constantiensis Synodus primum, deinde Romani Pontifices Martinus V. & Paulus V. diris devoverunt. Ex articulis Joannis Wiclephi à Constantiensi Synodo (2), & Martino V. (3) proscriptis, XVII. sic habet: » Populares possunt ad »suum arbitrium Dominos delinquentes (4) corrigere «. Altera autem propositio à Constantiensibus (5) Patribus, & à Paulo V. (6) improbata est hujusmodi; » Quilibet tyrannus potest, »& debet licite, & meritorie occidi per quemcumque vassal»lum suum, seu subditum, etiam per clancularias insidias, & »subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocum»que præstito juramento, seu confederatione factis cum eo, »non expectata sententia, vel mandato Judicis cujuscum»que «.

1146 Præiverant autem istis Patres Concilii Toletani IV. can. 73. his verbis: »Quicumque igitur à nobis, vel totius »Hispaniæ populis, qualibet conjuratione, vel studio sacra»mentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum sta»tu, vel observatione regiæ salutis pollicitus est, tentaverit; »aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit; »aut præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit ana-

(1) Xiphilinus ex Dione in Trajano.
(2) Sess. VIII.
(3) Const. *Inter cunctas.*
(4) Vide, si libet, Theologorum Constantiensium censuram XLV. articulorum Wicleffi, alteram brevem, alteram diffusam in Appendice Concilii Constantiensis edit. Concil. Venet. 1731. tom. XVI. col. 853., & col. 892. sqq.
(5) Sessione XV.
(6) Const. *Cura Dominici Gregis* 14. Januar. 1615. Bullarii Romani Tom. V.

»thema sit in conspectu Dei Patris, & angelorum, atque »ab Ecclesia catholica, quam profanaverit perjurio, efficia»tur extraneus, & ab omni coetu Christianorum alienus, »cum omnibus impietatis suæ sociis: quia oportet, ut pœna teneat obnoxios quos similis error inveniret implicatos«.

1147 Prop. 2. ex S. Thoma, qui Opusculo 20. de Regimine Principum (1) inquit: » Si sit intolerabilis excessus tyranni»dis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virtutem pertineat »tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis ex»ponere periculis mortis: cujus rei exemplum etiam in veteri »testamento habetur. Nam Aod quidam Eglon Regem Moab, »qui gravi servitute populum Dei premebat sica infixa in ejus femore interemit, & factus est populi judex. Sed hoc Apostolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos Petrus non bo»nis tantum, & modestis verum etiam discolis dominis reve»renter subditos esse. 2. Petri 3. *Hæc est enim gratia si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias patiens injuste.* »Unde, cum multi Romani Imperatores fidem Christi præseque»rentur tirannice, magnaque multitudo, tam nobilium, quam »populi esset ad fidem conversa, non resistendo, sed mortem »patienter & armati sustinentes pro Christo laudantur, ut in »sacra Thebæorum legione manifeste apparet. Aod judicandus »est hostem interemisse magis quam populi rectorem licet ty»rannum: unde in veteri Testamento leguntur occissos fuisse »hi, qui occiderunt Joas regem Juda quamvis à cultu Dei re»cedentem, eorumque filiis reservatis secundum legis præceptum. »Esset autem hoc multitudini periculosum, & ejus rectoribus, »si privata præsumptione aliqui attentarent præsidentium ne»cem etiam tyrannorum. Plerumque enim hujusmodi periculis »magis exponunt se mali, quam boni. Malis autem solet es»se grave dominium non minus regum, quam tyrannorum, »quia secundum sententiam Salomonis: *Dissipat impios Rex »sapiens.* Magis igitur ex hujus præsumptione imminet pericu»lum multitudini, de amissione Regis, quam remedium de »subtractione tyranni«. Unde cum addidisset: » Videtur autem »magis contra tyrannorum sævitiam non privata præsumptione »aliquorum, sed auctoritate publica procedendum, « ac Principes vel Reipublicæ, vel alteri Principi subjectos, si potestate regia tyrannice abuterentur in ordinem ab aliis redigi posse, statuisset, de Principibus absolutis ait; »„Quod si omnino con-

(1) Cap. 6.

tra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurren-
»dum est ad Regem omnium Deum, qui est adjutor in op-
»portunitatibus, in tribulatione: ejus enim potentiæ subest, ut
»cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem, secundum
»Salomonis sententiam Proverbiorum duodecimo: *Cor Regis in*
»*manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Ipse enim
»Regis Assueri crudelitatem, qui Judæis mortem parabat, in
»mansuetudinem vertit. Ipse est, qui ita Nabuchodonosor cru-
»delem regem convertit, quod factus est divinæ potentiæ præ-
»dicator. *Nunc igitur*, inquit *ego Nabuchodonosor laudo, & ma-*
»*gnifico, & glorifico Regem Cœli, quia opera ejus vera, &*
»*viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humilia-*
»*re.* Daniel. 4. Tyrannos vero, quos reputat conversione in-
»dignos, potest auferre de medio, vel ad infimum statum
»reducere secundum illud Sapientis Ecclesiast. 10. *Sedem ducum*
»*superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.*
»Ipse est enim, qui videns afflictionem populi sui in Ægyp-
»to, & audiens eorum clamorem, Pharaonem tyrannum de-
»jecit cum exercitu suo in mare. Ipse est, qui memoratum Na-
»buchodonosor prius superbientem, non solum ejectum de re-
»gni solio, sed etiam de hominum consortio in similitudinem
»bestiæ commutavit. Nec enim abbreviata manus ejus est, ut
»populum suum à tyrannis liberare non possit. Promittit enim
populo suo per Esaiam requiem se daturum à labore, & con-
»fusione, ac servitute dura, qua ante servierat, & per Eze-
»chielem 34. dicit: *Liberabo meum gregem de ore eorum*; sci-
»licet pastorum, qui pascunt seipsos. Sed, ut hoc benefi-
»cium populus à Deo consequi mereatur, debet à peccatis
»cessare, quia in ultionem peccati divina permissione impii ac-
»cipiunt principatum, dicente Domino per Oseam decimotertio:
»*Dabo tibi regem in furore meo*, & in Job trigesimo quar-
»to dicitur, quod *regnare facit hominem hypocritam propter pec-*
»*cata populi.* Tollenda est igitur culpa, ut cesset à tyranno-
rum plaga «.

1148 Prob. 3. rationibus ex eodem S. Thoma sumptis, Prima ratio. Ut liceret (1) privatis civibus, vel populo univer-
so insurgere in Principem absolutum tyrannice imperantem, ip-
sumque regno, ac vita privare, oporteret, ut potestatem judi-
candi, & pœnam etiam capitalem infligendi Principi eidem in-
structi forent: atqui in imperio absoluto nec singuli cives, nec

(1) S. Thomas 2. 2. quæst. 67. art. 1. & quæst. 64. art. 3.

populus universus instructi sunt potestate judicandi, & pœnas ullas, nedum capitalem, infligendi Principi, quia nullus potest judicare aliquem, nisi sit aliquo modo subditus ejus, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam, & occidere malefactorem, ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ; in imperio autem absoluto, Principi, cum singuli cives, tum populus universus subsunt, non præsunt, & cura communitatis conservandæ non singulis civibus, aut populo universo, sed Principi committitur: ergo nec singulis civibus nec populo universo licet insurgere in Principem absolutum, ipsumque regno, ac vita privare, etiamsi tyrannice imperet.

1149 Altera ratio. Princeps (1) absolutus dicitur esse solutus legibus, & soli Deo peccare, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat: fas igitur non est populo universo, multoque minus singulis civibus illum, cum potestate sua abutitur, solio dejicere, & necare.

1150 Tertia ratio. Rebellio (2), seditio, & alieni juris usurpatio numquam licent: atqui non solum singuli cives, sed etiam populus universus non potest insurgere in Principem tyrannice imperantem, eumque regno, & vita privare, quin rebellionis, seditionis, & alieni juris usurpationis rei fiant: ergo nec singulis civibus, nec populo universo licet insurgere in Principem, si tyrannice imperet, eumque regno, vitaque privare.

1151 Ad primum respondemus cum S. Thoma (3) „ quod „bestia naturaliter est distincta ab homine. Unde super hoc „non requiritur aliquod judicium, an sit occidenda, si sit syl„vestris: si vero sit domestica, requiritur judicium, non qui„dem propter ipsam, sed propter damnum domini. Sed homo „peccator non est naturaliter distinctus ab hominibus justis: & „ideo indiget judicio publico ut discernatur, an sit occiden„dus propter salutem communem “. Quod si judicio publico opus est, ut discernatur, an privatus malefactor occidendus sit propter salutem communem, multo magis judicio publico opus esset, ut discerneretur, an Princeps tyrannice imperans regno exturbandus esset, atque interficiendus. Etenim 1. multa sæpe

(1) Idem 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. & in Psal. 50.
(2) Idem 1. 2. quæst. 105. art. 2. ad 9. & 2. 2. quæst. 42.
(3) S. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 3. ad 2.

fieri tyrannice putantur, quæ justissime fiunt. 2. Non omnis tyrannis, vel abusus potestatis ejus generis est, ut extremis pœnis coerceri debeat. 3. Expendendum esset, magis ne reipublicæ tranquilitati, atque incolumnitati conduceret tyrannidem pati, quam tyrannum tollendo rempublicam gravioribus incommodis objicere. At vero de Principe absoluto hoc judicium institui à subditis non potest. Ut enim ostendimus ejus instituendi potestate carent. Quare nefas illis est in Principem insurgere, eumque imperio pellere, ac multo magis interficere.

1152 Ad secundum dicimus, eatenus singulis civibus jus esse posse, vel per se, vel per alios interficiendi publicos viarum grassatores, quatenus lex singulos cives justitiæ ministros constituat, iisque alios constituendi facultatem præbeat. Nulla autem lex est, quæ subditis hoc in Principes suos, si tyranni fiant, jus tribuat, quin immo ne subditi in Principum suorum personas, vitamque aliquid moliantur, legibus omnibus cavetur. Hinc » percussit (1) cor suum David eo quod abscidisset oram »chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos: propitius sit mihi Do»minus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini, ut »mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Et »confregit David viros suos sermonibus & non permissit eos, ut »consurgerent in Saul «. Etenim » obstabat plena divinorum »memoria mandatorum « ut scribit Optatus (2) Milevitanus, qui propterea David ita loquentem inducit: » Volebam hostem vince»re sed prius est Divina præcepta servare «.

1153 Ad tertium respondet S. Thomas (3) » quod facere

(1) Regum lib. 1. cap. 24. v. 6. sqq.

(2) Optatus Milevitanus de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum lib. 2. pag. mihi 55. » Occasionem victoriæ David » habebat in manibus: incautum, & securum adversarium, sine la» bore poterat jugulare: & sine sanguine, & conflictu multorum po» terat bellum mutare in cædem: & pueri ejus, & occasio suade» bant: ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere jam cœperat » ferrum: ire jam cœperat armata manus hostiles in jugulos, sed ob» stabat plena Divinorum memoria mandatorum: hortantibus se pue» ris, & occasionibus contradicit, tamquam ex hoc diceret: *Sine cau» sa me victoria provocas: frustra me occasio in triumphos invitas.* » Volebam hostem vincere: sed prius est, divina præcepta serva» re «. Confer S. Ambrosium Apologiæ David Prophetæ cap. 6. num. 27.

(3) S. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 3. ad. 3.

»aliquid ad utilitatem communem, quod nulli nocet, hoc est »licitum cuilibet privatæ personæ; sed si sit cum nocumento »alterius, hoc non debet fieri nisi secundum judicium ejus, »ad quem pertinet æstimare, quid sit subtrahendum parti»bus pro salute totius «. Præterea ejectio, & occisio tyranni, ut plurimum reipublicæ magis, quam ejus dominatus, est pernitiosa, eamque semper maximæ perturbationes (1) consequuntur.

1154 Ad quartum dicimus quemcumque posse ac debere tollere malum, si illud tollere sine peccato, & salva pietate queat. Princeps autem etsi malus à subditis imperio dejici atque occidi sine peccato, & salva pietate non potest. Etenim quamquam malus, princeps est tamen, atque idcirco subditis in illum insurgere non licet.

1155 Ad quintum respondemus 1. absurdum esse justi; & honesti regulas petere ab ethnicis, qui in maxima errorum portenta inciderunt. 2. tyrannos, ob quorum necem celebrati, præmiisque affecti privati cives fuerunt, tyrannos, ut plurimum fuisse, non administratione, sed titulo, nec illis mortem sine publica auctoritate, legumve (2) præsidio illatam. 3. à Domitiano (3) Epaphroditum à libellis capitali pœna condemnatum, quod post destitutionem Nero in adipiscenda mortem manu ejus adjutus existimabatur. Quod autem ad Aod pertinet 1. hic, ut animadvertit S. Thomas (4) *magis judicandus est hostem interemisse, quam populi rectorem, licet tyrannum.* 2. à Deo suscitatus fuit, ut Israeliticum populum liberaret, quemadmodum ex sacris litteris (5) discimus.

1156 Ad sextum negamus majorem. Etenim nec in omni Monarchia absoluta constitutus Rex à Reipublica fuit, nec ubi constitutus fuit, ut minister Reipublicæ constitutus fuit, sed Rei-

---

(1) Vide, si licet, Arnisæum Comment. cit. cap. 4. §. 16. & Barclajum contra Monarchomachos lib. 1. pag. 17. sqq.

(2) Consulito Leges Atticas à Samuele Petito collectas lib. 3. tit. 2. & Commentarium ejusdem ad eum titulum. Confer Ciceronis ex lib. 2. de Inventione cap. 49., locum. pag. 717. not. 2. allatum. Legis à Publicola latæ *ut injudicatum occidere eum liceret, qui dominatum concupisceret*: Plutarchus in Publicola meminit.

(3) Suetonius in T. Flavio Domitiano cap. 15.

(4) S. Thomas Opusc. 20. cap. 6.

(5) Judicum cap. 3. v. 15. »Postea clamaverunt ad Dominum, »qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod «.

publicæ universæ, cum summa imperii potestate præfectus. Quamobrem semel ac constitutus fuit, reipublicæ non est obnoxius, neque hæc ullo jure rationes gubernationis ab ipso exigendi, & in ipsum, si deliquerit, animadvertendi potitur. Quo spectant illa Valentiniani senioris verba: » (1) Vestrum fuit, ò milites, »cum imperator nullus esset, imperii mihi habenas dare. Post»quam vero illud ego suscepi, meum deinceps, non vestrum »publicis rebus prospicere «. Duplex enim est constituendi ratio. Prima, cum effectus perpetuo à constituente pendet, altera, cum jus in alium à constituente transfertur. Qui primo modo munus quodpiam alicui confert, illo est superior, eumque punire, ac munere privare, si illud recte non gerat, potest, uti exempla Principis Provinciæ Præsidem, Domini dispensatorem domui, Patris Pædagogum filio constituentis declarant; secus qui altero. Ecquis enim Cardinales Pontifice, Canonicos quibus eligendi jus, Episcopo, (2) Monachos Abbate superiores dixerit?

1157 Ad septimum dicimus eo modo Regem institutum esse propter populum, quo Pastor propter gregem, Paterfamilias propter familiam, anima propter corpus (3): quia Rex populum tueri gubernare ac regere debet, sicut Pastor gregem, Paterfamilias familiam, & anima corpus. Nemo autem erit tam absurdo ingenio, qui gregi in Pastorem, familiæ in Patremfamilias, corpori in animam agendi potestatem competere tueatur. Igitur ne populo quidem, etsi ejus causa Rex sit institutus, hunc, si officio suo desit, coercendi auctoritas inest.

1158 Ad octavum respondemus 1. Principes absolutos non esse meros reipublicæ tutores, & administratores, sed Patres, & Dominos, cum ditiones, quæ in eorum potestate sunt ad hæredes transmittant, ac de ipsis sive testamento (4), sive de-

(1) Aqud Theodoretum lib. 4. Hist. cap. 6.

(2) Huc pertinet, quod S. Gregorius Magnus ad Clerum Mediolanensem scripsit, & refertur Decr. part. 2. caus. 9. quæst. 2. cap. 2. Dilectissimi: » Pensate igitur, quæ cunctis expediunt, ei »quem vobis Divina gratia prætulerit, integerrimam semper in omni»bus obedientiam præbete. Judicari namque à vobis ultra non de»bet semel prælatus: sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quan»to posmodum judicandus non est «.

(3) S. Thomas in Opusc. 20. lib 1. cap. 12. ostendit, regem esse in regno, sicut anima est in corpore, & sicut Deus est in mundo.

(4) Justinus lib. 5. » Darius rex Persarum moritur Artaxerse, &

creto disponant. 2. Pupillo tutorem suspecti postulare, quamdiu est impubes, non licere (1). Respublica vero semper est impubes, cum ad eam ætatem numquam perveniat, aut pervenire possit, in qua tutore, à quo regatur, & administretur, non indigeat. 3. Tutorem suspecti condemnare, atque ab administratione removere ad Magistratum, non ad pupillum pertinere. Quamquam igitur absolutus Princeps merus reipublicæ tutor esset, nihilominus si tyrannice imperaret, in ordinem redigi à populo non posset, quia nec populus, nec magistratus ullus illum judicandi, puniendique auctoritate præstat. Nam Magistratuum auctoritas omnis in Regno Monarchico à Rege (2) proficiscitur.

1159 Ad nonum negamus minorem. Non enim Deus populum ob Principum peccata punit, quod populus Principes in officio continere neglexerit, cum hac potestate populus in Monarchico regno careat, sed quia, ut ait S. Thomas (3) »Populus est res Regis, & punitur populus, ut in pœna ejus »Rex puniatur: & hoc præcipue contingit, ut Gregorius di»cit, quando peccata populi merentur, ut super eos Rex pec»cator constituatur, vel in peccatum labi permittatur, ut Job. »34. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Et »sic patet, quod populus etiam pro peccato proprio puni»tur (4) «.

» Cyro filiis relictis. Regnum Artaxersi, Cyro civitates, quarum præ» fectus erat, testamento legavit». Alia ad rem exempla affert Grotius de Jure belli, & pacis lib. 1. cap. 3. §. 12. num. 4. sqq.

(1) Cod. lib. 5. tit. 43. de suspect. tut. vel cur.

(2) Hoc & perspicuum est per se, & pluribus demonstratur à Grotio lib. cit. cap. 4. p. 6. & à Grotii interpretibus Coccejo, & Heinnecio.

(3) In lib. 2. sent. dist. 33. quæst. 1. art. 2. ad 5. Confer 2. 2. quæst. 108. art. 4. ad 1.

(4) Ex testimoniis S. Thomæ, quæ adduximus, unusquisque, nobis etiam tacentibus, per se videt, Joannem Parvum ineunte sæculo decimoquinto, tum proximis sæculis Theologos aliquos Tyrannicidii defensores, ac Joannem Antonium Summontium *Historia della Città, è Regno di Napoli part. 2. pag.* 184. & nostra ætate Anonymos, qui Theologorum Tyrannicidii defensorum patrocinium susceperunt, in pluribus libellis, partim in Gallia, partim in Italia vulgatis, Angelico Doctori per summam injuriam impudentiamque sanguinolentum illud dogma adscripsisse. Quid enim iniquius, quid impudentius, quam tyrannicidii vindicem appellare illum, qui ty-

1160 Ad decimum respondemus ex Trajani verbis, quæ adversarii afferunt, nihil confici. Nam 1. ex ejusmodi generis Imperatorum, & Principum dictis jus non oritur. Aliter cum Antoninus (1), aliique Principem à solo Deo judicari posse affirmaverint, jus repugnans haberemus. 2. Trajanus (2) ex illis Imperatoribus fuit, qui ut Senatum; populumque Romanum sibi arctius devincirent, omnia se illis debere, inque eorum potestate esse videri voluerunt. 3. Trajanus hoc jus Præfecto esse, aut illi à Senatu, ac populo tradi, & quidem jure, mi-

---

rannicidii dogma omni argumentorum genere oppugnat, quæque pro eodem afferri potissimum consueverant, rationis, & auctoritatis momenta accuratissime dissolvit? Verum bene habet, quod Joannis Parvi temeritatem jamdudum fregerunt Joannes Gersonius serm. 2. contra assertiones Magistri Joannis Parvi circa præceptum: *Non occides*, Operum ejusdem edit. Antuerpiæ ann. 1706. Tom. 2. part. 2. col. 344. ac Theologi Parisienses in sententia de schedula ad eos missa continente propositiones Joannis Parvi, quæ extat tom. 5. Operum Gerson. edit. cit. col. 81. sqq. Summontium calumniæ convicit Raphel Philamundus Ordinis nostri Theologus, ac deinde Episcopus Suessanus, in Monito ad Lectorem, subjecto Operi, cui titulus: *Il genio bellicoso di Napoli*, ac demum recentium Angelici Præceptoris accusatorum inscitiam, pessimamque fidem patefecerunt cum alii, tum præsertim noster Joannes Vincentius Patutius in epistolis Italico idiomate editis hoc titulo: *Lettere Apologetiche, ovvero difesa della Dottrina dell' Angelico Dottore della Chiesa S. Tommaso d' Aquino contro le calunnie de' suoi accusatori sulla materia del tyrannicidio*; ex quibus epistolis compactæ fuerunt Dissertationes duæ Apologeticæ, quibus *Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis Doctrina à calumnia adprobati tyrannicidii vindicatur* duobus Tomis Supplementi tertiæ partis Editionis Summæ Theologicæ Neapoli curatæ typis Josephi Raymundi præmissæ. Itaque ne actum agamus, ad indicata Opera rejicimus Lectores, qui etiam conferre poterunt Joannis Francisci Bernardi Mariæ de Rubeis Ordinis nostri Dissertat. de gestis, scriptis, ac doctrina S. Thomæ Aquinatis dissert. 10. c. 4. §. 2. ubi Scipionem Christophori Summontii vindicem refellit.

(1) Xiphilinus in Marco Antonino Philosopho: » Imperator cum » rogatus esset à militibus pecuniam, tamen non dedit: quod di» ceret, *si quid plusquam esset constitutum acciperent, id ex san» guine parentum ipsorum, propinquorumque exactum iri. Principis » enim solum Deum judicem esse posse*«.

(2) Vide Panegiricum Trajano à Plino Juniore dictum. Trajani vestigia presserunt Pertinax, & Macrinus, ut ex eorum Orationibus apud Herodianum Hist. sui temp. lib. 2. & 4. liquet.

nime dixit. 4. Non desunt qui regimen etiam sub Trajano populare fuisse (1) arbitrentur ; quorum opinio si approbetur, aperte constat Trajani dictum ad Reges absolutos non pertinere.

1161 Nihil quoque conficitur ex Imperatorum, & Regum, qui tyrannidis causa à populo dejecti solio, ac mulctati vita fuerunt, exemplis. Nam illas rebelliones, ac cædes iniquas, ac per vim factas fuisse ex sacris litteris, ex perpetua Ecclesiæ traditione, & ex ipsa naturali ratione (2) ostenditur. Igitur qui ex illis argumentum ducit, ut evincat, fas esse populo in Principem absolutum, si tyrannice imperet, insurgere, ac eum solio deturbare, atque interficere, perinde facit, ac qui, allatis Principum, qui tyrannide populos oppresserunt, exemplis, tyrannidem licitam esse concluderet (3).

---

(1) Ex his est Henricus de Cocceji, qui in Commentar. ad Hug. Grot. de jure belli, & pacis lib. 1. cap. 4. §. 6. ad ea verba *sed verum principem gereret*, scribit : » Nam status revera fuit » popularis, Cæsares administrabant saltem rempublicam, unde le» gibus subjecti contra leges reipublicæ agere non potuerunt «.

(2) Vide Censuras articuli XVII. Joannis Wiclessi indicatas §. 1145. not. Vide. & quæ contra Joannis Parvi errores disputarunt Gersonius, & Parisien. Theologi tom. 5. Operum ejusdem Gersonii Edit. Antuerpien. Confer Opera illorum, qui Monomarchomachos ex professo confutarunt. Quamquam ea, quæ ex S. Thoma attulimus, ad illorum systema non minus religioni, quam reipublicæ inimicum penitus labefactandum satis esse videantur.

(3) Vander-Muelen Comm. in Grot. lib. 1. de jure belli, & pacis cap. III. §. VIII. num. 14. » Cum nihil contingat, quod non » à divina pendet, & profluit providentia, eaque dirigitur, sic ei » quoque attribuendum, quando reges ob sua peccata, & maleficia » in populum, & subjectos admissa, de solio deturbantur, idque » vel per alienigenas, vel etiam ipsos cives jure utentes. Quemadmo» dum dicit per se reges regnare, quamquam interveniat hominis » dispositio, ita & per eum judicari eodem sensu dicuntur, quam» vis illud judicium ab ipsis etiam civibus exequatur. Quod si subjecti » tolerare tyrannidem malint, quam suo jure uti, Divinæ quoque » adscribendum summæ tolerantiæ, sed ex eo non metienda summi » imperii inviolabilis sanctitas quasi eam numquam possent coercere » subjecti «. Atqui civibus jus coercendi principes absolutos non competere sacræ litteræ docent, perpetua Ecclesiæ traditio confirmat, naturæ ratio ostendit. Vide si licet Grotium loc. cit. & cap. 4. cujus argumenta pro vera sententia infirmare, aut eludere Vander-Muelen frustra conatur. Confer pariter, si fas est. Arnisæum Com-

ment. cit. c. 2. & 3. Igitur subditi, qui in principes absolutos etiam tyrannidis atrocis causa insurgunt, eosque de solio pellunt, ac interficiunt, sese gravi scelere obstringunt. Quamobrem eodem modo Dei voluntate subditi in principes suos agunt, que Dei voluntate Principes aliquando subditos tyrannice regunt, nimirum voluntate permittente, quatenus malum culpæ in utraque actione locum habet: ex qua voluntate licere subditis arma in principes suos absolutos capere, ac vi in ipsos agere, inferri non potest, secus nullum esset tam grave scelus, quod patrare non liceret, cum nullum scelus, quin Deus permittat, patretur, aut patrari omnino possit. Itaque falsum est, eadem ratione dicere *Jehovam* per se regnare reges, si de legitima regni adeptione, & legitimo potestatis usu intelligatur, ac à se judicari per subditos rebelles, Principes, qui in regno administrando peccarunt. Falsum item pari modo tolerantiam tyrannidis divinæ providentiæ adscribendam, ac subditorum in Principes rebellionem, cum illam Deus præscripserit, hanc prohibuerit.

FINIS.

INDEX

QUARTÆ PARTIS

SUMMÆ PHILOSOPHICÆ.

Prologus..... pág. 3.

QUÆSTIO I.

De doctrina morum tradenda, atque perficienda. . 9.

ARTICULI.

I. Utrum morali Christiano Philosopho insistendum sit in morali doctrina Patrum Ecclesiæ..... ibid.

Prop. I. Morali Christiano Philosopho insistendum omnino est in morum doctrina, quam communiter Ecclesiæ Patres tradiderunt. II. Magna autem veneratione excipienda sunt moralia documenta Patrum singulorum, si ii fuere sanctitate præstantes; & reverenter exponenda, si quæ videantur à veritate recedere..... 11.

II. Utrum recentibus Philosophis jure tribuatur laus restitutæ doctrinæ moralis à scholasticis ignoratæ... 16.

Prop. I. Prorsus immerito heterodoxis hominibus Grotio, Hobbesio, Pufendorfio, Thomasio, Wolfio, Heineccio, aliisque hæreticis, laus tribuitur restitutæ Jurisprudentiæ naturalis, sive doctrinæ moralis. II. In ea autem tradenda scholastici primi subsellii excelluerunt..... 18.

III. Utrum ad moralem scientiam perficiendam advocanda sit humani corporis anatome..... 36.

Prop. I. Si attendatur quod est proprium & principale objectum scientiæ moralis, sive, ut ajunt, objectum *formale*, inutilis est, & frustranea humani corporis analysis per anatomen instituta. II. Si vero consideretur id quod est veluti *materia* sive objectum *materiale* actionum moralium, & accidentalis dispositio ad ipsas; pertinet ad scien-

scientiam moralem minus principaliter, considerare diversam humanorum corporum dispositionem III. Non tamen propterea necessaria est perfecta analysis corporum humanorum, ut scientia moralis perficiatur. . . . . 38.

IV. Utrum aliquis inveniatur modus scientiæ moralis perficiendæ. . . . . 45.

Prop. I. Integra doctrina morum, qua ratione jus naturale, & gentium, & omnia hominis, & civis officia naturalia complectitur, à doctrina revelata non adjuta, imperfecta est, multisque erroribus obnoxia. II. Nec perfici potest nisi revelationis præsidio. . . . . 47.

QUÆSTIO II.

De hominis felicitate. . . . . 53.

I. Utrum vera hominis felicitas in re quapiam creata consistat. . . . . 54.

Prop. I. Vera & perfecta hominis felicitas *objectiva* in nullo creato bono consistere potest. II. Sed est solus Deus. III. Felicitas autem *formalis* est ipsius Dei contemplatio. . . . . 57.

II. Utrum homo in hac vita possit esse felix, sive beatus. . . . . 64.

Prop. I. Nemo in hac vita frui perfecta felicitate potest. II. Imperfectæ tamen atque inchoatæ beatitudinis potest quis in hac vita particeps esse. III. Hanc autem imperfectam beatitudinem nonnisi justi percipiunt. . . . . 66.

III. Utrum felicitas, & infelicitas æstimandæ sint ex summa bonorum, & malorum. . . . . 74.

Prop. I. Si mala physica cum bonis physicis comparentur, summa bonorum excedit numero malorum summam. II. Si vero comparentur mala moralia cum bonis moralibus, summa malorum, prout ab hominum voluntate procedunt, excedit numero summam bonorum moralium ab eadem voluntate procedentium. III. Exceditur tamen prout mala illa à Divina Sapientia ordinantur in bonum. IV. Felicitas autem vera æstimari non potest ex summa bonorum creatorum, etiam-

etiamsi ipsa bona summam malorum numero excedant; semperque homo erit infelix, etiamsi omnia creata bona possideat, nisi Deum possideat. . . . . 77.

QUÆSTIO III.

De moralitate actuum humanorum. . . . . . 84.

I. Utrum moralitas ex Dei notione dependeat. . . . . 85.
Prop. I. Athei nonnullas aliquando, sicut & cæteri infideles, actiones faciunt moraliter bonas. II. Vi tamen systematis, si quod habent, iniquissimi esse debent. III. Rebusque publicis sunt hostes. . . . . 86.
II. Utrum detur in homine instinctus, sive sensus moralis. . . . . 100.
Prop. I. Nullus in nobis extat, neque extare potest instinctus, sive sensus moralis in corporeis organis, quo virtutes discernamus à vitiis, illasque probemus, istaque improbemus. II. Multoque minus potest ejusmodi instinctus esse regula moralitatis. III. Inest autem nobis rationis lumen, quo bonum à malo in moralibus discernimus. . . 107.
III. Utrum differentia moralium actionum ex hominum pendeat institutione, ac legibus. . . . . 113.
Prop. Non omnium moralium actionum differentia ab hominum institutione & legibus pendet. . . . 116.
IV. Utrum omnis actionum moralitas à Dei voluntate, & lege positiva pendeat. . . . . 123.
Prop. In actibus humanis sunt aliqua recta, vel mala secundum naturam, & non solum ex Dei lege positiva præcipiente, vel prohibente. . . . . 125.
V. Utrum moralitas actionum humanarum in imputabilitate consistat. . . . . 132.
Prop. Formale actionis moralis in imputabilitate non consistit. . . . . 134.
VI. Utrum moralitas formalis actionum humanarum desumatur ex objectis. . . . . 136.
Prop. Actiones humanæ formalem moralitatem accipiunt ex objectis, non physice inspectis, sed moraliter. . . . . 137.
VII. Utrum dentur actiones morales indifferentes. . . . . 138.

Prop.

Prop. I. Dantur actus morales indifferentes secundum speciem. II. Nullus vero datur actus moralis indifferens in individuo. . . . . 140.

QUÆSTIO IV.

De lege naturali. . . . . 144.

I. Utrum lex naturalis existat. . . . . 145.
Prop. Existit lex naturalis mentibus hominum à Deo per lumen rationis impressa. . . . . 154.
II. Utrum sit aliquod primum legis naturalis principium & quodnam illud sit. . . . . 162.
Prop. I. Statuendum necessario in moralibus est unum primum legis naturæ principium, sive præceptum, ad quod cætera reducantur. Illud autem non est repositum. II. Neque in pace, aut belli auxiliis quærendis ad vitæ, membrorumque conservationem; III. Neque in socialitate; IV. Neque in iis quæ vitam faciunt maxime diuturnam, & felicissimam; V. Nec in quærenda nostri, statusque nostri perfectione ad Wolfii mentem; VI. Neque in statu integritatis, VII. Neque in ordinis custodia. VIII. Sed in eo quod statuit S. Thomas, *bonum est faciendum, & prosequendum, & malum vitandum*; ad quod omnia legis naturæ præcepta reducuntur. . . . . 168.
III. Utrum lex naturæ sit immutabilis. . . . . 186.
Prop. I. Si mutatio legis naturalis intelligatur fieri per additionem, lex naturalis mutari potest. II. Secus si mutatio intelligatur fieri per substractionem; III. Nisi forte sermo sit de mutatione improprie tali in secundis præceptis ob mutatas circumstantias. . . . . 189.
IV. Utrum lex naturalis possit ignorari invincibiliter. . . 196.
Prop. I. Prima universalia legis naturæ principia à nemine ratione prædito possunt sive vincibiliter, sive invincibiliter ignorari. II. Conclusiones verò iis principiis propinquæ à nonnullis vincibiliter, à nemine invincibiliter ignorari queunt. III. Conclusiones autem aliquæ à primis principiis valde remotæ, possunt aliquando invincibiliter ignorari. . . . . 197.

QUÆSTIO V.

De naturali hominum statu ..... 200.

I. Utrum status naturalis hominis sit sylvestris, & ad belluarum conditionem accedens ..... 202.
Prop. I. Status primævus, & originarius hominis non fuit sylvester, ac belluinus, spectata ejus natura. II. Nec si talis fuisset, homo in eo statu constitutus dici potuisset felix; imo summe fuisset infelix, & miser ..... 205.

II. Utrum status naturalis hominis sit status belli omnium in omnes ..... 213.
Prop. I. Status mutui belli omnium in omnes naturalis esse non potest, spectata conditione naturæ humanæ in seipsa, prout est á Deo condita. II. Potest tamen mutuum bellum esse inter privatos homines ex corruptione naturæ. III. Non tamen omnium in omnes ..... 214.

III. Utrum status naturalis sit hominis utcumque in mundum projecti, sibique soli relicti ..... 222.
Prop. Imperite status naturalis definitur fingendo hominem undecumque in mundum projectum, sibique soli plane relictum citra omne humanum subsidium, misserrimam, & ferme belluinam agentem vitam ..... ibid.

IV. Utrum status naturalis præstet civili ..... 225.
Prop. I. Status civilis simpliciter præstat statui naturali, II. licet secundum aliquid sit econverso. 227.

V. Utrum aliquando extiterint, aut etiam nunc extent homines in statu mere naturali ..... 235.
Prop. I. Homines in mundi initio, & post diluvium Noeticum extiterunt aliquantulum in statu naturali, donec multiplicarentur, ut civitatem possent constituere. II. Exinde vero numquam, & nullibi genus humanum, sive maxima hominum pars in statu mere naturali extitit. III. Licet nonnulli potuerint esse, aut forte sint homines in eo statu degentes. IV. Nulli tamen extiterunt, aut extant integri populi in societate viventes, quin aliquam servent formam status civilis ..... 236.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

De jure Gentium..... 244.

I. Utrum jus gentium sit idem cum jure naturali.... 245.
Prop. I. Jus gentium stricte acceptum, distinguitur à jure naturali. II. Continetur autem sub jure positivo humano tamquam medium inter jus naturale, & civile..... 250.

II. Utrum rerum divisio convenienter fuerit inducta... 257.
Prop. I. Divisio rerum, & proprietatum quoad potestatem procurandi, ac dispensandi, non modo conveniens est, sed plane necessaria in Rebuspublicis bene ordinatis. II. Usus vero rerum exteriorum, earumque fructuum debet esse communis..... 261.

III. Utrum origo dominii repetenda sit ex rerum occupatione tantum, an vero ex hominum condicto. 267.
Prop. I. Prima origo dominii proprietatis excludentis alterum ab ejusdem rei possessione, repetenda est ex condicto hominum, non ex sola rerum occupatione. II. Potuerunt autem homines, & adhuc possunt aliquid aliud absque injustitia possidere præter id quod labore, & industria sua possunt acquirere ad commodam vitæ, ac status sustentationem; III. Modo non sit facultatum excessus, & earum usus sit communis..... 271.

IV. Utrum bellare umquam liceat..... 281.
Prop. I. Privatum bellum numquam est licitum, nisi tantum in casu justæ defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ. II. Publicum autem bellum licitum est, si debitæ adsint conditiones. 283.

V. Utrum servitus sit contra jus naturæ..... 305.
Prop. Servitus legalis. I. Sive jure belli justi, II. sive jure nativitatis, III. sive ratione justæ condemnationis, IV. sive titulo venditionis, & emptionis licita est, nec opponitur juri naturæ..... 308.

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

De officiis hominis generatim. . . . . 316.

I. Utrum hominum officia ex sola honestate, an vero ex utilitate, & voluptate sint ducenda. . . . . ibid.
Prop. Hominum officia I. non ex sola utilitate, II. neque ex voluptate quapiam sunt auspicanda; III. sed ex honestate, cum qua vera utilitas, & voluptas sunt conjugatæ. . . . . 321.
II. Utrum officia ex honestate ducta, sint virtutum actus. 330.
De Prudentia, ejusque partibus, ac vitiis oppositis. 334.
De Justitia, ejusque partibus, ac vitiis oppositis. . . 335.
De Fortitudine, & ejus actibus, & virtutibus adnexis, & vitiis oppositis. . . . . 344.
De Temperantia, ejusque partibus, speciebus, & virtutibus adjunctis, atque oppositis vitiis. . . . . 346.
De virtutibus Theologicis, vitiisque eis oppositis. . . . 349.
Prop. I. Nullum extare potest officium medium ex honestate ductum, quod neque in bonis, neque in malis sit habendum. II. Non oportet autem, officia esse undique perfecta, ut sint ex virtutis præscripto. III. Extant vero officia honesta, quæ non procedunt ex virtutum habitibus, & nihilominus in bonis censeri debent. IV. Extant quoque officia imperfecta, quæ à virtutibus proficiscuntur, licet hæ non sint veræ virtutes simpliciter. V. Officia autem virtutum simpliciter, non sunt nisi ejus, qui perfectas simpliciter habet virtutes. . . . . 353.
III. Utrum officia, ut sint virtutum actus, debeant esse ab omni passione libera. . . . . 357.
De amore, & odio. . . . . 361.
De desiderio, & fuga. . . . . 369.
De gaudio, & delectatione. . . . . 370.
De dolore, & tristitia. . . . . 375.
De spe, & desperatione. . . . . 379.
De timore, & audacia. . . . . 381.
De ira. . . . . 384.
Prop. Passiones seipsis non pugnant cum virtutum officiis. . . . . 389.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

De Officiis hominum speciatim, ac primum de Officiis erga Deum, quatenus est naturæ auctor, sive de Religione naturali ..... 391.

I. Utrum jure naturæ teneamur Deo exhibere officia cultus cum interni, tum externi ..... 392.
Prop. Officia erga Deum non modo internum, sed etiam externum cultum ex jure naturæ complectuntur ..... 399.
II. Utrum superstitio, seu falsa Religio conferre ad publicam utilitatem possit ..... 404.
Prop. Fieri nullo modo potest, ut superstitio, sive falsa religio conferat ad publicam utilitatem ... 412.

QUÆSTIO IX.

De Religione revelata ..... 416.

I. Utrum homini præter Religionem naturalem, necessaria sit Doctrina, & Religio revelata ..... 418.
Prop. I. Præter Religionem naturalem, homini plane necessaria est doctrina, & Religio revelata, ut pertingere possit ad divina cognoscenda, quæ humanam rationem excedunt. II. Ea vero quæ de Deo naturaliter ab homine cognosci possunt, convenienter per divinam revelationem credenda proponuntur ..... 420.
II. Utrum constet de veritate Religionis revelatæ .... 438.
Prop. Veritas Religionis revelatæ, certissime, evidentissimeque constat ..... 441.
III. Utrum Christiana Religio pati tolerantiam religiosam possit ..... 491.
Prop. Religio Christiana nullo modo pati potest religiosam tolerantiam, I. sive universalem omnium sectarum, II. sive particularem sectarum hæreticarum ..... 495.
IV. Utrum ea, quæ pertinent ad Religionem revelatam, sint rationis examini subjicienda ..... 506.
Prop. I. Argumenta extrinseca credibilitatis doctrinæ revelatæ non excludunt humanæ rationis exa-

men

men. II. Argumenta vero intrinseca veritatis ejusdem doctrinæ revelatæ exâmen excludunt meræ, & simplicis rationis humanæ. III. Nisi forte ad illam explicandam, defendendamque adversus impios. IV. Non excluditur tamen examen ex ratione ab ipsa revelatione petita, dummodo non instituatur propter dubitationem, vel ad eam fovendam; sed propter veritatis intelligentiam, & manifestationem; & confirmationem; & dummodo ultima resolutio non fiat in ipsam rationem humanam, sed in divinum testimonium ut ab Ecclesia Catholica propositum. . . . . 508.

V. Utrum Christiana Religio conferat ad Politicam Reipublicæ utilitatem. . . . . 512.

Prop. Religio Christiano-Catholica apprime necessaria est ad veram politicam Reipublicæ utilitatem. . . . . 518.

QUÆSTIO X.

De officiis hominis erga seipsum. . . . . . 532.

I. Utrum amor sui sit ex lege naturæ. . . . . 533.

Prop. I. Amor, quo homo naturaliter amat seipsum secundum substantiam, naturam, & naturales proprietates, est ex lege naturæ. II. Et similiter amor, quo per electionem ordinate amat seipsum, & sua. III. Amor autem inordinatus adversatur legi naturæ. . . . . 534.

II. Utrum suicidium, & membrorum mutilatio possint aliquando licere. . . . . 536.

Prop. I. Suicidium numquam licet, II. nisi jubente Deo. III. Certo autem mortis periculo se exponere licet dumtaxat pro Dei honore, & spirituali proximi utilitate, saluteque. IV. Mutilatio vero membrorum potest tantum esse licita, si necessaria sit ad conservationem totius. . . . . 540.

III. Utrum homo teneatur seipsum perficere. . . . . 548.

Prop. Unusquisque tenetur omnino se perficere comparando ea quæ necessaria sunt ad veram felicitatem absolute consequendam; in reliquis nullum extat præceptum. . . . . ibid.

IV. Utrum liceat interficere aggressorem vitæ, pudicitiæ, ho-

honoris, & bonorum fortunæ. . . . . 550.
Prop. Nisi vita ejus qui invaditur, periclitetur, non videtur licere cædes injusti aggressoris pro conservatione, sive pudicitiæ, sive honoris, sive bonorum fortunæ, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ. . . . . 551.

QUÆSTIO XI.

De Officiis hominum erga alios generatim. . . . 559.

I. Utrum mentiri aliquando liceat? . . . . . 561.
Prop. I. Falsum ex intentione dicere, seu mentiri, numquam licet, sive mendacium sit perniciosum, sive jocosum, sive officiosum; & sive verbis, sive factis, sive nutibus exprimatur. II. Hyperbolicæ autem, & figuratæ loquutiones, & signa, itemque belli stratagemata mendacia non sunt. . 564.
II. Utrum dilectio inimicorum sit præcepta jure naturæ. 571.
Prop. I. Jure naturæ tenetur homo inimicos diligere, non qua inimici, sed qua homines sunt; II. & contra illud peccat, si inimicos odio habeat: III. aut eis deneget communia benevolentiæ; & dilectionis signa; IV. peculiaria vero signa benevolentiæ, & dilectionis sunt inimicis jure naturæ exhibenda, si necessitas postulet; extra necessitatem vero satis est animi præparatio ad ea exhibenda; & ad perfectionem charitatis pertinet ea exhibere. . . . . 573.
III. Utrum usura moderata prohibita sit jure naturæ. . . 575.
Prop. I. Quælibet usura, quamlibet moderata, & exigua, est prohibita jure naturæ; II. nisi forte adsint veri tituli damni emergentis, & lucri cessantis. . . . . 579.

QUÆSTIO XII.

De mutuis Conjugum officiis. . . . . . 586.

I. Utrum homo sit naturaliter animal conjugale. . . . . 587.
Prop. I. Homo naturaliter est animal conjugale, II. non quidem ex necessitate naturæ, ut in brutis, III. sed ratione naturali ad conjugium incli-

nante. . . . . 588.
II. Utrum conjugium sit naturaliter indissolubile. . . . . 592.
Prop. I. Conjugium legitime initum, lege naturæ est indissolubile, II. multoque magis lege Evangelica. . . . . 597.
III. Utrum polygamia, sive pluralitas uxorum simultanea sit vetita jure naturæ. . . . . 605.
Prop. I. Polygamia simultanea opponitur legi naturæ, non quasi impediens finem primarium matrimonii; II. sed quasi minus congruens fini secundario. . . . . 607.
IV. Utrum Polyandria simultanea, sive conjunctio unius mulieris cum pluribus viris, sit contra jus naturæ. . . . . 611.
Prop. Polyandria simultanea, ideoque & uxorum communio directe pugnat cum jure naturæ. . . ibid.
V. Quænam sint mutua inter sese conjugum officia. . . 613.

QUÆSTIO XIII.

De mutuis parentum erga filios & filiorum erga parentes officiis. . . . . . 614.

I. Utrum patria potestas oriatur ex generatione, & utrique competat parenti. . . . . 615.
Prop. Patria potestas non potest oriri, I. neque ex mera occupatione, II. neque ex sola civili societate, III. neque ex socialitate, & pacto præsumpto, & tacito; IV. sed oritur ex generatione conjuncta cum debito educandi, instituendique liberos; V. estque utrique parenti communis, principalius tamen residet in patre. . . . . 617.
II. Utrum in filiorum educatione ratio servanda sit à Roussojo præscripta. . . . . 626.
Prop. Impium, & contradictorium seipso est Roussoji sistema circa filiorum educationem; & cum ejusdem Ruossoji principiis pugnat. . . . . 629.
III. Quænam sint filiorum erga parentes officia. . . . . 643.

QUÆS-

QUÆSTIO XIV.

De mutuis dominorum, & servorum officiis.... 644.

I. Expediuntur mutua dominorum, & servorum officia. ibid

QUÆSTIO ULTIMA.

De officiis supremarum potestatum erga subjectos populos, horumque erga illos..... 647.

I. ..rum Imperiorum origo repetenda sit à pacto sociali..... 648.
Prop. Imperiorum origo repetenda non est à pacto sociali..... 654.
II. Utrum Imperium monarchicum publicæ utilitati conducat..... 662.
Prop. Imperium Monarchicum publicæ utilitati maxime conducit..... 666.
III. Utrum Imperium successivum, & cum Primogeniti prælatione publicæ utilitati conducat..... 673.
Prop. Imperium successivum, & cum Primogeniti prælatione publicæ utilitati potissimum conducit. 676.
IV. Utrum in Regnis Monarchicis potestas legislativa conveniat populo?..... 679.
Prop. In Regno Monarchico potestas legislativa convenit Regi; non populo..... 682.
V. Utrum liceat insurgere in principem si tyrannice *imperet*?..... 688.
Prop. Nec singulis civibus, nec populo universo licet insurgere in Principem absolutum, etiamsi tyrannice imperet..... 701.

Biblioteca Pública de Valladolid



72007612 BPA 1615 (V.6)





ROSELLI
PHILOSOFIA.

VI.

BPA
1615